UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conciones R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu

Habitae per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.


Bourdaloue, Louis

Augustae Vindel. & Dilingae, 1716

VD18 80038840


urn:nbn:de:hbz:466:1-68973

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 5802
H. I. 21.
x VIII.
14

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum:
Et meditabar in mandatis tuis. Psal. 118.

Jouvenet Pinx. *M. Steudlen Sculpsit.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONCIONES
R. P. LUDOVICI
BOURDALOUE
è Societate Jesu,

Habitæ per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.

TOMUS PRIMUS.

INTERPRETE P. LUDOVICO DE SALIGNY
ejusdem Societatis Sacerdote.

Post Editionem Fixensem in Gallia.

PRIMA IN GERMANIA.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Maj.
Et Facultate Superiorum.

Collegii Societ. Jesu Paderbornæ.



AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ.
Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD.

ANNO M. DCCXVI.

REVERENDO ADMODUM
PATRI
P. MICHAELI ANGELO TAMBURINO SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI.

EST *hoc positum in more & instituto Litteratorũ hominum, Reverende admodum Pater, ut patronos sibi adsciscant inclytos ac præstantes, quorum tutelæ lucubrationes suas, ceu teneros adhuc, & opis indigentes alienæ, liberos, committant. Quapropter eosdem sibi ut concilient, nihil, habent antiquius, quàm ut illorum laudes, magno studio collectas, scitè includant in Epistolis, quæ in operis quasi limine leguntur: quibus etiam non parcè admiscent suas facilè ut quivis intelligat, eò tam multa largiri*

alijs, ut sibi quiddam vicissim & alij largiantur.

Cùm P. Ludovici Bourdaloue conciones in latinum sermonem àme conversas, in R. Paternitatis tuæ nomine apparere volui, Reverende admodum Pater, longè diversa mihi tenenda via fuit. Nec me sinit æquitas venari nõ debitas mihi laudes; nec tua patitur modestia, tibi veras justásq; tribui. Nihil est itaq; R. admodum Pater, quòd hanc Epistolam valde reformides: maluit illa tibi se accommodare, quàm receptæ servire consuetudini. Non audies petita è profani sæculi splendore ornamenta, quæ in te multi, nec falsò, congesserunt, & quorum contemptu magis, quàm copiâ, gaudere te certò scio. Ne illas quidem dotes prædicabo, quæ propriæ sunt hominis, vero judicio, magni, & quibus plurimis abundas. Ingenium illud dico excellens, acre, litteris perpolitum:

idem

idem negotiorũ omnium capax, & intimam illorum velut arcem subitò penetrans. Æquitatem dico, qua suum unicuique sic tribuis, ut abundè omnibus satisfacias: sapientiam, ad sanctissimas Evangelicæ gubernationis leges exactam: qua concreditum fidei tuæ depositum, sartum & tectum, detrimentóque ab omni integrum conservas: ut quamvis Cælo receptus jam sit olim Ignatius, adesse nihilominus præsens in terris, clavúmque tenere ipse videatur, & societati nostræ istuc accommodari haud immeritò possit; mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. *Religiosæ disciplinæ studium, cujus observandæ, præclarum in te ipso exemplum præbes: paternam charitatem, qua tuos omnes ex animo complecteris: denique innatam tibi comitatem, qua sic universos benignè adhibes, ut, quod de prisco illo*

Eccles. 30.

Imperatore prædicatur, neminem à te tristem discedere patiaris. Futurum confido, ut munusculũ hoc meum eadem humanitate accipias. Eximium oratorem gallicè loquentẽ intelligere per te potes, qui gallicè scias: eundem, opinor, latinè loquentem non invitus audies, ut es latini sermonis admodum peritus. Deerat hoc illi unum, ad cumulum gloriæ, ut suffragio tuo mortuus ornaretur, qui constanti Gallorum approbatione ac plausu, quo ad vixit, est ornatus. Cæterùm si R. Paternitati tuæ, nostra hæc interpretatio non displicet, pergam alacrior, & primum hoc volumen Concionum, reliqua brevi subsequentur.

R.mæ PATERNITATIS TUÆ

Addictissimus & obsequentissimus Servus & Filius in Christo
LUD. DE SALIGNY S. J.

Fixæ Andegavorum 12. Octobris 1713.

PRÆFATIO.

GRATAM esse decet Societatem nostram erga Patrem Ludovicum Bourdaloue, acceptúmque ab eo splendorem splendore quodammodo remetiri; conservare memoriam hominis, quem inter prima sua semper numeravit ornamenta, & ademptum sibi ante annos aliquot, acerbo adhuc luctu prosequitur. *E gallico R. P. Fr. Bretonneau S. J.*

Verùm non tam eo consilio eduntur celeberrimi concionatoris lucubrationes, quàm ad publicam animarum utilitatem, & ut ipsius zeli fructus longissimam perennitatem acquirat. Credibile est, conciones illas, subjectas oculis, nullo actionis aut vocis adminiculo, eodem fore in pretio per sese; imò haud temerè confidimus, DEO, ut olim, favente, idem semper eas pondus ad pietatem acuendam, eandem vim habituras esse ad eosdem Religionis sensus animis instillandos. Nec solis erunt illæ DEI verbi præconibus Christianæ Eloquentiæ specimen & exemplar, in quod inspiciant. Qui piâ se lectione libenter pascunt, paucos libros reperient, ad

persuadendam alendámque virtutem, magis idoneos.

Natus est P. Ludovicus Bourdaloue Avarici Biturigum 13. Kal. sept. Anni 1632. familiâ urbis cumprimis honestâ, & in Societatem nostram cooptatus ætatis suæ 15. Peculiari DEI consilio vocatus videtur ad hocce vitæ institutum. Senserat olim Stephanus Bourdaloue, Ludovici Pater, vir & ipse, cum spectatâ probitate, tum singulari in dicendo dignitate, commendatissimus, ad eandem se familiam ac disciplinam impelli, nec eam tamen erat amplexus. DEO visum est, ut filius in parentis locum sufficeretur. Hic, veritus ne divinæ rursus voluntati obsisteret, ad ejusdem nutum & arbitrium se accommodans, post nonnullam injectam moram & cunctationem, Religioni habuit justis filij votis non assentiri. Solitos labores omnes subijt Ludovicus, queis exerceri in Societate juniores assolent, primis octodecim annis, quos in eâ vixit, partim in tradendis humãioribus litteris, partim in docendâ Philosophiâ ac Theologiâ Morali consumptis. Ubique omnium oculos in se convertit; ubique ampli & præcellentis ingenij dedit indicia. Sed enim rudi-

rudimenta hæc tantùm erant, & veluti fertilis quædam soli præparatio. Ut erat non minus ad reconditiores natus disciplinas, quàm ad sacram eloquentiam, hæsit aliquandiu incertus animi, utram potissimùm viam capesseret, utri esset muneri à DEO destinatus. Sed variæ conciones, quas habuit in tradendâ Theologiâ, tantâ audientium approbatione sunt exceptæ, ut id muneris deinceps obire jussus ab eo fuerit, qui provinciam tunc moderabatur.

Vix erat ingressus curriculum illud quod est emensus tam feliciter, cùm venit in notitiam Sereniſſimæ Principi Monpenseriæ. Hæc, ut erat mente, judicio, & animi excelsitate, quæ generis æquaret nobilitatem, Augi simul ac audijt, probavit, non benevolentiâ solùm novum oratorem ornans, sed & fiduciâ singulari. Id ipsum satis apertè testata est, cum fato proxima, Ludovicum accersiri jussit, qui animum firmaret adversus mortis horrores, & ad vitam ritè finiendam juvaret. Aliquot annos conciones egit in varijs Galliæ provincijs; verùm ubi satis paratus visus est ad sustinendam majorem lucem, Lutetiam missus, maximum ibi & pulcherrimum nactus est

eloquentiæ zelóque ſuo theatrũ. Quamvis magna ab eo & præclara expectarentur, viciſſe tamen fatendum eſt omnium expectationem. Sunt tam inſueti plauſus, ſunt ingenia probata cunctis tam universè, ut de ijs cuivis loqui liceat citra periculum aut excedendi publicam opinionem, aut debitos modeſtiæ ac decori fines prætereundi. Vix eſt auditus in Templo Domûs noſtræ Profeſſæ, cùm ex urbe, ex Aulâ ipsâ concurſus ingens ad eum fieri cœpit. Fama confecta tam repentè degenerat nonnunquam, ac ſenſim fluit. Creſcebat Ludovici fama crescente concionum numero; ut quò quiſque magis auſcultaret dicenti, eò magis ſitientes aures afferret. Enimverò ea in illo eminebant omnia, quæ oratorem ſummum efficiunt. Acceperat à naturâ perſpicacem in judicando prudentiam, adeóque facilem ac vividam imaginandi facultatem, ſtatim ut deprehenderet quid in quaque re ſolidi ineſſet, quid veri. Hoc fuit illi proprium. Tam ſana mens, fidei luce colluſtrata, dux erat illi in pertractandis argumentis omnibus, quæ ad mores attinent, aut ad Chriſtianæ Religionis myſteria. Hinc illa vis & robur ſemper æquabile, quod in ejus concionibus

nibus passim elucet. Earum pulchritudo non constat è quibusdam locis bene adductis, in quibus orator artem omnem & ingenij vires exhausit; sed ex oratione fusâ, cujus membra pendent ex sese, quia sunt aptè vincta & coagmentata. Commodæ partitiones, ratiocinia sibi consentanea & certa victoriæ, pathetici motus, cogitata ab eo sapienter & exquisitè, cuncta denique ad eum rectà spectant exitum, qui est oratori propositus; & in summâ rerum copiâ, quas effert ex se mirè fœcunda mens, includítque tam scitè in idem argumentum, nunquam videas à proposito paulùm digredientem. Ut sententia vulgaris sit & sumpta de medio, non eam respuit. Satis est esse veram, & afferri posse in probationem. Eandem excutit ac scrutatur, atque ita enucleat, ut è tritâ & communi, propria illius fiat; cúmque idem fermè, quod alij ante ipsum, sentiat, aliter tamen, quàm alij, eloquatur. Ubi quid sibi ipse opponit, ita respondet, planè ut satisfaciat; ex eóque ipso quod objicitur, argumentum nonnunquam eruens, proprijs auditorem revincit rationibus, &, suo, ut aiunt, gladio jugulat. Sacros libros Patrésve citat ut Theologum decet & Magistrum; tractatum

datum aliquando integrum contrahens ad Catholicum dogma ſtabiliendum. Cæterùm non tam Patrum verba annumerat, quàm doctrinam ipſam reddit & momenta rationum. Illas evolvit & explicat, támque comodè ſuo quaſque diſpenſat loco, & rebus aptè inſerit ſuis, ut deditâ operâ Patres ita loquutos arbitrere. E ſacris autoribus terebat magis aſſiduè, uti apparet, Iſaiam & Paulum; Tertullianum è Patribus, Chryſoſtomum & Auguſtinum, quoniam eorum oratio nervoſior ipſi videbatur & grandior. Ejus dictio, cogitatis prorſus conſentanea, nobilis eſt unà & ſimplex. Purè & emendatè loquitur; non tamen curiosè. Cùm aſſurgit, non aſſurgit cum tumore, ſed magnificentiam quandam adhibet verborum, quæ, citra exaggerationem ullam, nihil habet non excelſum & grande. Eandem retinet ſermonis dignitatem, cùm ſe demittit ad minora. Seu compellat, de oratorum more, eos ipſos apud quos dicit, ſeu ſingula perſequitur minutatim, nihil exile in eo, nihil humile invenias & abjectum. Occurrunt nonnullæ, minus fortaſſis uſitatæ voces, & audaculæ; ſed audaciam excuſat earum ſenſus lectoris animo ſtatim obvius; túncque dicendum,

dum, si non ita loquimur vulgò, ita loqui ipsum oportuisse, ita loquendum videri.

Ratio, qua pravos sæculi mores exagitabat è suggestu, quiddam etiam habuit maximè singulare. Neminem nactus erat, quem sequeretur ducem, in eo genere dicendi, in quo tamen subsequutis concionatoribus magister ipse summus evasit. Cùm esset illi persuasum, non moveri auditorem, nisi quantùm incenditur audiendi studio, & attentus redditur, nullâque re magis utrumque perfici, quàm si vivida quædam objiciatur morum veluti pictura, in qua perspiciat se quisque & agnoscat; omnem eò dirigebat orationem. Non quòd negligeret abdita fidei mysteria fidelibus aperire; difficillimásque enodare quæstiones, verba quippe faciebat de ijs doctè, & eo majoris autoritatis pondere, quòd Theologicis erat doctrinis per quam eruditus, túncque, ad os occludendum impietati, & Christi Religionem magis commendandam, altiores spiritus sibi sumendos putabat. Postquam autem obscuriora explanaverat fidei capita, exprimebat ex ijs, quæ vitæ Christianorum emendandæ, castigandísque moribus magis facere videbantur. Quo loco mirè conducebat,

cebat, quòd diversa hominum ingenia, multiplicésque naturas planè exploratas habebat. Nihil quippe dicebat, quod non nosset, nihil à verò abhorrens, nihil fictum. Hinc vesanos mundi amatores ita describit, depingítque passim, ut qui usu illos aliquo perspectos habuerit, facilè eosdem suâ formâ agnoscat, suísque coloribus expressos.

Et verò quantam sibi ille, cùm diceret, audientiam faciebat? quoties è nobili consessu hæ voces exceptæ? *sic est*; *sit sunt homines*; *sic vivitur*. Certi quidam sensus, loci quidam sublimes, novi, facti ad pectus emolliendum, actionis ardor, linguæ volubilitas, vox plena, canora, suavis, numerosa, nihil non in eo oratorium erat, nihil non adjuvabat præclaram ejus ád dicendum indolem. Hinc fama & celebritas illa tanta, quam retinuit ad obitum usque; ac quoniam nulla fortasse justior, nulla longiùs labiúsque pervagata, ita constantior nulla fuit. Conciones habuit triginta quatuor annos, partim in Aulâ, partim in Lutetiæ Parisiorum, quo toto tempore, optimatibus, doctis, populóque ipsi (quod parum vulgare) est pariter probatus. Istuc minus mirabitur qui eloquen-

tiæ

tiæ ipsius genus & formam attenderit. Nimirum quod naturæ est & rationi consentaneum, id ubique placet, quovis tempore, cuivis palato sapit.

Quanquam Ludovico inter concionandum, satis amplus patebat, assiduis laboribus, divinæque gloriæ proferendæ, campus, non eo tamen zelum circumscripsit suum. Tot se illi regendos ex utroque sexu & gubernandos tradidêre, ejus concionibus incensi, eorum ut curam & rectionem detrectandam non duxerit. Quin potius intellexit nihil esse aptius Evangelico præconi, nihil eo dignius, quàm si rigaret ipse privatim, quod jam ante plantaverat, & in sacro pœnitentiæ tribunali perficeret, quod inchoatum è pulpito & informatum tantùm erat. Ea illi causa fuit regimen animarum suscipiendi; quæ provincia non gravis minus est, quàm difficilis & operosa. Plenus igitur Evangelicæ doctrinæ, cæleſtibúsque momentis humana quæque ponderans, prudens ad consilia, in pronunciando certus, sincerus, remotus ab omni privatæ utilitatis studio, nec severus erat immodicè, nec plus æquo indulgens, sed sapiens ad Christi leges; qui rationem haberet conditionum, & pro

cujusque sorte atque captu, officia cuique sua præscriberet; qui firmus esset, cum oportebat, in sententiâ, nullo, ad dignitatem, vel ordinem, habito respectu, sed, uti par erat, & semper ex prudentiæ præscripto; qui insuetos devioſque calles exosus, DEUM inquiri vellet simpliciter & bonâ fide, viâ tritâ ac directâ, & citra affectationem ullam; de reliquo prælucere alios alijs integritate morum, & in observandis officijs omnibus diligentiâ constanti.

Zelo flagrabat, non arcente minus & actuoso, quàm sapiente. Nemo ignorat, quàm assiduas confitentibus aures præberet, quinas, senásve horas perseverans in eo munere fungendo; qua ex re facilè colligent qui eum norant, uno cælestis gloriæ & salutis animarum studio, talem patientiam, cum tali mentis fervore, potuisse conjungi. Seu ad sacra vocaretur virginum septa, seu consuleretur privatim, seu visendi essent ægroti, non parcebat operæ, ad quemvis juvandum paratus semper atque expeditus, *omnibus denique*, Apostoli Pauli exemplo; *omnia factus*. In tanto optimatum numero, qui ei se regendos tradiderant, excipiebat benignè egentes & fortunæ tenuioris homi-

1. Cor. 9.

homines, tantùm abeſt eoſdem ut negligeret. In reddendâ vitæ ratione, deſcendebat cum eis ad ſingula & minutiora quæque; indolebat eorum calamitati, & quò magis ab adeundo deterrebat fama & nomen inſigne toto Regno, eò magis fiduciam ſibi ipſorum conciliare ſtudebat, & verecundantibus acceſſus ad ſe mollire. Nec ſatis erat illa in audiendo facilitas, affabilitásque ſermonis. Eos adibat cùm accedere ipſi perſe nequibant, morbo præpediente; mitigabat dulci alloquio malorum, quibus premerentur, acerbitatem; atque ita diſcedebat ab ijs, ut moerori jucunda ſemper ſuccederet mentis tranquillitas, ſummámque demiſſionis juxtà ac charitatis ſuæ admirationem relinqueret.

Atenim vigilantiam&curas nunquam intendebat magis, quàm apud moribundos. Sæpe accerſebatur eos ut admoneret fatalis horæ, & opem morientibus afferret. Tuncque, quaſi ipſius eſſet, eorum animas DEO præſtare, cum ijs agebat, ut virum decet verè Apoſtolicum. Neque verò accedebat ad eos non meditatus, probè intelligens, quanti interſit, pretioſas quasdam ſequi temporis opportunitates, nec eas vagis, parúm-

que fructuosis sermonibus, sinere corrumpi. Præter longum, quem collegerat usum, in obeunda pia illa functione, præter artem & methodum illam, quam sibi ipse confecerat, dicenda secum commentabatur; tum divinis se motibus totum permittens, promebat imo pectore, quæcumque dolorem de peccatis movere, & fiduciam in DEUM afferre possent. Supremis his officijs ita functus est erga tot mortales, quos claritas natalium, & nomen illustre, quos eximiæ virtutes & necessitudo vetus venerabiles illi pariter & charos faciebat; fidelem, ad mortem usque, amicum se præstans atque constantem.

Qui aliena curabat tam sollicitè, non erat interea negligens in suis; imò, quòd frequenter mentis in se se aciem reflecteret, tam utilis effectus est alienæ salutis administer. Necessaria illi erat cura illa vigil inter externas assiduásque occupationes, quibus distinebatur, inter incredibiles omnium ordinum plausus. Non his tamen inflatus unquam est, nec prohibitus, quin se diligenter circumspiceret, factáque consideraret omnia. Quò notior erat & honoratior, eò magis excubabat animo; gratiâ, qua florebat,

bat, nunquam abusus, ut à solita sua cautione tantillùm discederet. Intra circumdatos disciplinæ suæ cancellos arctè se continens, cum concionibus & animarum procuratione sociabat mentem planè religiosam, virtutésque Societatis nostræ proprias. Summam in his mundi mundanæque gloriæ despicientiam; ita tamen ut, qui eâ circumfluunt, optimates ac principes, partem ullam debitæ sibi reverentiæ, ab eo nunquam requirerent; prorsus addictum Ecclesiæ ejusdémque Antistitibus animum; studium & amorem sui statûs, quem præferebat ubique, nec ullus præstringere valeret honoris fulgor, ne dum labefactare; vividum juxtà ac sincerum Religiosæ disciplinæ zelum, ad quam & ipse vitam haud gravatè suam omnem componeret.

Inter alia pietatis officia, precationem præcipuo sibi studio colendam judicaverat. Ergo ante sacrum abjectus altare, sublimes illas revocans cogitationes ac sensus, quos de Christiana Fide imbiberat, verenda Majestate Numinis, & sacrorum Religione perculsus, leviſſimam Ecclesiæ legem, vel in psallendo, vel in divinâ re facienda, violare non sustinebat. Eâ cùm esset pietate instructus, sine

qua Christianam & Religiosam disciplinam dilabi necesse est, quam aliunde desiderares ab eo, ex ijs dotibus, quæ virum honestum constituunt, etiam ad mundi normam? in eo utique universæ inerant, Probitas, sincera mens, candor, bona fides, ut qui aliter loqui nesciret, aliter sentire; aut, si prudenter non posset quæ sentiret apertè proloqui, taceret omninò. Mira in obeundis negotijs prudentia, summa perspicacitas, nec dispar adjuncta moderatio, non ijs immiscens sese, nisi quantùm & quatenus esset immissus; sententiam suam ostendens amicè, non imperiosi Domini ritu, agenda præscribens; navandæ alijs operæ, non venditandæ; benè amicis faciendi, non dominandi cupidus. Multus in sermone lepos; habitus oris blandus; agendi ratio facilis ac libera, quamquam reverens & gravis; mansuetudo, quæ, ut illius erat natura, haud minimo sanè labore parta videri poterat. Ad hæc, modestia, quæ laudes ei colligebat eò plures, quò eas ferret minus patienter; nominis commendationem fugiens ac plausus, ne dum captans; aliena verbis extollens libenter, mutus in suis. Hæc virtutum, in viro tam præstanti, complexio, non minus alli-

allíciebat hominum voluntates ac reverentiam, quàm cætera dona & munera. Poſtquam è ſuperiore loco omnes traduxerat in admirationem, non minus admiratione dignus videbatur in mutuo congreſſu. A quo non accipiebatur perlubenter! &, è primis, infimíſque ordinibus, quis, non dico voluptati, ſed & honori non ducebat, illum apud ſe habere, notum illi eſſe, cum eo eſſe uſu nonnullo conjunctum?

In tam liberum pectus, rebúsque ſolutum omnibus, cadere tantùm potuit conſilium, inter ſolitos hominum plauſus, poſtremis vitæ temporibus, ſuſceptum ab eo. Captus ſolitudinis amore, vitæque ſanctius claudendæ deſiderio incenſus, ſtatuit Lutetiâ relictâ, in aliquam migrare è domibus noſtris, ubi mente in DEUM magis intenta, ad Religioſæ perfectionis culmen gradu citatiore contenderet. Proſpiciebat animo multas à gallicæ provinciæ moderatoribus objiciendas difficultates, quas ut præcideret, ad Generalem Societatis noſtræ Præpoſitum litteras dedit. Rejectus ab eo eſt in ſequentem annum, rogatúsque videret denuò & conſideraret attentè quid eſſet tandem acturus. Re diu ſecum multúm-

que pensata, non destitit Ludovicus à susceptâ mente, annóque elapso instare & urgere missionem suam, datis de integro litteris. Juvabit, opinor, Lectorem, earum habere hoc loco exemplum; adeò in ijs elucet cælestis sapientiæ lumen.

REVERENDE ADMODUM PATER,

PAX CHRISTI

Autore DEO, imò impulsore, scribo ad Paternitatem vestram, ut humillimè, sed vehementissimè rogem, mihi ut per ipsam liceat quod à R. Patre Provinciali nullis unquam precibus impetrare potui. Ab annis duobus & quinquaginta vivo in Societate, non mihi, sed alijs: certè alijs magis, quàm mihi. Animum avocant negotia mille, quæ propriæ non sinunt perfectionis studio tantum operæ impertiri, quantum velim; quod

Luc. 10. unum *tamen* est necessarium. *Est mihi jam in optatis aliò secedere, vitámque dein agere tranquilliorem. Tranquilliorem dico, quò rectior illa sit, ac sanctior. Sentio dilabi corpus in dies, spectare jam sepulchrum, brevíque terram terræ reddendam.*

2. Timot. 4. Cursum consummavi; *atque utinam Possem addere*, fidem servavi! *eâ sum ætate, ut concionibus posthac habendis non mihi videar valde idoneus. Liceat mihi, quæso, vitæ*

vitæ quod superat, unicè DEO, mihíque impendere, atque ita comparare me ad mortem religiosè obeundam. Collegium Flexiense, vel alia quævis domus, quæ mihi à præpositis assignabitur, (neque enim ullam posco nominatim, modò Lutetiâ caream) grata erit senectutis & laborum requies. Ibi terrenis rebus omissis ac contemptis, recogitabo, coram DEO, annos omnes in amaritudine animæ meæ. *Hæc est votorum meorum summa.* Isai. 38.

Res successit ex sententiâ. Ludovico liberum fuit, Lutetiâ discedere, acceptísque romanis litteris, dies est ad profectionem constituta. Verùm qui primò obstiterant ejus profectioni, fas sibi ijdem adhuc putarunt, abitionem tardare ad hebdomadas aliquot, & datam potestatem sustinere, quoad Romam novæ mitterentur litteræ, novæ adhiberentur preces. Motus est illis Præpositus, tandémque decretum ab eo est, ut Ludovicus Parisiis commoraretur, pergerétque solita obire munia. Ita DEO visum, ut tam Religiosi facinoris pretium mereretur is quidem, non ederet; privatæque sanctimoniæ, dum in alienam insuper incumbit, suum tanquam fastigium imponeret. Istuc non emanavit in vulgus, nisi

post obitum Ludovici. Ut agebat in eo sincerè, Deúmque unicè spectabat, longè abfuit, ut aliquid inde laudis ad se traheret. Rem silentio pressit, nec communicavit, nisi cum páucis è suis intimis familiaribus. Supersedit his deinceps Ludovicus, obtemperare se DEO existimans, dum præpositorum obsequitur voluntati. Quin & ex eo tempore visus erectior est & alacrior ad laborem. Verùm propius accedebat ad vitæ metam; neque longus eum porrò labor exercuit. Supremus vitæ ac necis arbiter nobis illum eripuit nil tale opinantibus. In morbum incidit v. Idus Maij, primóque die sensit esse lethalem. Nihil tamen de pristinâ detraxit mentis præsentiâ imago tam urgentis periculi. Vix reperias qui animi firmitatem aut constantiam ostenderit majorem. Tenebatur febri interiore eâdem & malignâ, quam præcesserat contumax tussis plures jam hebdomadas; quo toto tempore affectæ valetudini, zelo abreptus, non temperavit, quantùm oportebat; neque enim destitit, æger ut erat, aures, de more, dare confitentibus, & habere conciones ad populum: cedendum tamen fuit. Die Dominicâ, in quam incurrebat festum

Pen-

Pentecostes, cùm perlitasset valde difficulter, coactus est sacro peracto, cubitum ire. Quamquam dubium non erat, quo suæ res essent loco, voluit tamen istuc ipsum cognoscere ex alijs, rogans, periculum ne dissimularent. Sermo fuit sincerus, qualem volebat; eóque, qui loquebatur, interpellato; *satis est*, inquit; *audio. Quod toties alios & docui & monui, facere me nunc convenit.*

Die insequenti mane, generali noxarum confessione, comparavit se ad suprema Ecclesiæ Sacramenta. Eâ finitâ, intimos mentis sensus ijs effudit verbis, quæ non minorem fidem ejus proderent, quàm animi demissionem. Ea omnia retractabat & recogitabat secum, quæ tot moribundis suggesserat. Intuebatur se ipse velut fontem, ex DEI decreto, morti devotum; Eáque defixus cogitatione, stitit se ad supremi Judicis tribunal, & sententiam jam latam in se, móxque exequendam, ratam habens & acceptam, *vitâ sum abusus*, inquiebat ille, DEUM compellans, *meritò eandem repetis; animóque perlubenti tam justæ me pœnæ submitto.* Mortem suam conjunxit cum acerbissimâ Christi nece, iísdémque, quos ille gessit in cruce, sensibus permotus,

tus, obtulit se victimæ loco, supremam DEI Majestatem, corporis veneraturus dissolutione, & iratum ejus Numen, quà posset, placaturus. Non contentus eo, submisit se libens ferendis pœnis omnibus, queis animæ, corporum solutæ vinculis, purgantur, *Æquum enim est*, inquiebat, *ut DEO planè satis fiat, patiar saltem in lustralibus flammis placidè & amanter.* Animo ita præparato, sacris est mysterijs ritè munitus; & cum DEO adhuc colloquutus aliquantùm, quibusdam chartis, quæ fuerant ejus fidei concreditæ, prospexit, mente æque sanâ & præsenti, ac si morbo prorsus caruisset. Quin & melius ei fuit reliquo die, ut jam salutis spes affulgeret aliqua. Levis illa tamen & fallax fuit. Neque verò câ se lactans æger, mortis cogitationem ex animo dimisit; intelligens videlicet fieri non posse (ita ille) ut revalesceret citra miraculum, quo se indignum arbitraretur. Et verò ita sub noctem sese febris intendit ardor, ut delirium moverit, ex quo nunquam emersit; demúmque die Martis, qui incidebat in tertium Idûs Maij, ann. 1704. animam efflavit circa quintam matutinam. Hic finis & exitus fuit viri, in clarissimis Societatis nostræ, ac, si fas dicere,

re, Galliæ luminibus, habendi, anno ætatis suæ 72.

Multis instructus erat DEI muneribus & quasi talentis, quæ profectò non est ignavo unquam passus situ torpescere. Imò eadem impendens constanter in divini Numinis gloriam & proximorum utilitatem, habuit hoc præter cæteros, sacris ut laboribus, interjecto bidui duntaxat spatio, penè sit immortuus.

Sensêre omnes tanti viri jacturam, neque minuit dies dolorem multorum, qui habebant in eo, quod non facilè reperias in terris. Non est eos oblitus moriens, nec dubium est, quin ejusdem memoria charissima illis semper futura sit. Cedent lucubrationes in demortui vicem. Reviviscet in ijs; certè sensus ejus omnes, ingenium omne graphicè in illis manebit expressum; prodeunt enim veræ ac genuinæ Ludovici conciones, non earum exempla quædam tantùm manca atque imperfecta, qualia exierunt ante complures annos. Suas esse has priores, palam est inficiatus; & meritò quidem; quippe quæ tam deformes & horridæ sunt, ut in ijs autor autori profectò non fuerit agnoscendus.

PRIVI-

PRIVILEGIUM

Sacræ Cæsareæ & Regiæ Catholicæ Majestatis.

CAROLUS Sextus Divina Favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtimbergæ, Comes Tyroli, agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Postquam Nobis Noster, & Sacri Imperij fidelis Dilectus Joannes Casparus Bencard Bibliopola Augustanus & Dillingensis humillimè exposuit, se *Patris Ludovici Bourdaloue S.J.* Conciones & Lingua Gallica in Latinam translatas in Octavo, prelo subjecturum esse, vereri autem, ne alij etiam Typographi quæstûs causâ idem opus fraudulenter ac magnò suo Dispendio imitentur, ideòque nos exoravit, ut Privilegio nostro Cæsareo contra omnes ejusmodi fraudes sibi Consulere clementer dignaremur, Nos submississimis ejusdem precibus benignè annuentes; Omnibus & Singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictum opus per decem annorum spatium à die editionis computandum intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque, & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum fines simili aut alio Typo vel formâ, aut sub quovis additionis, correctionis, Versionis aliôve prætextu sive in toto, sivè in parte recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere vel distrahere clam vel palam citra voluntatem, & absque prædicti Joannis Casparis Bencard ejusve hæredum expresso & in scriptis obtento consensu Præsumat, si quis verò Interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare, aut transgredi ausus fuerit, cum non modò ejusmodi libris perperam quippe

recusis,

recusis, & adductis, quos quidem præfatus Joannes Casparus Bencard, ejusve hæredes ubicunque deprehensos sive propria Authoritate, sive Magistratûs auxiliô sibi vendicare poterunt, de facto privandum, sed & pœna insuper quinque Marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo ceu fraudis Vindici, & parti Læsæ ex æquo pendenda omni spe veniæ sublata decernimus mulctandum, dummodo tamen hujus Privilegij tenor pro publica notitiâ, atque cautela in fronte hujus operis expressus exhibeatur, simul ac à nominato Joanne Casparo Bencard operis prædicti consueta Exemplaria ad Arcanam nostram Cancellariam Imperialem Aulicam transmittantur. Mandamus proinde Universis & Singulis Nostris, & Sacri Imperij, Regnorúmque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum Subditis cujuscunque statûs, gradûs, Ordinis, aut Dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel Superiorum suorum, nomine & Loco Juris & Justitiæ Administrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum temeré & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos reperierint, præscriptâ pœna plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio Literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Civitate Nostra Viennæ vigesima prima Januarij Anno Millesimo Septingentesimo decimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani quarto, Hispanicorum duodecimo, Hungarici, & Bohemici verò pariter quarto.

CAROLUS.

Vt: Frid. Carol. Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Petrus Josephus Dolberg.

APPRO-

APPROBATIO DOCTORIS.

ILLUSTRISSIMI Domini, Galliæ Cancellarij, mandato, legi conversas è Gallico sermone in latinum *Conciones R. P. Ludovici Bourdaloue è Societate JESU*, Gallicè jam, nativâ autoris linguâ, post mortem ejus editas, quas eximius ille Orator, mirabili ingenio, eruditione, arte, sapientiâ, ac pietate scripserat, parique eloquentiâ & fructu pronuntiaverat. Nihil in hac versione reperi quod fidei aut bonis moribus adversetur, eâmque præterea textus sui puritati ac nitori, sensuique proprio conformem animadverti. Quocirca ad Ecclesiæ utilitatem, & ad honorem Religionis pertinere existimo, ut præclaræ illæ, planéque Evangelicæ ac salutiferæ conciones in sermonem latinum translatæ, edantur, quò scilicet earum fructus & durare diutius, & latius extendi propagarique possit. Quin etiam opto, ut in alias quoque plurimas variarum gentium ac nationum linguas, tanti, ad veram in Christum fidem, & pietatem suadendam, ponderis, hortationes transferantur; hincque adeò magis ac magis in dies, secundùm Apostoli votum, quod usurpare hîc mihi liceat, *sermo DEI currat & clarificetur*. Datum in Sorbona die 1. Februarij anni 1713.

2. Thess. 3.

C. DE PRECELLES.

IN FESTO SANCTORVM OMNIUM CONCIO.

De Sanctorum mercede.

Gaudete & exultate. Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5.

REX CHRISTIANISSIME.

ITA loquitur Christus ipse, DEI Filius, qui cælestem gloriam, non ut jam adeptam hæreditatem, nobis hodie in Evangelio proponit, sed ut mercedem magno emendam. Sciebat utique, inquit Chrysostomus, quæstu homines & lucro quantopere ducantur. Quocirca imbecillitati nostræ mirè se accommodans, ut nos pelliciat & invitet ad obsequium, spem mer-

cedis ostendit. Nihil remittens de supremo suo jure, nihil laxans è mandato illo quo jubemur ipsum diligere ut DEUM nostrum, propter ipsum, & plusquam nosmetipsos, amorem quo eum prosequimur, non molestè fert in nos etiam redundare; ac modò spes, qua ducimur, servilis non sit, spe mercedis amari se sinit, aut potius, in illius amore mercedem nostram constitui. Hac quippe de causâ mercedem nobis pollicetur, cujus conspectus mirum quantum valet ad nos excitandos & inflammandos ad amorem illum castum & perfectum qui ut addit Chrysostomus, hominis rationes cum DEI rationibus sanctè prorsus ac divinè conjungit.

Ne deflectamus igitur, Auditores, à Christi mente, omittóque magis sublimi ac recondito sensu, eum sequamur, quem docet cælestis ille Magister. Aspiremus ad eam mercedem, quam nobis proponit, & intueri jubet, cùm ait; *Ecce merces vestra copiosa est in cælis.* Istuc esse in potestate nostrâ, imò præceptum à DEO, constat ex fide, & ponimus tanquam Catholicum dogma de quo ambigere non licet. Hoc posito, ut ad tantæ vos mercedis consecutionem impellam, quàm votis omnibus, quàm omni curâ & labore nostro digna sit, quantam excellentiam, quanta habeat adjuncta sibi bona, hodie exponere con-

constitui; & ita exponere, ut, terrestrium mercedum contentione & comparatione perpetuâ, quasi gustum quemdam cælestis illius gloriæ, additis simul ad eam adipiscendam stimulis, quà possum injiciam. Atque ut eximiæ hujus mercedis solidam formam & idoneam speciem effingam in animis vestris, hærere lubet in verbis Evangelicis, quorum genuina ac propria expositio, concionis nostræ scopum statim aperiet. Ordinem & partitionem illius diligenter percipite. *Ecce merces vestra copiosa est in cælis.* Parata Electis ac destinata merces, est certa. *Ecce.* Est in promptu. Hanc Deus pollicetur. Eam si verè ac sincerè optatis, est in manu & potestate vestra. *Ecce merces vestra* Est copiosa merces, cui modum una Dei magnificentia constituet; una cumulatè desideria vestra explebit. *Ecce merces vestra copiosa.* Merces denique est æterna, quæ vobis nunquam excidet, quoniam reservatur in cœlo, ubi nulli casus, nulla rerum vicissitudo pertimescenda. *Ecce merces vestra copiosa est in cælis.* Quæ mercedis proprietates valde idoneæ sunt ad mentes vestras permovendas, si præsertim eam æstimetis ex terrestrium mercedum comparatione, hoc est, ex triplici discrimine quod notari velim à vobis inter humanas mercedes, & eam, quam Electis suis Deus impertit; hoc enim magis affi-

cere vos posse visum mihi est, fideique vestræ torporem magis excitare. Cæleſtis merces, est certa cùm terrenæ mercedes dubiæ sint & incertæ; hoc primum. Cæleſtis merces, & copioſa, cùm terrenæ mercedes vacuæ sint & imperfectæ; hoc alterum. Cæleſtis merces est æterna, cùm terrenæ mercedes mobiles sint & caducæ, hoc tertium erit concionis hujus caput. Triplicem Christianis omnibus ſolatij ac lætitiæ cauſam affert Eccleſia dùm cæleſtem gloriam ſpectandam illis proponit, inſtigatque ex ejus aſpectu, ad præclara Sanctorum facta æmulanda. *Gaudete & exultate.* Si religioſos eorum mores exprimitis imitando, *gaudete.* Quamobrem? quoniam certa, quoniam plena, quoniam æterna merces vos manet. Contrà verò plorate ac lugete; ſi bonis his omnibus poſthabitis, veſano ſeculi amore correpti, mercedis, juſtis omnibus deſtinatæ, guſtum penè nullum habetis. Plorate, imò contremiſcite, ſi res ad movendum tam accommodata pectoris veſtri duritiem emolire non valet. Fac, DEUS optime, maxime, gratiæ tuæ præſidio, ut tale ac tantum argumentum dignè & utiliter pertractem. Fac, ut qui me dicentem audiunt, verbo tuo intimum pectus permovente, bona, quæ illis à te parata ſunt, veluti præguſtent; ad eorum haud ſegnem

cupi-

cupiditatem, ad ſpem vivam exardeſcant; ad tantæ felicitatis conſpectum, animum avellant à terreſtribus bonis; mentem & cogitationes omnes defigant in cæleſtia; mundanæ vanitati nuntium remittant; veritatem perquirant ex animo; denique Sanctorum tuorum exemplo, &, ut ejuſdem gloriæ futuri olim conſortes, conſtitutum habeant, mundo bellum indicere, mundi illecebras & lenocinia cupiditatum ſuperare. Iſtuc abs te & illis & mihi, Beatiſſimæ Virginis interventu poſtulo quæſóque. *Ave Maria.*

DIES ac noctes torquere ſe, corporis animíque vires exhaurire, imò vitam ipſam ſæpe impendere incertæ mercedi, quam non conſequare niſi difficulter, qua caſu excidas non ſine gemitu aut etiam excludaris injuſtè, hæc eſt eorum hominum, qui ſe mundo manciparunt, miſera ſors & fatalis conditio. Contrà operi non parcere, ut certò mercedem feras; ſervire Domino, apud quem haud malè ſint collocata unquam, nec malè collocari poſſint officia meritaque ulla, hæc fuit in terris beata cœlitum illorum ſors, quos hodiernâ die communi ſtudio veneramur. Servicbant illi Domino fido in promiſſis, certámque mercedem ſpectabant. Hac ſpe ſubnixi, inquit Chryſoſtomus, nihil non PARS I.

poterant aut aggredi aut pati. *Patior*, ajebat Paulus, unus ex illis, ac plenus heroico illo robore, quod ex hujus sumebat veritatis fide; *patior, sed non confundor.* Patior, sed in perpessionibus illis omnibus glorior, tantùm abest, illæ ut mihi pudorem ullum incutiant. *Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Quia videlicet novi illum cujus fidei depositum meum concredidi, ac pro certo habeo, posse illud ab eo servari ad eam usque diem, qua die pro operibus quisque suis sumus omnes judicandi. Quid intelligebat Apostolus depositi nomine? illam videlicet meritorum congeriem quam paraverat juvante DEO; hoc est, quæ gesserat, quæ passus erat DEI causâ, & spe cælestis gloriæ, qua sciebat exantlatos à se labores olim esse remunerandos. Hæc est propria loci hujus expositio. *Bonum certamen certavi*, inquiebat ille idem, *cursum consumavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi in illa die justus judex.* Ita Christi Apostolus; atque haud aliter pro suo etiam jure loqui possit quivis Christianus; fatente præsertim eodem Apostolo & agnoscente, non sibi solùm, sed & generatim omnibus DEI famulis, eandem hanc paratam *esse justitiæ coronam. Non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt adventum*

2. Timot. 4.

Ibid.

2. Timot. 4.

ejus

ejus. Sic enim ratiocinari nos oportet, Auditores Christiani, nobis hæc verba privatim aptando; *scio cui credidi*, & gravissimo hoc fidei dogmate nixam esse oportet nostram omnem vivendi rationem. An sim unquam meriturus mercedem illam quam cultoribus suis DEUS destinavit, prorsus nescio; hoc scio, quæcunque DEI causâ aut patior aut ago, sacrum quoddam depositum esse, quod est penes DEUM, cujus est veluti præs ac sponsor; quod in ejus manibus imminui nullo pacto potest. *Scio cui credidi*; hoc est, mihimet ipse diffidens, DEO, cui servio, planè confido, *Et certus sum quia potens est.* Fides autem quam Christiana præstat Religio de divinis illis attributis, ac de DEO ipso, hoc nimirum illud est, quod me currentem incitat, & acuit ad virtutem. Hac eadem fide pietatem alebant & ardorem suum Beati illi supernæ Civitatis incolæ, quorum egregia virtus cæteris mortalibus stimulus fuit ad sanctitatem. De Domino cui serviebant, & de promissâ ab eo mercede, vivebant admodum securi. In eo spem illi suam non locabant solùm, verùm etiam sciebant, & certissimè sciebant, se, quandiu spem ita locatam haberent, eâ dejici nusquam posse. *Scio cui credidi.* Longè discrepat isto sermone mundani hominis sermo de mundo & fallacibus ejus præmijs. Innixus

quippe conſcientiæ teſtimonio, eam ſæpe in ſententiam, dum malis ingemit ſuis, miſetámque deplorat ſortem, poteſt loqui. Scio me mundi voluntati obſecutum in omnibus. Scio officia illi à me defuiſſe nulla; ſed eorumne ſit memor, eane ſit unquam remunératurus, neſcio. Ne id quidem ſcio, an collata à me in eum officia grata illi fuerint & accepta. Quod ſpectat ad mundi præmia, ſermonem ille idem inſtituere poteſt hunc in modum, nec nimium ſibi præfidens. De me nihil non præſtare poſſum; de ijs quorum eſt elargiri beneficia, non item. An bene ſint in me affecti non habeo pro certo. Ne id quidem liquet, an de me judicent ex æquo & bono. Poteſt & hunc ſermonem inſtituere, verbis, queis Paulus uſus eſt, iiſdem, ſed ſenſu planè diverſo. *Scio cui credidi.* Satis ſupérque notus mihi eſt mundus ille, cujus amicitiæ miſerè me devovi, cui ſum hucuſque obſtinatè confiſus. At enim vel ob id ipſum quod longiſſimam apud illum ſervitutem toleravi, nihil adhuc certi habeo; propria enim experientiâ didici, quamquam invitus, nec potuiſſe me, nec debuiſſe in mundi, qualis eſt, promiſſis, ſpem ullam firmam collocare. Nihil autem habere certi ad quod collimes, & in quo ſpem conſtituas tuam, hoc enim verò mundanum hominem angit,

git, hoc illum excruciat, &, si modò ipsius ambitio non prorsus hebescit, est ingentis supplicij loco. En primum discrimen quod cæleſtes inter & perituras mercedes intercedit, & notatum à me oportuit. Sed rem paulò diligentius excutiamus, singula persequẽdo; habet enim minuta hæc morum descriptio unde infinitam Numinis misericordiam veneremur, & ad vitã accendamur sanctiorẽ.

Sunt inter profanos mundi amatores, virtutes quædam steriles & infructuosæ, quibus sua videlicet præmia non deferuntur. Quid ita? quoniam, inquit Chrysostomus, sunt virtutes obscuræ, hominibus incognitæ. Sunt virtutes quæ si non obscuræ hominibus tamen gratæ non sunt, & acceptæ alicujus apud homines pretij, quas suspiciunt illi quidem, at non remunerant, quoniam istuc non est in eorum potestate situm. Quæ tria satis ostendunt, quàm incerta quæ ab hominibus, quàm certa sint præmia quæ à DEO persolvuntur. Animum advertite, Auditores, & videte ne quid effluat vobis è tam utili morum picturâ.

Dixi virtutes quasdam esse hominibus incognitas. Et verò vel ob hanc unam causam, quot in mundo virtutes perditæ? quot latentes in occulto? quot oblivioni datæ? quot temporis injuriâ deletæ? quot clandestinis quibusdam molitionibus extinctæ. Quot numero & multitudine obrutæ?

rutæ? infinitus ſim, iſta ſi fuſius ac ſigillatim perſequi velim. Nihil tale à ſupremo Numine metuendum. Cujuſcunque tandem naturæ ſint merita quæ colliguntur in ejus famulatu, hæc novit omnia. Alia ab alijs diſtinguit ac ſecernit. Hæc in cæleſti appendit trutinâ. Hæc ſemper in memoriâ, ſemper ante oculos habet. Nihil fugit divinæ mentis aciem. Obſcura perſpicit peræque ac ſplendida merita. Interiores & magis abditas virtutes non ſecus ac celebratas omnium ſermone. Quot cœlo jam aſcripti, quorum ſanctimonia quamvis conſummata, ſemper latuit, nunquam fulſit in terris. Hoc humilibus ſolatio erit.

Ut DEUS, atque adeò cordis humani ſcrutator, meritorum intima quæque, abditos mentis receſſus pervadit ac permeat. Merita illa oculis mortalibus impervia, nota ſunt ipſi penitúſque perſpecta. Inde eſt quòd non modò facta & actiones noſtras omnes, ſed & voluntatem ac deſideria ipſa remunerat. Non ea ſolùm quæ ipſius causâ aut gerimus, aut patimur, aut abdicamus, ſed & ea etiam quæ ejuſdem causâ aut gerere, aut pati, aut abdicare cupiamus, vel ob id unum quòd ſi qua foret bonorum poſſeſſio, parati ſimus, DEI causâ, ſponte illis decedere. Sic, quem admodum Propheta loquitur, etiam *cordis*

Pſ. 9.

pra-

præparationem audit Deus, atque adeò muneratur. Sensus est, satis hoc esse, Deo ut placeas, placere illi velle. Satis hoc esse, bonis ut te cumulet suis, semel illi placuisse. Quot cœlo jam recepti, in quibus nihil fuit quod Deo offerrent præter voluntatem pronam ad bonum? hoc infirmis solatio erit.

Quoniam Deus est, nec præterit res ulla infinitam ejus mentem, actiones nostræ etiam vilissimæ, si modo fiant illius causâ, sunt apud ipsum in pretio. Frigidæ cyathus sitienti datus Christi causâ, singularem feret mercedem, quam & præstat Christus ipse in Evangelio. Æra duo minuta paupere manu in ærarium missa sanctius, ejusdem præconio nobilitantur, non secus ac pretiosa munera in Templo solita offerri. Hoc pauperibus solatio erit.

Quoniam est summè justus, pro quovis meriti ac sanctitatis parto gradu, felicitatis & gloriæ nobis gradum destinat. Atque ex hac graduum proportione & mensurâ, admirabilis ille exurgit cælestium Hierarchiarum ordo. Inter homines summa virtus non semper obtinet summum locum. Mediocritas, pravo æstimantium judicio, sæpe prævalet vincitque. Meritis sua semper merces comes est in cœlo. Unum ex alio metitur ac dispensat summus rerum arbiter Deus, Deus, inquam

quam, cujus mens nec falli possit, nec occupari falsâ opinione, nec æstimare quicquam nisi sit meritò & ex sese æstimandum; puta pietatem ac bona opera. Hoc iis solatio erit qui fuci & simulationis expertes, Christiani muneris numeros omnes obire student.

Apud vesanos mundi cultores virtus est nulla, quam rerum edax tempus non deleat. Quidquid id est quod agimus DEI causâ statim exaratur *in vitæ libro*, idque literis quas nulla ætas unquam obliteret, Collata in se beneficia solent homines dare oblivioni, & sæpe voluntariæ. Contra fit à DEO. Opera nostra bona testatur ipse munita quasi sigillo quodam esse in misericordiæ suæ thesauris. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* idem disertè significat, sacrificia nostra sibi semper ante oculos observari. *Holocausta tua in conspectu meo sunt semper.* Precationes & elemosynas nostras in aulam fori cælestem, eásque habere semper in memoriâ. *Orationes & elemosynæ tuæ ascendunt in memoriam in conspectu DEI.* Earum meminisse honori quodammodo ducit, nec eas magis oblivisci potest, quàm se Deum nostrum, quàm nos ab ipso conditos esse. Credimus hæc Auditores? si non credimus, Dominum cui famulamur, ignoramus. Si credimus, cur adeò tepidi: Cur

Deut. 32.

Ps. 49.

Act. 10.

in

in divinâ ipsius lege observandâ adeò inertes sumus, & ignavi ?

Adde ut Justorum beata sors plenius cognoscatur, quod notavi velut alterum mundanæ calamitatis fontem, unde & incerta redditur terrena merces; adde, inquam, virtutes, quæ cognitæ quidem, at non sunt gratæ & acceptæ. Quid apud homines magis vulgare? quot virtutes infortunatæ, rejectæ, &, ut ita loquar, reprobatæ, virtutes, quæ, vel abalienatione voluntatum, vel cupiditate aliò trahente invidiam, sibi & odium conflant, ne dum bonevolentiam & amorem conciliant. Huic malo non sunt obnoxij, qui meritis apud Deum parandis incumbunt. Ut peccatum DEO exosum esse necesse est, nec potest non reprobate eo infectos, ita idem non amare non potest bonorum operum merita, iisque ornatos suâ mercede & gloriâ donare. Sunt variæ inter electos sanctitatis formæ, sed earum nulla est, quæ, ut ait Chrysostomus, DEO non sapiat, in qua non se amet, quia nulla est quæ à DEO omnis sanctitatis fonte non profluxerit. Quia nulla, quæ & DEI opus eadem & donum non sit. Apud homines mundanos multi officijs & honoribus excluduntur vel, eo nomine quòd cæteris longè, aut etiam longius anteeunt. Aliter evenit apud DEUM. Quo te plura merita exornant,

ornant, eò magis ipsius amorem participas Dei autem amorem, qui beatos, qui prædestinatos, qui sanctos efficit, participare, est pactâ mercede jam frui.

Denique quantumvis æqui homines sint, & accepti beneficii memores, amplius dico, quantumvis liberales sint ac munifici, virtutes quasdam non remunerant, quia non est in iis istuc situm; virtutes, inquam, quas agnoscunt illi quidem, & admirantur, sed quarum vel excellentia vel numerus, cùm numerum superet beneficiorum quæ in eorum sunt potestate oneroſæ, incommodæ fiunt aut etiam importunæ. Quàm melior est apud te, Deus optime, humana conditio! non est quod nobis ab ejusmodi periculo metuamus. Ut infinita est Dei magnificentia, quoniam ab ipsius nequit omnipotentiâ sejungi quantumvis crescant merita nostra, exhauriri illa nunquam potest. Quo plura merita sunt, inquit Chrysostomus, eò gratiæ & gloriæ, quibus nos cumulet, thesauri plures suppeditant. Quò plus nobis debet, (sensu Catholico & orthodoxo loquimur) quò plus soluit, eò magis est solvendo. *Dives in omnes qui invocant illum.* Rom. 10. Sed longè ditior, inquit Bernardus, in eos omnes qui mandatis ejus sedulò obtemperant. Ut nunquam odioſæ illi sunt & molestæ preces nostræ, ita merita quæ illius

illius sunt dona, nunquam ipsum gravant. De DEO igitur ejus quæ promissis securos nos esse oportet, & , cùm ipsi, spe cœlestis gloriæ famulamur , tametsi peccatis obnoxij, possumus non sine magno lætitiæ sensu , usurpare illud Apostoli, *spes autem non confundit.* Fallax est spes alia quævis, hæc me nunquam fallet. Eò quoties res meæ adductæ sunt, ut pœniteret fiduciam & spem omnem in hominibus defixisse? desertum fuisse me à DEO, non possum , nisi per calumniam , quæri. Et , si ingrato id veniat in mentem , non justitia ipsius solùm, sed & misericordia ipsa pro eo contra me testimonium dicat. De DEO certum mihi est. Dogma venerandum ! unde hæc tam pia Regius vates colligebat, quæ quotidie præsertim in Aulâ, Christianum quemque meditari oportet. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Longè satius est fiduciam in Domino suam quàm in gratiâ & favore ullo principum collocare. Hoc Regis effatum est, & is, apud quem verba facio, eâ est adversus DEum Religione , facilè ut sit tam divino testimonio subscripturus. De DEO certum mihi est. Quàm plena solatii vox! quàm sola efficax habet ad sanctiorem vitam illicium ! spes mea , quà DEum respicit , nunquam me fallet. Possum equidem eâ spe abuti , dum nimis confido,

Rom. 5.

Ps. 117.

fido. Potest socordiâ meâ hæc spes cadere ad irritum. At quod ad Deum attinet; est longè certissima. Memet ipse Deo præstare si possum, nihil non ab eo, pro meo jure, fas est sperare.

Quæ cum ita sint, Christiani Auditores; sumus ne ulla excusatione digni? quid dico? nonne DEO ipso planè simus indigni, si parcè ac restrictè cum eo agimus? si nobis indulgemus plus æquo; si eum non colimus, ut par est Deum coli; procul absit à me, vobis ut vitio vertam; imò satis laudare & acuere non possum ardorem illum quem præfertis in aucupandâ invictissimi Regis nostri gratiâ. Unum optem, ut officia, quæ illi certatim exhibetis, sanctiora sint & Christi præceptionibus digniora. In ejus utique manu posita est fortuna vestra omnis, & terrenæ sortis conditio. Commoda vestra privata cum officio conjuncta, per me licet, vos illi devinciant. Divina in eo species & imago relucet. Secundùm Deum collocari melius nequit spes vestra, quam in Regis ipsius benignitate. At, si tantopere inhiatis terrestribus præmiis, quæ tot de causis possunt vobis præripi, quî tandem supremæ illius mercedis desponsæ vobis ac destinatæ à DEO, tam diuturnam, tam obstinatam oblivionem sustinetis? ecquid estis Judici DEO responsuri, cùm tam odi-

osam,

osam, tam monstri similem oblivionem exprobrabit? sic vita tamen apud vos traducitur. Atque huic malo si non ingemiscitis, quidni ego terribiles illas Jeremiæ minas intentem? *maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Jerem. 17. Ah! male sit ei, qui in hominis clientelâ qui in carneo brachio hæret innixus, Sed longe pejus sit ei, qui cum fiduciam suam omnem in homine reposuerit mortali, à se impetrare ipse non valet, eam ut reponat in præpotente DEO. Istuc facilius intelligetis ex altera cœlestis mercedis proprietate, quæ non solùm certa est atque indubitata, sed & plena ac copiosa. *Ecce merces vestra copiosa est.*

MENTEM ut meam vobis statim explicem, Christiani Auditores, mercedem copiosam appello, quæ aut superat, aut æquat certè, officia quibus eam emeriti sumus, vel quibus studuimus emereri. Hæc prima est hujus rei notio, quam affert Hieronymus, beatis illis mentibus cælo jam assertis illud accommodans quod Justis Christus servator, ad eorum fevorem excitandum, promittit; *mensuram bonam & confertam & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. Et verò in sanctis ipsis, aut potius in beatissimo ipsorum statu hæc Christi promissio ad literam

PARS II.

teram impletur. Sed re ſumptâ in ſenſu magis morali, atque adeò aptiore ad id de quo agimus, apertius exponendum, mercedem appello plenam & copioſam, quæ per ſe humani pectoris vacuitatem, aut potius vaſta deſideria explere poteſt. Mercedem, quæ hominem ita beatum reddat ab omni parte, ut in ea tandem conquieſcat. Ita Auguſtinus intelligit in ſuâ Evangelicarum Beatitudinum expoſitione. Soli autem Chriſto liceat, utroque illo ſenſu nobis dicere, *ecce merces veſtra copioſa eſt*, quamobrem? quia ſolus Chriſtus mercedem ſolverit, quæ geminam hanc, quam dixi, proprietatem habeat. Aut, ſi vultis, quia hæc una cœlitum merces, ſpectata, ut hæc duo habet adjuncta ſibi, copioſa & plena merces vocari meritò poteſt. Etenim an non conſtat (primam è duabus proprietatem aggredior, & omiſsâ aliâ quavis probatione, vos ipſos, Auditores, teſtes appello; adeſte animis & voſmetipſos excutite & explorate) an non, inquam, conſtat, ei qui ſe mundo ſemel addixerit, valde laborandum valde ſudandum eſſe, ut pertenue lucrum faciat! contrà verò labori leviſſimo qui DEO impenditur, longè maximam mercedem reſpondere. Collationem hanc ne ſinamus abire ſine fructu. Jucundiorem profectò ſi eâ uti volumus, & longè cariorem reddet

det religionem quam profitemur. Quid non fit quotidie ut beneficia impetrentur, quæ quàm plurimo vendere homines solent? beneficia ardenter concupita, & expectata impatienter, sed quæ vix impetrata sunt, cùm videntur pretio multò majore, quàm æquum erat, constitisse. Quas difficultates plerique non devorant, quot labores non subeunt in quibus opportunitates & commoda sibi fingebant haud parva, sed quæ simul adepta sunt, sordere incipiunt illis, mox satietatem afferunt atque fastidium? quam aleam iidem non adeunt etiam vitæ, gloriam ut captent, quæ aliud nihil est quàm inane simulachrum, cujus vanitas, cùm primi ejus fructus decerpuntur, apparet? quo studio, qua contentione quæritur principum virorum, sæpe sterilis favor, non sine quietis aut etiam libertatis Jactura? quot Christianis meritò dicatur, quod Israëlitis olim Deus, significans quorsum evasura tandem esset ipsorum infidelitas. *Seminastis multum & intulistis parum.* Diu multúmque sudastis. Nervos omnes ingenii & industriæ contendistis: ad infima vos quæque dimisistis; atque hæc omnia excepit vana ac misera sors, quæ vestræ non respondit expectationi, longéque infra spes vestras amplissimas est visa. Quid ita? quoniam mundo servientes semina

mandastis infelici solo, unde alias, quàm quas proferre potest, hoc est, modicas
Aggæ. 1. fruges, expectare non debuistis. *Seminastis multùm & intulistis parum.* Argumentum hoc si persequi velim fusius, integrâ opus sit concione, quæ apud vos plus fortasse, quàm oportet, fidei nanciscatur, nullo alio fructu quàm ut suppetat unde querelas illas vestras colorare liceat, & convitia in mundum, quamvis injustè, toties à vobis jactata, excusare. Redeo ad institutam comparationem.

Longè diversa fuit Cœlitum sors. Scio in Dei famulatu non defuisse illis multa patienda: imò diffiteri non possum, vitam eos austeram, rigidam, voluntariis cruciatibus exercitam traxisse. Verùm inter tot vitæ acerbitates & cruciatus, hoc habebant præ cæteris, quòd possent & ipsi prorumpere in hæc Pauli verba,
Rom. 8. *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Sic est; multa pa-
Matth. 5. timur; sed præter quàm quòd patiamur *propter justitiam*, quòd mercedis ac præmii loco esse jam possit; præter quam quòd patimur Dei causâ, quod unum anticipata quædam beatitas videatur; nihil habent perpessiones illæ, quod cum cælesti gloriâ quæ nos manet, venire in contentionem queat; & malorum nostrorum subsidium ac lenimen est ingens, quòd minima

nimia hujus gloriæ pars moleſtias & labores omnes in virtutis ſemita ſubeundos affatim & largo cum fœnore penſabit. In eo potiſſimùm ſita fuit Sanctorum fœlicitas. Ibant, iniquiunt Sacræ Litteræ, & ſalutari dolore puncti, uberes lacrimas, pretioſa totidem meritorum ſemina, in terram profundebant. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Hac ſe tamen cogitatione conſolabantur, quòd brevi reverſuri eſſent ovantes, gaudio perfuſi, & copiosâ, quam ipſi meſſuiſſent, ſegete onuſti; hoc eſt, ingenti gloriâ quæ mala levia, Dei causâ, perpeſſis haud leve præmium futura eſſet: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Animas ſuas poſsidebant illi in patientiâ ſuâ*, hac ſpe ſubnixi, quòd brevi ſuaviſſimum illud inaudituri eſſent, *quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam* Quoniam in minimis fidelem te præſtitiſti, magni tui causâ præſtabo. Quò beatus ſis opibus non parcam. *Intra in gaudium Domini tui.* Quoniam cæleſtis gloria major eſt quàm ut eam capiant anguſtiæ pectoris tui, in eam ingredere. Tale quippe eſt in ſe myſterium quod hodiernâ die celebramus, Auditores Chriſtiani; atque hoc ipſum eſt, quod Cœlitum conſpectus, eorúmque gloria tacitè nobis innuit. Deo famulor non fideli ſolùm in promiſſis,

Pſ. 125.
Ibid.
Luc. 21.
Matth. 25.
Matth. Ibid.

sed & in præmiis suis magnifico ; qui bene facta remunerat ut Deum decet , qui non expectato æternæ, quam spondet, felicitatis tempore , centuplum eorum quæ fiunt ipsius causâ, jam tribuit , cœlesti dulcedine , qua mortale pectus inundat,actiones omnes condiente. Atque hinc alteram copipsæ mercedis notionem duco. Dixi enim , Augustinum sequutus, mercedem illam esse , quæ ad explenda hominis desideria , sola sufficit ex sese. Addidi, proprietatem hanc non convenire , nec convenire posse , nisi in cælestem mercedem. An hoc indiget probatione ? fuítne unquam res ulla efficacior ad homines vel ingratiis , ut ita loquar , in salutis semitam inducendos ? Sunt , fateor , queis mundus , mundo ipso judice , stipendia satis ampla dependisse videatur. Quin & reperias quorum officia ac promerita præmiis acceptis longè multò sint inferiora. Sed enim quotus est quisque forte qui suâ contentus vivat ? vidistin , aliquem ? videsne? ullúmne unquam visurum te speras? quòd si non sunt suis rebus contenti , quò sua illa, ut quidem videntur , præmia virtutum ? divitiis & honoribus affluunt. Crederes mundum suas omnes opes exhausisse , nihil ut iis deesset ad felicitatem. Sit ita sane. At eorundem cupiditati nihílne desit ? nihílne est amplius in votis ? súntne sibi ipsis beati ? in illa tam florente for-

fortunâ, in ſpecioſa illa & adumbrata beatitate, adéſtne reipſa quæſita illis felicitas? nonne, inquit Chryſoſtomus, in ejuſmodi conditione rarius eſt, imò fieri minus poteſt eam ut nanciſcare? nonne ſummis honoribus ſummæ ægritudines finitimæ ſunt, atque etiam conjunctæ? quis eorum numerum ineat qui eò ſunt duntaxat evecti, calamitoſiores ut eſſent, & ſuam magis ſentirent calamitatem; nulli tamen rei mundus pepercerat, quò eorum expleret ambitionem, & beneficijs ſuis cumularet. Atenim idem ſuis, ut ſolet, beneficijs interſeruerat occulta quædam amaroris ſemina, ex quibus acerbos illos fructus tandem exiſtere neceſſe fuit. Opes & divitias in eos congerendo, dederat mundus quod erat ſuam. Ipſorum verò cupiditatem ut exſaturaret, pacatum ac tranquillum animum redderet, poſitum utique in eo non erat. Quæ duo cùm abeſſent, non authoritas & amplitudo, non opes immenſæ acerbitatem ac moleſtiam ab eorum vitâ prohibuerunt. Quantumvis felices viderentur, quàm multa deerant ad felicitatem? dicet quiſpiam, debuiſſe ſibi unis ſuam illam infelicitatem imputare; infelices ſiquidem tantùm erant, quod inſatiabili laborarent cupiditate. Sed cur, inquio ego, tot fortunæ donis cumulati, adhuc inſatiabiles erant, niſi quia, ut addit

Chryſoſtomus, perſpecta, certa, æterna veritas eſt, peritura mundi bona, quantumlibet ampla & copioſa fingantur, humanum pectus explere nunquam poſſe.

Utut eſt, cæleſtis mercedis excellentiam ac perfectionem hinc colligo. Eſt enim & aliud Fidei Chriſtianæ dogma, hac unâ mercede pectoris noſtri capacitatem, imò immenſitatem implendam eſſe. Eâ ſatiandam cupiditatis noſtræ ſitim; eam fore conſummatæ beatitudinis loco; cui nihil addi poterit, & erit rerum omnium inſtar. Denique eâ mercede perceptâ, quantumcunque inſatiabili cupiditate laboremus, nos fore contentos. *Satiabor*, *Pſ. 16.* *ait Pſaltes Regius cùm apparuerit gloria tua.* Quaſi dicat; ad id uſque tempus, quæ mihi cumque bona impertierit mundus, continua me fames urgebit ac ſitis. Ad id uſque tempus fortunæ præſentis pertæſus, alienæ ſemper invidebo. Ad id uſque tempus vota votis nectens, cæleſtiúmque bonorum inanis, anxia, irrequieta ſemper mens erit. At ubi fuero gloriæ tuæ particeps factus, tunc videlicet, expletâ pectoris inanitate, incipiam eſſe in tranquillo. Non jam experiar ardentem illam cupiditatis ſitim qua urebar; non rabidam illam arcanæ ambitionis famem qua conficiebar; finem invenient vota ac deſideria mea, quoniam in gloriæ tuæ poſſeſſione

le-

plenam felicitatem, plenam requiem, plenum gaudium nanciscar; quoniam aderit unâ cum illa, secretis malis omnibus, cumulata bonorum omnium complexio. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ita Psalmographus. An per exaggerationem, aut raptus extra sese? nequaquam. Expromebat is subitos ac primos animi sensus, adeóque mirum videre non debet, si tantæ rei fide concussus, voce illâ utitur tam significante, *satiabor*. Sciebat, paratam Electis gloriam ad quam nitebatur, aliud nihil esse, quàm Deum ipsum. Fides enim & hoc etiam docet, cessurum nobis eum esse in mercedem. *Ego merces tua magna nimis.* Ego, inquit DEUS Abrahamum alloquens, ego, inquam, qui & Domiuus & herus sum tuus, merces ero idem & beatitas tua. Aliâ in re ullâ præter quàm in me, sita hæc esse non poterat; tibique sine me gloria mea omnis non sit satis. Beatus ut fores tibi ego ipse debebat. Quapropter haud aliam, præter me ipsum, mercedem tibi polliceor. Habebis me ipsum. *Ego merces tua.* Porrò facilè intelligatur qui possit DEI possessio id præstare quod hoc verbo *satiabor*, conatus est exprimere Propheta. Est enim incomprehensibilis hujus beatitudinis, qua Cœlites fruuntur, mysterium. DEUM possidebunt. DEO pleni erunt. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* Bibent illi largis haustibus,

Ps. 16.

Gen. 15.

Ps. 35.

ſtibus, DEUS optime, de inexhauſto cæleſtium deliciarum torrente, quo eorum pectus inundabit. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quid ita? cauſam affert Propheta quæ planè convincit. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Ibid.

En, inquam, Auditores Chriſtiani, quæ & qualis futura eſt merces veſtra. En quod credimus inter ærumnas ac miſerias quibus obnoxia eſt vita hæc noſtra mortalis. En quod credimus; en quod futurum olim ſperamus. Verumenim verò quoniam ſumus in carne penitus demerſi, ſatis iſtuc fortaſſe non percipimus. Fortaſſe & vos ipſi, Auditores, præſenti aliquo egetis effectu qui in oculos cadat, qui fidem ſuſtentet ac roboret veſtram. Sanè quidem, ut Evangelicum præconem decet, eâ in re veſtræ me lubet accommodare imbecilitati: eorum omnium quæ fides tradit de cæleſti mercede, ſignum, quod in oculos cadat, poſtulatis, ſignum ejuſmodi dabo. Nimirum quæcunque eâ ſuper re dixi, non ſolùm ſunt perficienda olim, ſed & jam in hominibus juſtis aliquo pacto perficiuntur. *Merces veſtra copioſa.* Res planius & apertius explicanda. Beatos in cælo DEI poſſeſſione plenè eſſe ſatiandos, argumento eſt & quidem aperto, quod homines videre eſt, qui rebus humanis, DEI causâ valere juſſis, in partem nume-

numerant felicitatis, eum unum possideree ei uni adhæresscere. Atque ut Cælestes missos faciam, nonne sunt qui in hoc etiam fragili, & caduco corpore, vitæ illius immortalis gaudia subinde præcipiunt, & quodamodo prælibant? *Sanctis qui in terrâ sunt ejus.* Fateor admodum paucos illum attingere perfectionis apicem. Sunt tamen qui attingant; & noti fortasse vobis ex illis sunt nonnulli, egregii mundanæ vanitatis contemptores, qui creatis omnibus, Deo ut placerent, generosè abjectis, quia Deum habent, habere se putant omnia. Quibus cùm satis sit Deus, Davidicum illud meritò usurpent; *quid mihi est ir cælo, & à te quid volui super terram?* imò qui cum eodem Prophetà non satiandos se aliquando, sed jam satiatos prædicent, vel anticipato, quo in hac vitá beantur, cælestis dulcedinis gustu. Nihil affingo, Auditores; suppetunt nobis homines id genus, quos oculis nostris vel ad exemplum Deus objicit, vel ad pudorem. Fervidos illos dico Christi imitatores quorum virtutes, frustra reluctante sæculi licentia, tam salutarem quaqua versum odorem afflant. *Sanctis qui in terrâ sunt.* Inter cæcos mundi amatores ne unum quidem reperias, cui mundus sit satis. Dei famulos, quibus sit satis Deus, nemo non videt. An alia re est opus ad excitandum torporem nostrum? dives suis opibus contentus, pro miraculo est. Pauperes

Ps. 113.

Ps. 72.

Evan-

Evangelici, suâ paupertate contenti, vulgare. Ambitiosum hominem non videmus suis voluptatibus contentum ; videmus, non mortuos solùm, verùm etiam mundo crucifixos homines, ansteriore vitâ, ærumnisque, quibus permittente Deo, premuntur, contentos. Uno verbo cuncta ut absolvam, Evangelicas illas beatitudines in speciem tam paradoxas, tam incredibiles, in apertam veritatis lucem proferri, comprobari re ipsa ac factis videmus. Homines dico Dei causâ, eique placendi studio, beatos quia patiuntur, beatos quia lugent, beatos quia in rerum omnium inopiâ atque egestate versantur. Beatos, inquam, vel ob id unum quòd Deo uno fruuntur, dum falsa inter gaudia, inter prosperitates secundásque res, inconsultis mundi amatoribus beatis esse non licet. Tam apertæ veritati quid est quod opponatur ?

Deum habere hæreditatis ac mercedis loco, hæc illorum est hominum, qui cum eo agunt sincerè, qui eum unum spectant, beata sors atque conditio. Dicámne, Auditores, &, an per vos licebit eâ in re testimonio mihi memet ipsum esse ; equidem istuc, quæ singularis est divini Numinis benignitas, sum expertus haud semel, quantumvis ob innumera peccata, tali beneficio planè essem indig-

nus

bus. Quoties contigit, Deus optime, ut cæleſtes illas delicias, quarum fons es ac principium, largè & ſumâ cum voluptate guſtarem! quoties divino tuo plenus Numine; cætera omnia contempſi, fluxa & caduca mundi præmia pro nihilo habui! vanas voluptatum illecebras amovebas è corde, & ne earum deſiderio teneretur, *intrabas pro eis.* Atque ex eo tempore harum voluptatum longè cœpit eſſe privatio jucundior, quàm futura fuiſſet, aut eſſe unquam potuiſſet jucunda poſſeſſio. Quod ſi in hoc exilii loco; ubi te cernere non licet niſi obſcuro fidei velo obductum, jam pectus imples; quid fiet in cœleſti illâ patriâ; *ubi facie ad faciem videre te fas erit. Quid erit in patriâ, ſi tanta eſt copia delectationis in viâ?* Si pro abdicato mundo, tui causâ; uſque adeò diteſcimus ex paupertatis tui cenſu, quid erit, & quid ſperare nos oportet ex infinitâ, divitiarum tuarum penu? *qualem me facturus es de divitiis tuis, quem divitem jam facis de paupertate tua?* Si tanti eſt multa perpeti tuâ causâ, quid erit tecum in cœlo regnare? *Et quid ero tuæ participatione gloriæ, cujus ſum jam opprobrio glorioſus?* cæleſtis merces, certa æque ac copioſa eſt; hoc oſtendimus. Addo æternam eam fore. *Ecce merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Auguſt. Confeſſ. 9. c. 1.

Idem Ibid.

idem. Ibid.

CER-

PARS III.

CERTARE Atletarum more, &, eorumdem exemplo, apertum salutis stadium decurrere, & ita decurrere, ut præmium feras; hoc enim verò illud est ad quod, auctore Paulo, sumus à Deo vocati & Sanctis semper omnibus in more & studio fuit. *Sic currite ut comprehendatis.* Atletæ autem, inquit Apostolus, quò liberiores sint in cursu, & in pugnâ expeditiores, nudant se rebus omnibus, docentque, nobis, uti Christianis, terrena omnia esse abjicienda. *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* Porro illos inter & nos hoc interest, quòd illi, inquit Apostolus, ita se gerunt, severásque disciplinæ suæ leges tantùm observant, ut corruptibilem auferant coronam. Discrimen utique admodum grave, quódque nos, si eorum non sequimur exempla, pudore meritò suffundat. *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Hæc tertia est & postrema causa, quæ sanctis olim animos non solùm erigebat & inflamabat ad fortia quæque aggredienda, sed & avellebat à terrenarum rerum studio. Illa nimirum nunquam defloreſcens, nunquam marcescens corona, destinata sibi à supremo Numine, cum fluxis & caducis mundi præmiis collata.

1. Cor. 9.

Ibid.

Ibid.

Et vero ne ab institutà discedamus comparatione, quam Paulus adhibet tam opportunè, res humanæ fragiles sunt, atque adeò non interituræ solùm aliquando, verùm etiam intereunt quotidie, & ex oculis nostris paulatim evanescunt. Quot vidimus repentè acciſas? quot magnarum domuum, quæ fuerant ejusmodi præmijs substructæ, reliquiæ tristes & sparsa miserè rudera spectantur? Quoties vobis ipsis, ex quo mundi scenam, ut vocant, intuemini, licuit exclamare cum Propheta. *Vidi hunc hominem superexaltatum & elevatum sicut cedros libani, transivi & ecce non erat.* Quæsivi eum, & alius quispiam sedem ejus occupaverat. *Quæsivi & non est inventus locus ejus.* Quot spectacula id genus in oculos nostros incurrunt? ex ijs, quorum domus fundata vel maximè, & stabilita nobis videtur, & sunt *seculi hujus Electi*, quis meliorem sibi sortem promittat & perenniorem prosperitatem? Et, quis scit, an, qui hodie inter homines fastigium tenet, ex summo illo honoris ac felicitatis gradu non mox sit dejiciendus, suóque probaturus casu, firmum esse nihil & stabile in terris, quod suis amatoribus mundus impertiat. Igitur haud expectato cujúsque interitu, quò recidant necesse est humana omnia, quot adversis casibus obnoxia sunt hæc, quæ dixi-

Ps. 36.

Ibid.

August.

diximus mundi præmia ? hoc verò unum, Auditores Christiani, satis sit ad animos vestros vel invitè avocandos ab illorum amore, &, siquid fidei superat in vobis, cælestis mercedis desiderio inflammandos. Terrestrium fortunarum instabilitas, labores in ijs servandis subeundi; periculum & metus ne amittas, mœstitia postquam amiseris, & desperatio recuperandi, inevitabilis rerum conversio, ac perturbatio, hæc, inquam, omnia mundano homini non documento solùm esse possint, verùm etiam argumento satis magno, animum ad solidiora ac præstantiora bona esse erigendum.

Et verò si sæpe animo isthæc homines versent, admonitione non egeant ullâ, aut etiam DEI verbo ad depellendum pestiferum illud quo exeduntur, ambitionis virus. Deprehenso errore proprio, perspectâque insanâ honorum libidine, multò severius sese coarguant ipsi, quàm à me ullâ unquam oratione reprehendi possint. Si quos scimus fuisse terrenarum mercedum avidiores, potuissent ventura mala prænoscere, &, quàm brevis ævi futura, esset hujusmodi fortuna, cujus architecti sibi videbantur; si earum terminum & finem notare quis certò potuisset his verbis; non fruêre his omnibus, nisi paucis admodum, qui restant vitæ annis, nunquam tam vehemen-

menti, támque periculosâ ambitione laborassent. Plus aliquid dico, nunquam animum induxissent, tot tantósque labores subire, cum tam levi operæ pretio. Eorum cæcitatem deploremus, & alieno admoniti periculo, pedem, dum licet, referamus. Ambitionis mancipia sunt effecti, quòniam seriò nunquam attenderunt, quàm anguſti limites essent ejusmodi fortunis præscripti. Terrenas mercedes secuti sunt tam cupidè, quoniam meminisse noluerunt, quàm citò illæ intercidant; quoniam conati sunt istuc oblivisci; quoniam ne subiret animum tam salubris cogitatio, ad assiduos conscientiæ clamores obsurduerunt. Harum si finem, mercedem & exitum semper attendissent, ijsdem haud magnopere dediti, usi essent, ex Pauli præscripto, *tanquam non utentes:* quia eorum mentem semper hæc percussisset cogitatio transire mundum, cum ipso & præmia ejus cuncta, *Mundus transit & concupiscentia ejus.* 1. Joa. 2.

Una Justorum merces marcorem nescit ac situm; quoniam *illi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Una hæc merces mutationis est, varietatis, & imminutionis expers. Quoniam nil est aliud, Christo authore, quàm visio, amor, & possessio DEI. Hunc autem constat æternùm ab ijs videndum in cælo,

æternùm amandum, æternùm esse possidendum. Ut reproborum supplicium erit, DEO æternùm carere, æternam DEI sentire jacturam, ita Electorum felicitas erit, DEI possessione excidere non posse; à DEO sejungi non posse; cùm DEO in omnem æternitatem conjunctos esse. *Ecce merces Sanctorum* (Atque hoc Ecclesia ipsa canere solet) *Ecce merces Sanctorum copiosa est apud DEUM.* Ecce Merces eorum qui se DEO totos dedunt; qui mandatis ejus obtemperant omnibus. *In perpetuum vivent.* Paratum illis Regnum est, sed Regnum æternum, in quo nec successio, nec ulla rerum commutatio pertimescenda. Imperium illos manet, cùm privilegium proprium ac peculiare est, perpetuitas. Regnabunt, at eorum Regnum, quemadmodum & DEI ipsius, *seculorum omnium* Regnum erit. Potestas æterna. *Ecce merces Sanctorum.* Ecce eorum merces, qui nihil non, DEI causâ, perpetiuntur; qui se ipsi, DEI causâ, sponte cruciant. Gaudio cumulabuntur, at gaudio sempiterno. Gaudio, cui intercederet ægritudo nulla; quòd tam diuturnum erit, quàm DEUS ipse; quod nec tollet ab ijs quisquam, nec tollere unquam possit. Æterna felicitas. *Ecce merces Sanctorum.* Ecce merces humilium, qui dum semetipsos abnegant, demissione suâ magni fiunt apud

Officium Divin. Antip. 3. Nocl. 3. plur. Marty. Sap. 5.

apud Deum. Gloriâ circumfluent ; ſed quam nulla res aut imminuat unquam , aut inobſcuret. Quæ ſemper nova, novum ſemper ſplendorem ac nitorem ipsâ temporum longinquitate accipiet. *Æterna gloria.*

Vultis formam illius aliquam, Auditores, & velut radium intueri? *Ecce merces Sanctorum.* Ut de immortali illâ taceam Beatorum gloria, amplos honores attendite, quibus iidem decorantur in terris. Conſiderate quo eos cultu Eccleſia veneretur, qui aliquo ſenſu, ac jure merito, cultus æternus dicatur. Ad orbis occaſum univerſi Heroum illorum victorias ac triumphos concelebrabit Eccleſia militans. Ad orbis occaſum univerſa eorum converſio, merita, virtutes, pietatis fervor, vitæ aſperitas ab ea dum prædicabitur, toties eorundem inſtaurabitur cæleſtem in Civitatem aſcriptio. Eum in finem ipſorum feſta & inſtituta ſunt, & aguntur ſolenni ritu. Præclara cujuſque facinora quot annis recoluntur à Chriſtianis, ut eorum ſubinde renovata recordatio nunquam intereat, ſed longè in conſequentes ætates propagetur. Quamdiu ſtabit Chriſti Eccleſia (ſtabit autem ſemper, quando id fixum eſt ut *portæ inferi nunquam prævaleant adverſus illam*(tandiu cultus ille, tandiu ſolennis ille ſtabit Cœlitum honor ; atque

hoc ipsum æternitatis gloriæ, qua fruuntur illi, radium, ac veluti quandam beatæ æternitatis anticipationem appello. Mundanorum hominum gloria sensim extinguitur, & eodem obruitur, quo illi, tumulo. Versantur hi, quoad vivunt, in ore & sermone hominum; at quoniam est vita ipsorum certis quibusdam cancellis circumscripta, eorum *memoria cum sonitu perit.* Quot principes, bellorum olim fulmina, de quibus nec sermo est jam ullus, nec memoria ulla. Ipsorum gloria ut temporaria erat brevibúsque finita terminis, vaporis instar evanuit. Immortalis est Cœlestium gloria. Quandiu Deus existet, tandiu vigebit eorum nomen; tandiu in honore erit. *In memoria æternâ erit Justus.* Æternus erit, Deus optime, amicorum tuorum cultus, æterna laus, æternum præconium; quoniam cùm fuerit illi & non esse unquam non possint in tuâ amicitiâ, honore semper illo, quem eis exhibemus, & multo etiam majore, quàm exhiberi à nobis possit, erunt digni. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

Ps. 9.

Psal. III.

Ps. 128.

Pretiosa merces! satin æstimari à nobis potest? *Ecce merces Sanctorum.* Quem verè atque ex animo Christianum suavissimâ voluptate non afficiat tam pia cogitatio, nobis hanc à Deo destinatam esse mercedem? *Ecce merces vestra copiosa est in cœlis.*

Væ

Væ enim nobis, si terrestribus tantùm præmiis donandi, ex eorum numero censeamur, de quibus ita Christus Servator, *receperunt mercedem suam.* Væ nobis, si *Matth. 6.* nomina nostra, cùm ea scribi in cœlo oporteat, in terrâ tantùm scribantur; cùm ex illo scripturæ oraculo, scribi in terrâ signum sit, & divinæ velut execrationis character. *Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terrâ* *Jerem. 17.* *scribentur.* Contrà verò quamvis calamitosissimi & ærumnosissimi mortalium, si sumus in Dei gratiâ, *gaudeamus quòd nomina nostra scripta sunt in cælis.* Memores semper, certissimum hujus rei pignus & argumentum, fidem esse nostram subinde exercitam à Deo atque probatam. *In hoc* *Luc. 10.* *gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Quidquid id erit tandem mali, quod nos opprimet, hoc nos consolemur, quo se Paulus consolabatur, illud nobis accommodantes quod usurpabit ipse cum tanto pietatis sensu: *momentaneum hoc* *2.* *& leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ* *Cor. 4.* *pondus operatur in nobis.* Breves illæ ac leves vitæ præsentis ærumnæ, hoc est, morbus ille à Deo immissus; injustitia illa, qua premor; damnum illud, clam importatum; procella illa in me excitata à malevolis; accepta illa, temporum iniquitate, bonorum jactura; abjectio illa

exorbenda mihi, (quantumvis enim durent hæc omnia, sunt utique ex Apostoli mente, momenti instar, quod statim effluit, *momentaneum hoc & leve*) illæ, inquam, omnes vitæ præsentis ærumnæ, 2. Cor. 4. *æternum in nobis operabuntur gloriæ pondus.*

Vultis, Auditores, vobiscum agam argumento quod grave sit, quod afficiat, quod convincat, quod incitamento sit ad patientiam? potuitne à me ullum afferri, in quo isthæc omnia magis, & excellentiore contineantur modo? æternitatem dico hujus gloriæ, quæ est futura Sanctorum in cœlo merces. Hac cogitatione impavidi in pugnis extiterunt & invicti. Hac eâdem, teste Apostolo, *tormenta viderunt*, ignem, ferrum, & quæ sunt magis horrenda in morte atque acerba. Id ipsum sustentat eos atque confirmat inter gravissimas tentationes, quibus Deus eorum fidem periclitari solet atque constantiam. Nihil non patiuntur non æquo solùm, sed & læto animo, Sapient. 3. *quoniam spes illorum immortalitate plena est.* Cur eorum facta non æmulamur? cur eorum vestigiis non insistimus? an pugnæ sunt nobis æque graves obeundæ! an restitimus usque ad sanguinis, ut illi, effusionem? cur ergo tam imbelles sumus & ignavi? cur degeneres virtutis illorum quos imitari decet, tam socordes sumus, ubi illorum exemp-

exemplo, noſmetipſos debellare fortiter ac vincere, oporteat ? nimirum beatam illam immortalitatem non ſpectamus ad quam heroes illi anhelabant, cujus ſpes eos pungebat, excitabat, obſtacula cuncta perrumpebat. Triſte ac deplorandum diſcrimen quod illos inter & nos deprehenditur! tollatur illud à nobis. Argumento illi, quo permoti ſunt, eorum adjungamus exemplum, quod ab Eccleſia nobis proponitur. Vires & ſanctimoniam hauriamus ex beatâ illâ cæleſtium bonorum ſpe. Fruſtra alioqui, Chriſtiani Auditores, fruſtra Sanctorum feſta celebramus; fruſtra de eorum apud DEum gratiâ nimium confiſi, ipſorum opem imploramus. *Summa Religionis, inquit Auguſtinus, eſt imitari quod colimus.* Æternæ gloriæ ſpecies fecit ut ſorderent ipſis tertena. Idem efficiat oportet in nobis. Immortalitatis fides ad vitæ ſanctitatem ipſis à Chriſto propoſitam eos evexit. Eâdem viâ ad eam & ipſi perveniamus neceſſe eſt.

Hoc ipſum à vobis, Beatiſſimi Cœlites, quorum memoriam hodiernâ die recolimus, efflagitamus, aut, ut à DEO efflagitetis, enixè petimus. Quæ ſors olim veſtra fuit, eadem nunc eſt noſtra; & quæ veſtra nunc eſt, eandem ſperamus aliquando noſtram fore. Quas experimur

miſerias vos eſtis experti. Veſtram felicitatem ſuſpiramus. Quamquam peccatis obnoxij, fratres veſtri ſumus. Quamquam loco ſejuncti à vobis, juncti vobiſcum ſumus arctiſſimo neceſſitudinis vinculo, Sanctorum videlicet communione. Quamquam miſeri terrarum incolæ, ut fideles, ut Chriſtiani, *cives veſtri ſumus, &*
Eph. 2. *domeſtici DEI. Cives Sanctorum & domeſtici DEI*, quamquam pauperes & *gementes in hac lacrimarum valle*, nihil minus habe-
Mom. 8. mus propoſitum quàm ut DEI filij, quàm ut veſtri, quàm ut *Chriſti cohæredes* fiamus. Reſpicite nos his ornatos titulis, atque adeò veſtrâ charitate non plane indignos. Reſpicite quos implere vobiſcum oportet Electorum numerum; & quorum ſanctimonia vobis unicè cordi jam eſſe poteſt. Vota noſtra æquis auribus accipite, &, ut eadem ab ipſo ſuſcipiantur, cujus ſolio aſſidetis, & quem vos exaudire etiam juvat, facitote, patrocinij, zelique veſtri partem in nos aliquam derivate. Patroni ac præſides noſtri eſtote apud DEUM, ut veſtri imitatores eſſe optamus. Veſtra fruimini felicitate, noſtræ ut egeſtatis non obliviſcamini.

Habent utique nos in memoriâ, Auditores, & tantùm ſunt de ſalute noſtrâ ſolliciti, quantùm ſunt de ſeipſis ſecuri.

Fre-

Frequens nos & copiosa turba desiderat. Inquit Cyprianus, *jam de suâ immortalitate secura & adhuc de nostra salute sollicita.* Igitur cùm certum habeamus eorum opem & patrocinium non defuturum nobis, id agamus unum, ut eorum exempla sedulò imitemur, quæ nobis alioqui damnationis futura sunt materia & causa sempiternæ. Fingamus itaque animo & cogitatione, verbis iisdem quibus Paulus Corinthios olim, singulos illorum nos compellare. *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Denique eorundem mores, pugnas, patientiam repræsentemus in nobis, si cum ipsis regnare aliquando, si ipsorum gloriam participare volumus.

Cypri. de mortalit. sub finem.

1. Cor. 11.

Illa ipsa est gloria, REX CHRISTIANISSIME, quæ Majestati tuæ reservata in cælo, ipsius felicitati cumulum est additura. Cætera omnia quamquam magna, quamquam inaudita, quamquam omni laude majora, sunt multò infra Majestatis tuæ sortem. Debet sanctitas vitæ, eadémque cælesti gloriâ munerata, tam præclaris facinoribus fastigium imponere. Nemo me assentari tibi suspicabitur, si Regem dixero post homines natos nullum, tibi in arte regnandi præstitisse. Verumenimverò artis hujus scientia, quâ tam sapienter hominibus imperitas, tibi, Rex Christianissime, valde inutilis & supervaca-

vacanea fuerit si artem ignores illam, qua mortales cælesti Regno fiunt idonei. Si Principum felicitas posita esset in victoriarum numero, si in regijs illis & splendidis virtutibus, quæ Heroum sunt, & fiunt ab hominibus tanti, nihil haberet Majestas tua amplius exoptandum. Sorte suâ contenta, tot victoriarum fructu placidè ac tranquillè frueretur. Sed enim hæc omnia majestati tuæ sunt parum. Posses quidem cùm paucioribus etiam virtutibus videri Rex, qualem profani homines requirunt, numeris omnibus absolutus. Verùm ut est Majestas tua admodum perspicax, satis intelligit, quæ absolutum ex mundi legibus & perfectum Regem efficiunt, ad solidam ac veram Regis Christiani felicitatem satis non esse. Regnant in cælo innumeri, qui nunquam regnarunt in terris, atque hoc satis est ad felicitatem. Regnant in terris haud pauci Principes reprobi, atque adeò miseri, qui nunquam regnaturi sunt in cælo.

Ep. 206. *Confido*, inquiebat Bernardus, *quod hic & in æternum regnabitis.* Quod ad Reginam scribebat vir sanctissimus, ego nunc Majestati tuæ libens dixerim; ipsam nimirum perruptis difficultatibus ac periculis, quæ Reges circumstare solent, ad veritatis, hoc est, fidei Christianæ, leges vitam exigentem, per regni terrestris administrationem,

nem, Regnum æternum consecuturam. Eâ mente atque consilio, Rex Christianissime, incruentam hostiam divino Numini offerre non intermitto. Felix, si, dum Majestati tuæ nemo non plaudit è profanis mundi amatoribus, ego mundo illo procul, gratiam ipsi cælestem aliquam, ex illis quibus Reges *Magni coram Deo, & juxta cor ejus* fiunt, impetrare valeam! tuum est, & gratiæ tuæ prælo. 1. Jerem. 3. potentis opus, Deus optime, maxime, Reges ejusmodi, Reges sanctos effingere. Atque hoc ipsum valde me recreat ac reficit, quod is apud quem verba facio, soliditate & excelsitate animi, potest maximis tuis consiliis omnino respondere. Est veluti vulgare & consuetum cælestis gratiæ opus, Christiani hominis sanctitas; dynastæ, opus excellens; Regis, miraculum; Regum maximi, ac potentissimi sanctimonia, eidem gratiæ, ceu prodigium, ascribetur. Eris tu, Deus optime maxime, sanctimoniæ hujus amplissima merces, Amen.

IN

IN DOMINICA PRIMA ADVENTUS CONCIO.

De Judicio extremo.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & majestate. *Luc.* 21.

REX CHRISTIANISSIME.

ADmodum scitè notavit Gregorius Naziancenus, Majestatis nomen nunquam in Evangelio Christo tribui, nisi cùm de summâ illâ & formidolosâ die agitur, qua die eundem Christum sessurum judicem fides docet. Et animadversione valde dignum est, inquit Hieronymus, Deum hominem factum, qui tot nominibus Rex erat,

erat, non nisi semel & iterum titulum hunc insignem sibi assumpsisse. Primùm quidem coram Pilato, hoc est, inter acerbissima propinquæ necis exordia; ibi enim, quemadmodum discipulis ipse suis significaverat haud multò ante, hominum judicium jam auspicabatur. *Nunc judicium est mundi.* Tum in ipsius judicii, quæ apud Matthæum extat, descriptione; ubi non sese alia quàm Regis appellatione designat; quia nimirum acceptam à Patre in mortales omnes potestatem tunc temporis planè exeret ostendétque: *Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt.* Joan. 12. Matth. 25.

Et verò Regum propriè ac Principium est, judicia exercere, nec regia Majestas unquam augustior, quàm cùm sedet pro tribunali; longè venerabilior, cùm illius est, qui diadematis splendori sapientiam addit planè Regiam; qui egregius suorum æstimator, eximias cujusque virtutes æqua lance suspendit, qui supplicia flagitiis, soli virtuti præmia proposita habet, injustitiæ non solùm & oppressionis vindex, sed & justitiæ ipsius rigidus censor, forensibus vitiis persecandit, jurisque civilis disciplinæ constituendæ haud segniter intentus; cujus ad solium pater accessus etiam infimis; qui privatorum querelis patientem aurem dum commodat, judices hac via & magistratus in officio continet;

deni-

denique qui, ut dignitate cunctis anteſtat, nihil habet prius, quàm ut cunctis æquabilem teneat juris rationem. Quæ enim divini judicii ſpecies ac forma clarior, quod illius argumentum certius uſquam atque expreſſius exiſtat?

At enim, Rex Chriſtianiſſime, ſi Regum hoc proprium eſt, ut in ſubjectos ſibi populos judicia pronuntient, non minus conſtat, Dei proprium hoc eſſe, ut in Regum ipſorum facta inquirat, & animadvertat per quàm ſeverè, atque ut ſupremi dominii prærogativa quædam eſt, à Deo ſolo judicari poſſe, ita ſupremæ, quam Deus in homines obtinet, poteſtatis inſigne eſt argumentum, ut ſolus Regum omnium Judex & habeatur & ſit. Id ipſum in Sacris paſſim literis ipſe ſignificat; ac quamvis nulla non hominum conditio ſummi Judicis Chriſti tribunal vereri & formidare debeat, Regibus tamen præcipuam illius formidinem, quaſi deditâ operâ, proponere videtur. *Terribili apud Reges terræ.*

Pſ. 75. De eo judicio, Rex Chriſtianiſſime, ad quod Reges juxtà ac populi nullo diſcrimine vocandi, verba mihi ſunt hodiernâ die facienda. Quod argumentum Paulus Apoſtolus coram ethnicis ipſis cùm tractaret, tam vividam adhibuiſſe traditur, támque vehementem, orationem ut pavore ſubitò perculſi, conturbati, defixi, fac-

sacrum oratorem, cùm verborum fulmina sustinere ultra non possent, à se dimitterent. *Disputante illo de justitiâ & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.* Act. 24. Non sum equidem cælesti illo succensus ardore, nec vividâ illâ eloquentiâ, qua Paulus olim, instructus. Atenim illud me non parum reficit ac sustentat, quòd dicendum mihi est apud Regem Christianum, imò apud Regem maximè Christianum; apud Regem docilem ad Evangelica dogmata; nec paratum minus ad uberes ex ijs fructus capiendos, quàm ad ea pronis auribus admittenda. Quapropter Evangelici muneris functioni quam obeo, tametsi indignus, multò feliciorem ominari ac spondere mihi cursum & exitum, quasi pro meo jure, debeo. Eam in rem præsidium mihi opus est cæleste, quod & opitulante Virgine Deiparâ, supplex postulo petóque. *Ave Maria.*

EX omnibus sententijs quibus divinam justitiam adumbrare student vetustissimi Ecclesiæ Patres, pulchrior nulla, nulla firmior, sensu uberior nulla videtur, quàm illa Tertulliani, quæ, nec semel est audita à vobis, nec satis unquam pro merito potest expendi; DEUM de suo optimum, PARS I.

mum, de noſtro Juſtum eſſe. *DEUS de ſuo optimus, de noſtro Juſtus.* Hac unâ in voce, Chriſtiani Auditores, hodierna vertetur concio; ac quamvis argumentum de quo dicendum mihi eſt, latiſſimè fundatur, & penè infinitum ſit, in eâ tamen Tertulliani ſententiâ hærere conſtitui; utpote quæ ſatis eſſe videatur ad aperiendum vobis non minus venerandum, quàm tremendum divini Judicij myſterium. In id igitur incumbam; ut DEI juſtitiam demonſtrem pendere à nobis ipſis. Si ſevera ſunt judicia ipſius, quod ſcriptura ſignificat, proficiſci à nobis ſeveritatem illam omnem. Talem eſſe in nos DEum, qualem illum efficimus. Denique cùm nos judicabit aliquando, ex nobiſmetipſis eum utique judicaturum.

Tertull. de Reſurr. c. 14.

Ut ad propoſitum accedam, ordinéque & viâ concio procedat, duo in nobis ad divinum judicium neceſſariò referri animadverto, fidem & rationem. Ut Chriſtiani fide, ut homines, ratione ſumus à DEO donati. Fides ſupremum eſt lumen, in ipſo ortu divinitus acceptum: ratio, eſt lumen naturale nobiſcum natum. Ad inſignes illas humanæ vitæ regulas, ad lumina illa duo judicia ſua DEUS exiget. Ut Chriſtianos, judicabit ex fide. Ut homines ex ratione. Igitur, ſi ſeveritatem in nos adhibebit è duobus his capitibus ac veluti

veluti principijs severitas illa omnis petitur. Concionis scopum & partitionem, quæso percipite. Divini judicij severitas ducta ex Christiani hominis fide, hoc primum, divini judicij severitas ducta ex flagitiosi & irreligiosi hominis ratione, hoc alterum erit concionis caput. Quæ duo fidei & doctrinæ morum placita ut nullâ concionatorum eloquentia exhauriri possunt, ità ex ijs quæ sum dicturus, cujus illa momenti sint, nolite existimare; ad id certè valebit oratio nostra, ut quid vobis ex utroque illo capite sit metuendum facilè cognoscatis. Tertulliani apprimè sapiens & gravis sententia est, quæ quàm vera sit satis superque patebit in die judicij; fervidam quippe Gentilium in deos suos pietatem cùm admiraretur, & componeret cum Christianorum tepore in veri Numinis cultu, agnoscite, inquit, diaboli ingenium. Nulla est propria divinitatis nota quam non assumat. Iidem honores, qui DEO, tribuuntur. Non sacrificia, non victimæ, non martyres eidem desunt. Admittuntur ipsius leges & servantur multò accuratius, quàm divinæ. Hæc omnia nimirum vendicat ille sibi, quò nos olim coram DEO pudore suffundat, miseros illos mortales dum objiciet, qui cæcis mundi erroribus abrepti, velut seculi DEO submittunt sese, & ad ejus arbitri-

bitrium nutúmque accommodant. *Agnoſcamus ingenia diaboli, idcirco quædam de divinis affectantis, ut nos de ſuorum fide confundat & judicet.* Sic gentilium fides, quod permirum videri debet, veniet in partem judicij in Chriſtianos olim exercendi; ſic fideles DEI famulos ipſa infidelitas eſt damnatura.

Tertull. de Coronâ in fine.

Si ſe ita res habet, & gentilium fides, tametſi ſuperſtitionibus ſcatens, uſque adeò metuenda nobis eſt, quid non à fide ipsâ Chriſtianâ metuendum? ab hac enim fide noſtrâ auſpicabitur Cæleſtis Judex. Ethnicorum fides erit tantùm velut quædam judicij appendix. Fides noſtra, fides quam profitemur, præcipuum erit illius caput. Quódque mirum ſortaſſe videatur, & percipere vos velim ut rei mox exponendæ cardinem, ex Religione nos noſtrâ DEUS judicabit; ſeu eam ſedulò retinuerimus; ſeu nuntium ipſi tacitè remiſerimus; ſeu propoſita nobis dogmata conſtanter atque ex animo crediderimus, aut ſecus. Videntur hæc inter ſe pugnare. Nam quæ fides credenda proponit, ſi non credimus, qui dici poteſt noſtra? ſi verò noſtra non eſt, quomodo ex eâ DEUS nos judicaturus dicitur? nodum hunc expedire meum erit; atque ita expediam, uti confido, rem ut propoſitam validè confirmet difficultas ipſa, ne dum infirmet.

In

In eam igitur sententiam concedamus quæ pietati vestræ, muneríque nostro magis consentanea est. Profitemur nos Christianos, ac quoniam ita nominamur, postulat officii mei ratio, ut ponam quasi rem certam, inesse in nobis fidem illam, quam profitemur exterius. Hoc posito, ajo nostrâ illâ fide, ad nos judicandos, Deum usurum. Quo jure conditionem hanc rejiciamus? cognoscite nunc, Auditores, qua ratione judicium hoc sit instituendum. Judicabit nos Deus ex fide nostrâ, quoniam apud ipsum fides illa partes accusatoris aget: quoniam testimonium dicet in nos: quoniam in reprobis si numerabimur, sententiam ipsa nostram dictabit. potéstne quid venire in partem judicii magis diversâ simul ac directâ via?

Sic est; accusabit nos apud Deum fides nostra. Hoc Christus asserit disertis verbis. *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses.* Joan. 5. Mosis autem nomine, ut notat Augustinus, Mosen ipsum non intelligit, sed legem à Mose traditam; sacras litteras, quas Judæi per manus acceperant à Mose; uno verbo Religionem quam sequebantur, & à Mose fuerant edocti. Quasi dicat; hæc Religio, hæc lex, Hæ Scripturæ insurgent in vos coram Judice Deo. Quod autem de Judæis Christus dixit, de

nobis multò verius est ; nam præter hos Mosis libros , qui sunt nobis cum Judæis communes , habemus Evangelium , quod & Christianorum proprium est , & perpetua, si animum advertimus , morum nostrorum accusatio in multis Capitibus , de quibus apud Mosen & Prophetas siletur. Ergo subeunda nobis erit longè gravior, quàm Judæis, & durior accusatio. Quamobrem ? quoniam Christiana Religio, quæ Mosaïcæ Religioni dogmata super addit Evangelica , amplior & explicatior , imò sanctior & perfectior est , atque adeò plura nobis , quàm Judæis , habebit exprobranda.

Hoc ipsum est quod Apostolus significare voluit loco illo tam insigni Epist. ad Rom. Ubi de supremo judicio dum sermonem habet , hominanarum cogitationum quendam ait futurum veluti conflictum , interea dum scrutator cordium Deus, quæ sunt in eis maximè occulta & abdita palam faciet. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus , in die , cùm judicabit DEUS occulta hominum.* Cogitationes autem illæ quæ accusabunt invicem , quæ teste Apostolo veluti confligent , & collidentur , illæ, inquam , ipsæ hominem improbum distrahent conscientiam inter & fidem. Hoc credidisti, inquiet fides , ita vixisti , inquiet con-

Rom. 2.

conſcientia. Hæ duæ cogitationes, hoc credidiſti; ita vixiſti; dum ſic pugnabunt, maximè legitimam accuſationem inſtituent. Inſurget fides in malam conſcientiam; conſcientia ſcelera objecta diluere conabitur; donec fides conſcientiam tandem victrix elinguem reddet, conturbabit, opprimet. *Inter ſe cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus.* Hæc eſt Chriſoſtomi paraphraſis in citatum Apoſtoli locum.

Dixi Chriſtianam fidem, primùm in nos teſtimonium dicturam. Atque hoc cum Auguſtino; qui rem ut explicet, valde notandum adhibet diſcrimen peccatores inter & juſtos, Fides quippe, inquit ille, teſtimonium juſtis pro teſtimonio, peccatoribus verò teſtimonium contra teſtimonium reddet. Animum, quæſo, advertite; dicit Auguſtinus, fidem Chriſtianam, teſtimonium pro teſtimonio juſtis reddituram, quia conſtat. juſtis inſigne fidei ſuæ teſtimonium apud DEUM dandum eſſe; eritque illud dati ab ipſis apud homines fidei ſuæ teſtimonij merces. Ut moribus illi ſuis vitâque ſanctiore fidem apud homines ornant ſuam; ita viciſſim fides, ipſorum apud DEUM virtutes & rectè facta dum commendabit, ornabit, Contra autem, addit Auguſtinus, eadem hæc fides, teſtimonium improbis contra

testimonium est redditura. Quoniam cùm hi fidem suam depravatis moribus negent, illa vel invitis dum videndam se obtrudet & recognoscendam, acerbissimè coarguet. Qua autem ratione fieri id oporteat, docet Tertullianus in egregio illo opere, quod scripsit de testimonio animæ; ubi hominis reprobi animam exhibet secum ut ita loquar, & cum Deo ipso luctantem. Nam simul ut summus ille Judex unâ ex parte reprobum hominem urgebit, parte ex aliâ fides ipsius, ut incorruptus testis, hunc in modum instabit, Sic est credebas in Deum, sed servire, sed placere ipsi non magnopere laborabas. Mundo, ut Christianus, nuntium remiseras, at eras vile ipsius mancipium. Lignea & lapidea gentilium simulachra detestabare, at carnea tibi idola fingebas: *Deum prædicabas, & non requirebas; dæmonia abominabaris, & illa colebas.* Tale est testimonium, inquit Tertullianus, quod in homines reprobos dictura olim est fides Christiana. In eòne hærebit? minimè verò. Hoc enim testimonio in eos dicto, feret ipsa in eosdem æternæ damnationis sententiam. Sed quibus verbis? (notate hoc) verbis iisdem, quibus extat in tot Evangelii locis. Quid enim iteratum sæpius in Evangelio quàm anathemata illa à Christo in Christianos ne-

quam

quam jactata ? quid sunt autem anathemata illa nisi sententiæ totidem in reprobos jam ante scriptæ , & quibus hoc deest unum ut pronuncientur. Cùm legimus apud Matthæum. *Væ mundo à scandalis ; væ vobis hypocritæ ; væ vobis divitibus. Væ vobis qui consolationem habetis vestram.* Væ vobis homines voluptarij qui nihil nisi voluptates consectamini ; væ vobis divites superbi , quos nullæ tangunt pauperum calamitates ; væ vobis hypocritæ, hoc est, seculi hujus sapientes , qui vanam tantùm probitatis speciem præfertis ac larvam. Væ vobis , qui pravis vitiorum exemplis , ad sempiternum interitum fratrum animas pertrahitis. Non cuncta hæc admittimus , ut emissa totidem ex ore Christi servatoris oracula ? hæc autem , ut jam dixi , totidem erunt decretoriæ in supremo illo die sententiæ. Ea Christus omnia collecta in unum , singulis hominibus accommodabit. Hoc unum verbum , *væ vobis divitibus* , eandem vim habebit ad avari hominis damnationem , atque illud, *discedite maledicti.* Ita judicium illud omni in Christianorum Religione ac fide vertetur.

Matth. 18. Matth. 23.

Habetis in his quæ dixi , Christiani Auditores, expositionem , imò sensum genuinum ac proprium sententiæ illius tam miræ , tamque in speciem paradoxæ ;

Joan. 3. *qui credit in eum, non judicatur.* Neque enim Christus significat, eum qui credit, propterea quod crediderit, quasi ex privilegio quodam non venturum ad supremi Judicis tribunal; sed sensus est, quisquis credit, propterea quod crediderit, non esse judicandum. Quoniam ubi semel quis crediderit, suimet ipse futurus est judex, nihil ut jam alio judice sit opus. Aut enim ipsius vita fidei ac religioni Christianæ consentanea fuisse reperietur, túncque Religio eum sola defendet & ponet in tuto; aut cum fide, nullâ ratione vita congruet; tuncque sola fides eum damnabit. Itaque Christus illum, si fas est ita loqui, quia judicatum reperiet, non judicabit. Unum ipsi restabit, nempe ut confirmet ratúmque habeat judicium illud latum à fide nostri, & è privato atque occulto, publicum reddat. En quod mihi primùm, Auditores, in mentem venit eo de Argumento.

Sententia permovendis animis, sed præsertim terrori incutiendo aptissima! mea me judicabit Religio! quàm ampla vox! quid illa & quantùm sonet, percipite, Auditores. Mea me judicabit Religio! Religio illa tam sancta, tam integra, tam illibata; Religio, vitioso mei ipsius amori, meisque cupiditatibus tam contraria; à mundi legibus, è quibus totus pendeo, tam abhorrens; Religio tam rigida & severa

in

in ſuis præceptis, quàm DEUS ipſe in judicando; imò cujus præcepta nihil ſunt aliud quàm judicium ipſius DEI. Is de me, ex Religione illâ in omnem ſtatuet æternitatem, in illa vertetur vitæ meæ totius examen. Non erit poſitum in nobis ut judicem hunc recuſemus; non noſtri juris erit & arbitrii poſtulare ut actiones noſtræ in aliâ quàm cæleſti appendantur ſtaterâ. Purgationem nullam DEUS admittet, niſi quæ Chriſtianæ Religionis principijs nitetur. Quidquid id erit quo vitam excuſabo, ille me ſemper revocabit ad fidem illam, ſubigétque reſpondere ad capita totidem, quot illa dogmata tradiderit, nullum autem eſt ex ijs, quod materiam non præbeat per quàm rigido examini. Ac quoniam Crux Chriſti ſumma eorum eſt omnium, quæ fides docet; Crux, inquam, Auguſtum illud & venerabile *Filij hominis ſignum*, parebit decoro lumine ſplendida, ut mei, ac mortalium omnium ſit, ut eſſe cœpit, judicij norma, cùm primùm in Calvariæ monte ſublimis apparuit. *Tunc parebit ſignum Filij hominis.* Ponetur mihi ante oculos ſacrum illud vexillum, &, ſi quid in me erit ab eo alienum, ſi quid illius non munitum ſigillo à ſuis oculis DEUS, velut adulterinum, removebit & ſe indignum. Itáne verò, DEUS optime, in perniciem noſtram vertes ipſum *Matth. 24.*

sum humanæ salutis instrumentum ; & quod est in nobis sanctius, fidem dico Christianam, contra nos etiam armabis ? sic est utique, Auditores, atque hoc ipsum vigilantiam nostram acuere, imò metum nobis & horrorem, tremendi judicij expectatione pendentibus, meritò incutere debet. De eo, quoad vivimus, non cogitamus, aut, si cogitamus, parum afficimur ejusmodi cogitatione. Quoniam Christianæ fidei dogmata celeri tantùm mentis acie perstringimus, inde fit ut impendentia nobis mala vix formidemus. Arcta illa salutis via, illa obeundæ pœnitentiæ necessitas, illa carnis & vitiorum extinctio tam disertè in Evangelio præscripta, totidem verba sunt speciosa dictu, quæ reverenter quidem, ut par est, excipimus, & non nunquam ingerimus aliis magnificè, sed quorum sensum, ubi re & factis sunt comprobanda, vix nos percipere testamur. Atenim ubi Christus cùm omni Majestatis splendore, cùm immenso potestatis pondere, Evangelica illa dogmata animis nostris altius insculpet, eáque cum vitæ nostræ ratione componens, fidem & mores nostros monstrosè inter se diffidere & discordare ostendet ; ubi ptincipia illa contemptûs & abnegationis sui ipsius cum injustitiâ nostrâ, cum odio illo proximi, cum animi mollitie,

litie, cum deliciarum & commodorum ſtudio, quo flagramus, contendet, tunc enimverò diſcemus, quàm ſit *horrendum incidere in manus Dei viventis*; Dei, inquam, non jam autoris ſolùm & conſumatoris, ſed & vindicis fidei noſtræ. Nunc veluti languida aut penè emortua jacet in animis noſtris fides illa, ut videatur Chriſtus dubitare, cùm in ſupremo die venturus eſt, aliquas ne ejusdem fidei reliquias ſit in terris reperturus. Reperiet tamen, Auditores, & reperiet vel quantùm ſatis erit ad judicium & damnationem noſtram. Fides quippe illa, quæ in nobis velut emortua ac ſepulta erat, reſurget nobiſcum, & in miraculis Chriſti, *quia vita eſt & reſurrectio noſtra*, numerabitur, quòd faciet ut unà cum corporibus fides in nobis noſtra reviviſcat. Hæc autem fides (audite præclaram Auguſtini ſententiam) hæc fides, ſic quaſi è buſto & cineribus noſtris, Chriſto jubente, rediviva, ipſius vindictam implorabit. Adverſus quos autem? non adverſus tyrannos, quorum vexationes honori ducit maximo. Non adverſus ethnicos, qui eam non ſunt amplexi. Infidelitas illos ſua minus quodammodò inexcuſabiles reddet. Sed contra nos ipſos. Qua verò de re? de illatis ſibi à nobis injuriis. Quòd vitæ mollioris veterno torpore eam ſiveri-

Hebr. 10.

Joa. 11.

ſiverimus, de bonorum operum frugibus metendis ac colligendis nunquam ſoliciti. Quòd ipſam peccati ſervitio addixerimus, in quo annos integros, quæ animi noſtri duritiei fuit, tranquillè & ſedatè permanſerimus. Quòd ipſi dedecori fuerimus, quoties tam multa nomine Chriſtiano, & baptiſmatis impreſſo charactere commiſimus indigna. Quòd vitio noſtro in vituperationem venerit & contemptum hæreticorum, qui, ut ſunt capitales ejus hoſtes, oblatam occaſionem illi & nobis obtrectandi haud dubiè tenuerunt. Quòd cùm ex ſeſe provehere nos poſſet ad ſanctimoniam haud vulgarem, prohibere, culpâ noſtrâ, non valuerit, ne in impiorum hominum numerum veniremus. De his omnibus Chriſtiana fides acerbè cùm DEO expoſtulabit. Orabit vindictam; orabit, & noſtro impetrabit infortunio. Verùm ſi fides planè extinguatur in nobis; ſi fiat morum noſtrorum corruptelâ, ut in ſecretam quandam infidelitatem delabamur; eò enim ſenſim perducit peccandi conſuetudo; anne etiam ferendum ex fide judicium nos manet? cavete, quæſo, ne vobis effluat quod ſum dicturus; en difficultatis nodus quem mihimet ipſe ſolvendum propoſui. Sic eſt, Auditores; ex hac etiam fide in nobis extinctâ, judicium in nos conflabitur,

&

& arcana illa infidelitas divini judicii severitatem augebit, tantùm abest, ut imminuat ullo pacto. Est enim animo comprehendendum penitus ac tenendum (ita Hierohymus) quod nunquam fortasse satis attendimus, magnum in Dei judicio discrimen fore inter ethnicum Christianæ legis ignarum, & Christianum hominem, qui ei cognitæ jam & admissæ nuntium tacitè remiserit; Deúmque ex justitiæ suæ legibus, longè aliter cum altero de duobus acturum. Nemo ignorat; hominem ethnicum, cui lex Christiana nota noti fuerit, ex ea lege non judicandum; Deúmque, tametsi omnipotentem, acturum cum eo ex æquitate illâ naturali, ut ipsum, ob violatam legem prorsus incognitam, non condemnet. Istuc ipsum docet Apostolus dissertis verbis. *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Sed contendo ego, longè diversam fore Christiani hominis rationem, qui fidei jugum jam receptum olim in Baptismate, diúque servatum sponte excussérit; contendo, eum, cùm peccaverit post acceptam Christi legem, ex eâ lege puniendum, eúsque defectionem, primum fore instruendæ in ipsum accusationis caput; neque enim fas illi erat, inquit Chrisostomus, huic legi obligatam in baptismo fidem frangere. Cùm longâ Christianæ Religionis professione ratum Rom. 2.

fecis-

feciſſet ſolenne illud ſacramentum, non poterat, vel per interiorem, quam dixi, defectionem, idem violare atque reſcindere. Quid ergo eo homine fiet? videte quàm calamitoſus ſit finis & exitus hominis impii. Illa Chriſti lex ſic deſerta ac repudiata, impium inſequetur & accuſabit apud Deum, ut ſacroſanctæ militiæ deſertorem. Atque ut profanæ militiæ deſertor, ſi capi eum contigerit, ſeveriſſimas ſubire cogitur diſciplinæ militaris leges; & meritò quidem, ut vulgò cenſetur; debet enim, inquiunt, legum ſeveritatem experiri, quiſquis eas ſponte acceptas violare non dubitat; ſic, & potiori jure, impius ad DEI tribunal citatus ut religionis deſertor, ex ejuſdem Religionis legibus ac præceptis eſt judicandus. Neque cauſari ille poteſt deſertam à ſe Religionem, nec habitam pro ſuâ. iſtuc enim ipſum crimini vertetur, quòd non habuerit pro ſuâ, tantùm abeſt ut excuſet. Eò pertinet nobilis illa Cypriani ſententia de Baptiſmo. *Baptiſmus ornat Chriſti militem, convincit deſertorem*; ſemper enim Chriſtianæ militiæ deſertorem eum appello, qui Chriſtum abnegavit interius, quávis externũ ipſius cultum adhuc retineat.

Scio quid opponere poſſit infidelitas (nulli enim malo non occurrendum) Scio liberos nos eſſe in fide etiam profitendâ; ſcio, Religionem, virtutem eſſe,

quæ

quæ voluntatis consensum postulet, nec Christianum quemquam esse posse, ni velit esse Christianus. At non inde sequitur, fas nobis esse nomen dare Christo, vel non dare, prout libido suaserit; póstque acceptum & admissum ipsius Evangelium nobis integrum esse ac liberum repudiare ex eo quidlibet aut retinere. Nostrum igitur erit, si eò unquam devenerimus impietatis, ut tam sanctam fidem in animis nostris extinguamus, vetas DEO interroganti tanti mali causas afferre. Quas autem afferemus? dicemúsne, haud satis firmis nixam rationibus visam esse Religionem illam? mirum erit profectò, nos ijs rátionibus victos non cessisse, quibus orbis cessit universus. Mirum, Religionem, quam homines præstantissimi amplexi sunt; cui Augustinus, cum admirabili illâ sublimitate & sagacitate ingenij resistendo non fuit; quæ miraculorum evidentiâ de ethnicorum triumphavit erroribus; quæ ex suis principijs, ex argumentis legibúsque suis, ex doctrinâ, ex mysterijs, ex mirabili constitutione spectata, notas habet divinitatis omnes, mirum, inquam, erit, non potuisse à nobis ejusmodi Religionem approbari. Sed necesse non erit in eas DEUM defectionis nostræ causas inquirere. Satis erit scisciari à nobis, num re ipsa suadente ratione pristinam obedi-

obedientiam abjecerimus. Num priusquam pedem figeremus in tam lubrico ac periculoso loco, peritos adierimus consilij causâ: num adhibita matura deliberatio: num veri discendi studium & voluntas adfuerit. Et, si nihil eorum est prætermissum in vero investigando; an qua par erat animi demissione, docilitate, sinceritate; an mente nullis occupatâ præjudicijs; præcipuè verò an eâ vitæ integritate quam cælesti gratiæ viam veluti sternere oportebat; in re quippe tanti momenti nihil prætermittendum, nihil negligendum erat.

In ijs autem omnibus DEO non deerit unde nos convincat atque condemnet. Ostendet, idque evidenter, illud infidelitatis crimen, fontem & principium nullum aliud habuisse, quàm crassam & culpandam, in qua vivimus, Religionis nostræ inscitiam, de eâ seriò cognoscendâ non admodum solliciti. Et verò nihil, in ijs quæ ad Religionem pertinent, impijs & irreligiosis illis hominibus indoctius vulgò est atque imperitius. Ostendet ad examinanda fidei dogmata, semper attulisse nos ingenium superbiæ, arrogantiæ, & obstinationis pleniſſimum. Ingenium vano fastu tumidum, intelligentiæ ac prudentiæ suæ plus æquo confidens. Ostendet & exprobrabit, quòd cùm ipsius verbis fidem abrogemus tam præfractè,

fractè, infinitis in rebus hominibus tam dicto simus audientes. Ostendet, de mysterijs fidei vulgò ratiocinari nos atque disputare malignè, studio contradicendi, &, ut, si qua parte nutare illa videantur, labefactemus. Quod præjudicium solum satis sit ad avertendum à nobis cæleste Numen, quantumvis aliunde ad auxilium ferendum inclinet. Hæc sunt, Christiani Auditores, quæ objecta nobis à DEO pudorem incutiant maximum. At pudori cumulum addet, cùm malum altè, & ab ipsa origine repetet, cogétque nos geminum infidelitatis fontem secum recognoscere. Effrænatam videlicet mentis cordisque licentiam. Licentiam mentis, qua ne ullam amplectatur Religionem, nullam non damnat. Qua descisit à fide, non ut se convertat ad meliora, sed quia nec quid admittat, nec quid rejiciat satis novit: ut cuncta permittat fortunæ temeritati: ut ad fatalem ac miseram deveniat Religionum indifferentiam: imò ut omnis prorsus Religionis vitam expertem degat. Cordis licentiam, quod se à fide Christianâ in angustum contrahi & concludi dum fert impatienter, sensim invitat, tandémque impellit ad Christi jugum excutiendum, dulcíque servitio exeundum. Rem ita habuisse facilè DEUS comprobabit, ubi ostendet,

quamdiu integri sanique fuerunt mores nostri, tamdiu fidem nostram sanam & integram permansisse; nec cœpisse illam labefactari, nisi postquam mores cœpti sunt in pejus mutari. Quid autem ad hæc omnia respondeamus? an à fide appellabimus ad rationem, eâ spe subnixi, eandam hanc rationem, quæ ex Theologorum decretis necessarium est fidei fundamentum, contra illam ipsam fidem adjumento nobis & auxilio fore? nihil est, inquit Chrysostomus, nihil est quod eâ ex parte sperare nos oporteat. Si nos fides condemnabit, non condemnabit nisi volente & consentiente ratione. Clamat enim ratio, naturali suo lumine & intelligentiâ non valde nitendum. Cùm aguntur fidei mysteria, ad superius minúsque fallax lumen confugiendum esse; & quantumvis ipsa intelligens sit, fidei tamen & divinæ authoritati magis tribuendum. Hoc humana ratio dictat; atque adeò cùm eam permisimus Christiana carpere dogmata ac vellicare, non solùm pluisquàm postulabat, sed & id ipsum quod non postulabat, concessimus. Igitur condemnabit nos ratio, vel ob ipsam fidei amissionem. At, nullúmne nobis ab eâ præsidium est aliunde sperandum? nimis ah! nimis debile præsidium est, contra DEI judicium humana ratio. Ut quis cum Rege suo de bonis disceptet,

ter, jus illi sit oportet haud incertum; si enim ancipiti & incerto jure litigare audeat, & molestè altercando, superiorem se fore speret, non potest quin summæ stultitiæ damnetur. Quid si cum ipso conditore & creatore DEO disceptet vilis homunculus? ecquis ego sum, domine Deus, ut tecum veluti in arenam descendam an ignoro, quòd si tecum *contendere velim, tibi unum non possim respondere pro mille?* is erat viri longè sanctissimi sermo. Quid sentire de se ac proloqui convenit hominem flagitiis coopertum? hoc tamen est flagitiosi & impii hominis perfugium. Agere vult ratione cum DEO, atque ita rationem judicem appellat. Coram eo judice spectandum illum vobis alterâ concionis parte propono. *Job. 9.*

QUAM religiosus in speciem, tam perniciosus est eorum error, qui existimant, humanam rationem à primigeniâ labe esse omni ex parte vitiatum. Ut hominis fastum comprimant, irreligiosum & impium faciunt, cum fidei loco, haud aliam vitæ regulam, quàm animi perturbationes & errorem habere eum docent. Præter fidem ratio inest in nobis, velut quædam lux, luménque vitæ, etiam post Adami noxam. Ratio, qua duce venimus in DEI cognitionem; quæ officia præscribit, ponit leges, præpositis nos sub- PARS II.

mittit. Quod autem hæc cuncta perficit, corruptum omninò ac depravatum esse non potest. Scio rationem gratiâ cælesti, fidéque destitutam, non esse satis ad salutem, in quo recedo ab errore Pelagii. Atenim si per se ad salutem non sufficit, ad damnationem nostram plus quàm satis eandem fore contendo. Habeo autem hujus meæ sententiæ suffragatorem; imò authorem Paulum. Fateor hanc eandem rationem, à primi præsertim hominis lapsu, cæcâ perturbationum nebulâ obductam sæpe caligare; sed ei lumen inesse assero, quod omnium perturbationum vis nulla restinguat, & in maximis flagitatiosæ vitæ tenebris animos nostros collustret. Sive ergo rationem spectemus ut puram & integram, hoc est, qualem à Deo accepimus in ipso ortu; sive eam spectemus ut vitiatam & corruptam, hoc est, eo in statu ad quem vitia nostra illam depresserunt, a'o Deum eadem pariter ad nostram usurum damnationem. Quam ob rem? quoniam non solùm ex boni ac mali notitiâ, quam habuimus, verùm etiam ex ipsis erroribus nostris sumus omnes judicandi: atque hoc ipsum est quod nunc sequitur ut exponam.

Ad rectæ rationis normam judicium Deus exiget. Hoc tam verum est, Auditores, quàm quod maximè. Quo autem

id

id pacto fieri debeat, cognoscite, Rationem apertè offendimus: repugnamus illi atque obsistimus. Hanc in nos Deus concitabit. Nolumus loquentem audire; faciet Deus eam ut audiamus vel inviti. Causas fingimus ut obsequatur illa cupiditatibus nostris; inanes illas causas Deus disiiciet, cùm abditos animi recessus, & ea cuncta à quibus nunc oculos avertimus, nudabit. Hæc tria, quæ ex Bernardi doctrinâ, præcipui sunt humanæ superbiæ gradus, infinitam à Deo materiam adversus reprobos, & longè æquissimas damnationis causas suppeditabunt. Adeste animis. Peccamus contra omne rationis lumen. Hinc judicio suo Deus initium dabit. His enim verbis tot flagitiosos & impios homines tunc licebit illi compellare. Quandoquidem ratio vestra præcipuum erat vestræ impietatis præsidium, debueratis ipsius ductum propius sequi, &, ne ullam mihi daretis reprehensionis ansam, quò liberius aberrastis à fide, eò rationi adhærescere firmius, vitamque multò severiorem & sanctiorem instituere vos par erat. Videamus itaque an vita vestra talis fuerit: an ex rationis nutu ac præscripto temperata; an naturæ humanæ legibus consentanea. Tunc, Auditores, tunc oculis nostris DEUS objiciet horrendam illam flagitiorum seriem, quæ recensen-

tur in Epist. ad Rom. & Philosophis illis Paulus exprobrat, qui Deum solo naturæ lumine cognitum debito honore & cultu fraudarunt. Abominandas libidines dico, quas erubescit, quas horret ipsamet natura; diabolicas artes in excogitandis novis modis quibus fœdissima desideria, non sine impudenti in iis jactandis audaciâ; expleantur. Apertas & publicas injustitias; aliena bona, vel per vim extorta, vel usurpata per fraudem; vexationes, quas gratia, quas potestas inultas & impunitas dimisit; teterrimas perfidias, occultas proditiones, quæ mundanæ industriæ nomine vulgò honestantur; rabiosos invidiæ morsus, quos detestandæ fovit ambitionis fermentum; simultates & odia, quæ in furorem, maledicta & obtrectationes, quæ in atrociissimas calumnias, fœdas avaritiæ sordes quæ in barbaram crudelitatem, largitiones, quæ in sumptus insanè profusos, commessationes & convivia, quæ in certam valetudinis perniciem, effrenatos iracundiæ motus, qui in amentiam evasère. Quid dico, & quò me meus ardor abripit? hæccine est vita hominum, qui, abjectâ religione, soli rationi ducendos sese tradiderant? nihil affingimus, Auditores Christiani, sic vulgò vivunt illi fidei desertores, atque id ipsum longâ habemus experientiâ comprobatum.

Non

Non sum nescius, hæc si mente & ratione solâ expendantur, aliud ex alio necessariò non sequi. Sequi tamen res ipsa docet, sempérque docuit. Sive quòd DEUS, justo judicio, profanos illos homines pravis ipsorum cupiditatibus, prout censet Paulus Apostolus, addicit & mancipat, Sive quòd indoles, & naturalis in malum propensio, faculæ lucem frustra præferente ratione, sensim ipsos eò improbitatis deducit. Utut est, illa flagitiorum portenta in cælestis iræ thesauris collecta reperientur. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Cuncta illa sic collecta in unum, homini reprobo DEUS ostendet, & quodammodo insultans (ne vos offendat vox illa; ita loquitur DEUS ipse, qui impio, aut saltem ipsius impietati, supremo illo die, pro jure suo insultaturum se significat) DEUS, inquam, quodammodo insultans, sciscitabitur, num abominanda illa crimina ratio suaderet; num probaret; num idem illa super his sentiret. Fateor ah! DEUS optime, inquiebat Augustinus, tam formidolosæ veritatis stimulo conscientiam pungente, fateor, hæc illa est cogitatio quæ arduum conversionis meæ opus tandem absolvit. Hæc saluti fuit, hæc me è profundo, libidinis, barathro abstraxit; judicij, inquam, tui formido, rationis meæ judicio nixa in *Deuter. 32.*

viam reduxit abeꝛrantem. Conabar amovere te à me & rejicere procul, atque ita vivere quasi non esses. Verum enim vero compos eram rationis, quam excutere non valebam. Hæc mihi ubique comes aderat. Ad quam me cunque sectam adjunxissem; quamcunque opinionem essem amplexus, peccatum quo tenebar irretitus, peccatum mihi semper videbatur, Seu Manichæus, seu Catholicus essem, seu nulli sectæ propriè addictus, me eum non esse quem esse oporteret, nec licere mihi esse qui essem, ratio clamabat. Quo autem tempore? medias inter voluptates, inter exquisitissimas suavissimásque seculi delicias. Tunc videlicet eadem illa ratio odiosè interpellabat: ubique & nullo non occurrebat tempore, consilia cuncta disturbans, & odium in me exercens hostile. Hinc, Domine, colligebam, quid mihi esset à te metuendum. Si enim, inquiebam, rationis meæ, tametsi infirmæ & imperfectæ, censuram vitare non licet, qui DEI censuram, hoc est, divini judicij severitatem vitare liceat? quod Augustinus expertus olim est, idem nobis usuvenit quoties inter peccandum ad mali rationem quæ peccato inest, animum advertimus. Pugnæ autem illæ rationis nostræ nobiscum, cum cupiditatibus nostris, cùm solu-

ſolutiore noſtra libidine, initia ſunt, aut aliqua divini judicij veluti rudimenta.

Neque hoc ſatis eſt; alijs in rebus ratione noſtrâ, neque voce tam elatâ, neque tam apertâ monente, ſemper tamen monente, obſurdeſcimus, nec eâ quæ monemur, audimus. Ac quoniam, ſi eam adhibeamus in conſilium, aut ſi monitis ejus auſcultemus, conſilia noſtra ſæpe diſturbando, moleſta nobis fiat atque importuna; vocem ei includimus, aut ita debilitamus, ut ad cordis noſtri aures vix allabi queat. Hæc altera eſt ſpecies mali quod hodie viget, & ceſſabit DEO mortales omnes ſuos ad calculos vocante. Conſtat enim, ut optimè notavit Ambroſius, rationis vocem, DEO ita jubente, à nobis vel nolentibus audiendam. Atque id quidem, inquit idem S. Doctor, admodum difficile non erit; imò conſequi neceſſe eſt ex novâ vitæ noſtræ conditione. Nunc enim multa prohibent, ne rationem monentem audiamus. Tumultuantes intus animi perturbationes; foris objectæ ſenſibus noſtris terreſtrium rerum ſpecies; mendacium, ficta virtus, adulatio, & blandè ſeducens aſſentatio turbæ, urbium ſtrepitus, &, quæ mentem in diverſa diſtrahit, nobiliorum virorum frequentia. Cuncta hæc vaneſcent in ſecundo Chriſti adventu. Nihil tum aderit eorum omnium quæ mun-

mundi nomine censentur, quoniam, ut Apostolus Paulus loquitur, *præterita erit illius figura*. Nullæ tum perturbationes, quoniam morte sunt penitus extinguendæ ac delendæ. Nulli adulatores latera nostra stipabunt, quia nullius intererit tum nobis placuisse. Deserti ab omnibus, soli cum nobis metipsis solis erimus. Ergo ratio nostra loquetur, & liberè loquetur. Pro jucundis & commodis illis mendacijs, quibus nobis palpari, quibus falli amamus, faciet ut acerba multa & pudenda audiamus, nunquam ante audita, quia loquenti aures occlusimus. Vera vitia, vitia fœda & crassa ijs se rebus immiscuisse ostendet, in quibus delusa mens veras sibi virtutes stultè fingebat. Quanto autem cùm stupore nostro cernemus, ea fortasse ipsa, quæ tot laudes ab hominibus & plausus abstulerint, æterna inferorum supplicia in caput nostrum accersere? Denique quia certis in rebus, ut est sui ipsius amor admodum versutus, ne dicam mendax, causæ finguntur à nobis, quibus pravæ cupiditates rationem ipsam pertrahant in suas partes & illi se probent; quid aget DEUS? DEUS, inquam, quo nemo melius humanum pectus dissecare valeat; qui rimatur compages & partes illius omnes, hoc est, omnes animæ latebras & recessus, ut occultissimas

2. Cor. 7.

illius

illius cogitationes & motus dijudicet ; ſub hac enim peritiſſimi anatomici formâ DEUM Paulus nobis exhibet. *Pertingens uſque ad diviſionem animæ, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum cordis.* Illam rationis & cupiditatis ſocietatem ac fœdus dirimet. Alteram divellet ac diſtrahet ab alterâ. Hinc rationem ſtatuet, inde cupiditatem. Conſilium à prætextu, ſimulationem ab ipsâ re, mendacium à veritate ſecernet. Ex hac autem ſecretione fateri nos ſubiget, nos, inquam, invitos & jam in gratiis rationales, improbitatis fuiſſe plenos atque malitiæ. Videte, inquiet, lucis ſuæ radium nobis admovens, & ex Theologorum placitis, illum admovebit dum propriæ quemque rationis teſtimonio coarguet ; videte, & cognoſcite cauſam, quæ vos in hoc & illo negotio, in hac & illâ occaſione ad agendum impulit. Hîc malignus agebat te livor, quem ardentis zeli prætexebas nomine. Illic vindictæ ſtudium, quam falsâ celabas juſtitiæ ſpecie : officioſus videbare & charitate præditus, ſed ut ad eum, quem tibi propoſueras, finem, facilius pervenires. Præbebas proximo virtutis exempla, ſed in iis temetipſum duntaxat reſpiciebas. Ah ; quot impoſtores & hypocritæ, quibus ſubitò mendacem pietatis larvam detrahet DEUS! quot fucatæ ac velu- *Hebræ. 4.*

veluti gypsatæ virtutes, quæ majori tunc probro futuræ sunt; quàm vitia ipsa quæ ultro agnoscimus, & sincerè confitemur? Quot actiones, DEO, ut quidem videntur, gratæ & acceptæ, sed quæ mercede suâ omni donatæ cùm fuerint in hac vitâ, haud aliter in altera, quàm ignis æterni cruciatu, sunt munerandæ.

Atenim si ratio nostra erravit reipsa, nósque error ille ad peccandum induxit, quî DEUS ex illa nos judicaturus dicitur? nunc nodus ille mihi solvendus. Nolim enim quicquam prætermittere, Auditores, quod gravissima in re desideretis. Aio igitur, Deum vel tum pro suo jure, ex nostrâ nos ratione judicaturum; ex ratione, inquam, non quidem, si vultis, præcisè errante, sed ex ratione quibusdam in rebus errante, dum tam acutè in aliis cernit. Ex ratione certis vitæ temporibus errante, dum est tam occulta in aliis. Distinguite hæc duo, Auditores, & quam vim habeant diligenter percipite. Dixi rationem tam occultam esse aliis in rebus, imò & in his ipsis, quæ ad æternam salutem pertinent. Et verò ubi neque utilitas, neque ambitio, neque voluptas agitur tua, qua es ingenii acie? quàm acri & certo judicio? quid deceat, quid dedeceat, quid rationi consonum, quid absonum, quid admittendum, quid rejiciendum,

quid

quid probandum, quid improbandum sit, statim vides. Super his tam sapienter alios mones. Ratione es tam bene subducta in consiliis susceptisque omnibus. Atque hoc ipsum supremus judex opponet. Præclaram enimverò excusationem afferes; si te dixeris, errore; in quo versabaris, abductum! at in eo ipso versabaris; quia volebas; volebas autem, quia erat è re tuâ id velle; quia jubebar ambitio præceps; quia jubebat impotens libido. Quocumque loco privata tua res & utilitas non agebatur, tam perspicax eras in secernendo vero & sincero à falso, & simulato. Tibi videbaris & eras tam acutus ad deprehendendum rei cujusque nodum, ad æquum iniquo dignoscendum. Quoties nullus honor ambitionem tuam inescabat, unde jus stabat, ei continuò palmam dabas, & naturali quadam probitate à certis quibusdam adhorrebas artibus, & occultis molitionibus quibus omnia, nonReligionis solùm, sed societatis, sed humanitatis principia funditus evertuntur. Ubi quiescebat cupiditas, nec agebantur fœdæ tuæ libidines, in notandis vitiis damnandísque criminibus tam rigidus censor & judex eras tam austerus. Unde illa opinionum diversitas atque pugna? cur, quot sentiebas in hac & illâ loci ratione, in illâ aliâ non jam amplius sentiebas? cur,

quod

quod eras in hoc & illo temporis articulo; in illo alio jam non eras? etenim quamvis magna in nobis facta sit, & in cunctis animi nostri facultatibus mutatio, fuit aliquando tempus, Auditores, tempus, inquam, felix, quo, acceptâ in Baptismo innocentiâ, *quasi infantes rationabiles* eramus, hoc est, puri & falsis sæculi præjudiciis immunes. Nullus tum fallax, & fuco illitus sermo. Nullæ vel præoccupatæ opiniones, vel pravæ. *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo.* Quod virtus erat, virtus utique, quod injustitia erat, injustitia videbatur. Testimonia, inquit Tertullianus, eò puriora ac diviniora, quò simpliciora erant ac rudiora. Adesdum, anima Christiana, inquiet DEUS, *consiste in medio anima.* Simplicem & rudem te mihi exhibe, qualis è conditoris manu prodiisti. *Te simplicem compello.* Te unam volo cælestibus donis, quibus fueras instructa, nudatam. Nihil fide opus est tuâ ad id quod paro. Mihi ratio tua sat erit. Ubinam est ratio illa tibi à me nascenti indita? quid dictabat? quas monstrabat vias, priusquam cupiditas eam tua cœcaret? existat tandem è tenebris illis, quas ei offudisti; ac quoniam ducem, ut par erat, habere illam noluisti, habeas nunc & testem in te & judicem. *Consiste in medio anima, te simplicem compello,*

1. Petri 2.

Tert. de testimonio animæ. c. 1.

En,

En, Auditores, quod mihi magis formidolosum in DEI judicio; vestrísque auribus magis dignum videtur. Signa illa omnia quæ judicis antecedent adventum, & habentur in hodiernâ Evangelij lectione, non me tantopere movent & afficiunt. Atenim DEUS, ex meâ me Religione judicaturus: ex meâ me judicaturus ratione; hic ille est nimirum, cujus recordatione solâ totus prohorresco. Qua de re nihil habeo quod addam præter illud Bernardi, ad summum Pontificem scribentis, & admonentis pro eo quo flagrabat cælestis gloriæ Studio. *Si haberem*, inquit, *Judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Exstat quidem Tribunal Christi: sed absit ut ad illud appellem vos, qui illic (si vobis necessarium, & mihi possibile esset) vellem magis totis viribus stare & respondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de universis, hoc est, ad vos. Vos appello ad vos. Vos judicate inter me & vos.* Ita Bernardus, cujus penè verbis ita vos jam compello. Si pio ardori, quo me, ut DEI ministrum decet, impelli sentio, habenas permitterem, citarem vos utique ad formidandum illud tribunal, ubi vestra omnis; quanta quanta est, dignitas & amplitudo fracta olim jacebit ac veluti comminuta. Sedenim aver-

Bernard. Epist. 213. ad Innoc. Papam.

avertat hoc DEUS, ut vestri unquam accusatoris partes agat ille, apud quem divinæ gloriæ studium, cùm salutis vestræ studio conjunctum esse oportet. Non DEUM igitur, sed vos metipsos, sed Religionem, sed rationem vestram appello. In vos metipsos incorrupti & integri sedete judices, aut in DEUM potius ipsum. Hinc ordiri vos oportet. Cùm de vobis ipsi sententiam tuleritis, cùm fuerit à vobis judicium pronunciatum, meritò adhuc dixero, nondum litem esse finitam, ac quantúmvis æquum ac favens judicium illud vestrum videri vobis possit, à divino semper vobis esse metuendum; Cùm Paulus, tametsi Apostolus insignis, nulliúsque sibi conscius peccati, *in hoc tamen justificatum se* non arbitretur. Minus à vobis postulo. Vos à vobis securos præstate: hoc mihi satis est. Aio autem nunquam in vobis affore securitatem illam, quamdiu in vitiorum hærebitis cœno. Qua de re testem alium nolo præter vos ipsos, & conscientiam vestram. Vobis apud vos, vitiísque vestris & latebram datis ad tempus & quæritis. Sed veniet morti & judicio dies, qua die, animæ vestræ conspectus, vobis erit invitis sustinendus. Hæc enim species, ingens erit & morientibus & mortuis cruciatus. Terrorem incutiet maximum judicis irati vultus:

1. Cor. 4.

tus: sed longè terribilius vobis ipsi spectaculum eritis. Hinc peccatori DEUS in sacris literis minatur, ipsum ipsi sistendum & opponendum esse. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Psal. 49.

Nonne ita se jam res habet? nonne tui ipsius, Christiane Auditor, conspectum refugis, ut rem omnium maximè odiosam & molestam? qui tibi est autor, ut introspicias in mentem tuam, ut recessus ejus omnes scrutetis, obtundit. Ac, si fortè tibi te hodie, si vitæ quotidianæ veram imaginem spectandam proponam, in me continuò insurgas. Adeò verum est quod dixi, molestum & odiosum esse tibi tui ipsius conspectum. Quòd si te ipsum ferre non potes, inordinati & incompositi sint oportet mores tui. Inest in vitâ depravatum quidpiam, quod tibi molestiam aspergat. Sed, vel obid ipsum, inquit Augustinus, quod oneri est & displicet, amandus à nobis est ille animi nostri conspectus; nam, ut DEO placeamus, subdit idem Augustinus, nobis metipsis necesse est displicere nos metipsos: ut autem nobismetipsi displiceamus, nos metipsos inspiciamus oportet. Si nos ipsi propius intueamur, pergit Augustinus, ipsi nobis odiosi simus, Deóque incipiamus esse gratiosi. Quia nos propius non intuemur, amamus, Deóque odiosi sumus. In supremo judi-

cio, nihil noſtri oculos noſtros effugiet; patebunt illis omnia, ſed ſerius, atque ita patebunt, ut & nobis ipſi ac DEO intolerabiles videamur. Nobis, quibus aperta erunt pectoris noſtri intima; DEO, qui irrevocabili nos anathemate percuſſos damnabit.

Hæc ſunt Chriſtiani Auditores, quæ ſanctis olim quibuſque, ſanctis, inquam, animi robore & ingenij acie nobis haud inferioribus, tantum terroris incuſsêre. Hæc ſunt quæ Hieronymos perpulêre ad nuntium mundi deliciis remittendum, & ad aſperos pœnitentiæ labores ultro amplectendos. Væ nobis, & rebellis pectoris noſtri callo, ſi his non commovemur! ſed quantumvis ferreum ſit pectoris noſtri callum, nobis hæc erunt metuenda aliquando, ac fortaſſe, quòd ea maturius non timuerimus, æterni doloris ſeges ingens & cauſa. Illum igitur animæ noſtræ conſpectum vel nunc formidemus, Auditores; atque ut ſalubris ſit formido illa, nos metipſi judicemus, priuſquam judicem DEum experiamur. Noſtræ nos fidei ſubmittamus, ne illa in nos olim inſurgat; ſimus rationi noſtræ *conſentientes*; auſcultemus ei; nihil agamus niſi ex ejus ductu; *ne adverſarius* ille domeſticus, cum quo adhuc *ſumus in viâ*, rigidi hujus judicis miniſtris nos tradat, unde venia ſpes affulgeat poſthac nulla. Coactum il-

Matth. 5.

lum

lum pectoris noſtri conſpectum libero nunc & voluntario conſpectu prævertamus. Ah! liceat mihi, DEUS meus, precatione uti hoc loco, quæ temerarii fortaſſe ac præſidentis hominis videatur, ſed eſt reipſa acceptæ à te formidoloſi judicii notitiæ fructus; liceat, inquam, mihi unum orare, nempe ut in ſupremâ illâ & luctuoſâ die à me ipſo me defendas ac protegas. Dicam enim ac liberè dicam, mihi à te timeo duntaxat, quoniam timeo à me. Nihil in te utique tueri licet, quod ſummæ non ſit cauſa fiduciæ, quoniam nihil niſi bonitas es ac miſericordia. At quando bonitas illa, peccato, naturâ ſuâ, contraria eſt, ac citra mutationem ullam, juſtitia, ira, vindicta eſt adverſus peccatum; in me illud cùm animadvertam, tua etiam bonitas, tua etiam metuenda mihi eſt miſericordia. Vides hic fortaſſe quos tremenda illa dogmata nondum pupugére. Sed ſunt in manu tua, quæ finxiſti, hominum corda; habes cæleſtes gratiarum aculeos, quibus lethiferum illorum torporem diſcutias, quibus eos percellas, quibus perturbes, & ſalubri perturbatione ad te converſos, in rectam æternæ beatitatis ſemitam deducas, Amen.

IN DOMINICA SECUNDA ADVENTUS CONCIO.

De Scandalo.

Respondens Jesus ait illis : euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident ; claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt , & beatus qui non fuerit scandalizatus in me. *Matthæ. 11.*

REX CHRISTIANISSIME,

IAM insignibus miraculis editis à Christo , sperare is poterat , & meritò quidem sperare ; fore ut Evangelium suum non solùm hominibus offensioni non esset, verùm etiam ut ejusdem sanctissima

sima dogmata ultro amplecti, moribúsque suis exprimere, pro se quisque gloriæ duceret. Tot surdis recluſæ aures, tot mutis solutum linguæ vinculum, tot cæcorum oculis tenebræ depulsæ, tot claudis firmati ad gressum artus, tot mortui revocati ad vitam, infinitaque alia prodigia, quæ tam apertè vim ac potestatem latentis in Christo Numinis declarabant, debuissent profectò debitum ad honorem, imò ad cultum ipsum divinum mortales omnes excitare. *Verùm, ô altitudo sapientiæ & scientiæ Dei!* tot eximia & præclata facinora non prohibent, quin offensionis & scandali causas innumeras mundus arripiat à Christo Servatore, támque latè mali labes pervasit, beatum ut ipse pronuntiet, qui sibi ab eo cavere potuerit. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Rom. 11. Matth. 11.

Et verò qua ex parte Christus in profani hujus & impii mundi contemptum, & odium non incurrit? Unde offensionis scandalique est ansa non sumpta? Ab illo ipso, ab ejus doctrinâ, à lege, à cruciatibus à necis ignominiâ; adeò ut Apostolus cùm sermonem haberet de Crucis mysterio, non jam mysterium, sed Crucis scandalum appellaret. *Ergo evacuatum est scandalum Crucis.* Ita ille in suâ ad Galatas epistola. Quibus ex verbis intelligebant illi, crucem, quæ prædestinatis fu- Galat. 5.

tura erat redemptionis mysterium, repro-
Luc. 2. bis *in signum cui contradicatur, positam esse*; & eum ipsum Deum, qui, ut homines æterno ab interitu vindicaret, homo factus esset, summæ illis offensionis causam fore. Is tum erat Apostolorum sensus, is sermo, sed quod DEI singulare beneficium est, scandalum istud jam videmus prorsus amotum. Debellavit nequiorem hunc mundum vicitque Christus; admissa est ejusdem doctrina; Evangelica lex una eminet florétque, Crux, ut ait Augustinus, in principum ac Regum fronte sublimis apparet. Sed enim in veteris hujus scandali, cujus causa innocens Christus extitit, aliud successit, cujus Autores sumus; aliud, inquam, non funestum minus, ac fortasse magis damnandum scandalum. Non jam Christus scandalo nobis est, sed nos Christo. Non jam offendit ille nos, sed nos illum, cùm proximo causas damus offensionis atque scandali; quo sensu Paulus dum Ecclesiam insectatur ac vexat, Christum ipsum insectari dicitur
Actu. 21. atque vexare. *Saule, Saule quid me persequeris?* Nonne eandem in nos querelam meritò accommodet dicatque Christus; quid me pravo offendis flagitiorum tuorum exemplo, dum famulos meos ita offendis, & mystici corporis mei membra? De eo scandalo, quod proximo solet offer-

ri

ri verba apud vos hodie ſum facturus, Chriſtiani Auditores, ſi prius tamen Deiparæ Virginis interventu, divinam opem imploravero. *Ava Maria.*

AD rem propoſitam ſtatim accedo, Chriſtique ſententiæ, in quâ vertitur Evangelicæ lectionis doctrina, quæ ad mores informandos pertinet, inſiſtens, cùm beatum illum Chriſtus ſignificet, qui cauſam ab ipſo non ſumpſerit offenſionis & ſcandali, contrà viam ego diverſam inituras, infelicem eum pronuntio, qui Chriſto offenſionis & ſcandali cauſam præbet quoties eandem præbet proximo. En graviſſimum doctrinæ Chriſtianæ caput, de quo mihi eſt hodie apud vos agendum. Peccati genus quod deteſtatur; quod toties tamque graviter reprehendit in ſacris literis, & peccatori tam acri DEUS exprobrat oratione. *Adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Ac ſi dicat, ſtruebas fratri tuo ruinæ periculum, nec te magnoperè ſolicitabat angebatque dolor, quem ex fraterno caſu captura erat communis parens Eccleſia. Peccati genus, quo mortales, ut ait Tertullianus, erudiuntur ad vitia, quemadmodum bono exemplo ad virtutes. *Scandalum exemplum rei malæ ædificans ad delictum.* *Pſal. 49.*

Igitur quod, & quàm grave sit noxæ genus scandalum, huic concioni propositum est ut ostendat; ut odium, quò dignum illud est injiciat, ut demonstret, quàm metuendum quàm diligenter & cautè vitandum malum. Quod ut perficiam, infelicem eum esse affero, qui offensionis & scandali causas alijs præbet; hoc primum. Bis infelicem, qui offensionis & scandali causas alijs præbet, cùm peculiaris quædam ratio postulat, lumen ut alijs præferat ad virtutem. Hoc alterum erit concionis nostræ caput. Infelix quisquis offensionis & scandali causam alijs præbet; en peccati genus quod per se spectatum, ad omnes pertinet hominum conditiones. Bis infelix quisquis offensionis & scandali causam alijs præbet; cùm peculiaris quædam ratio postulat lumen ut alijs præferat ad virtutem. En hujus peccati species, quæ quamquam in certis hæreat hominum conditionibus, nimium tamen latè, ut videbitur, patet. Infelix quicunque tandem ille sit, qui offensionis & casûs occasionem alijs offert: satis hoc erit ad æternam damnationem, quòd Christianus is fuerit. Sed longè infelicior, qui offensionis & casûs occasionem alijs offert, cùm præter Christianam fidem quam profitetur, alio nomine ac titulo peculiari debet illis virtutis exempla. Afferam priore lo-

eo regulas & axiomata quædam generalia circa ſcandalum, quæ nemini non utilia eſſe poſſint: tum ex conditionis cujuſque diverſitate rationes quaſdam & cauſas eruam, eaſque efficaces, ad ſtudium ſuper eâ re, vigilantiamque veſtram excitandam. Utrumque complectitur id omne quod mihi tractandum ſumpſi. Ad rem ipſam aggredior.

PARS I.

NEceſſe eſt *ut veniant Scandala.* Hoc Chriſti pronuntiatum eſt, unúmque ex abditis illis myſterijs, in quibus magis *incomprehenſibilia DEI judicia* videantur. Unde enim repeti poteſt hæc neceſſitas? Haud aliâ ex re quàm ex hominum perverſitate ac malitia, quam DEUS, cùm libet, in gloriam ſuam vertit; ſed cujus curſum & impetum non ſemper retardare ac ſiſtere libet inſolitâ viâ & ratione, ac pro poteſtate ſuâ ſummâ. Cùm tanta ſit hominum improbitas, & ex occultis providentiæ ſuæ rationibus, in eâ, quàm videmus, morum corruptelâ merſos DEUS eos relinquat, nolítque ad eam amputandam adhibere miracula, neceſſe eſt utique ſcandala conſequi. Sed quanta ſit cunque ſcandali neceſſitas *væ homini illi*, cujus culpâ fit ut illud obveniat. Atque hoc illud eſt anathema, quo Chriſtus ejus generis peccatores percellit. *Verumtamen væ homini illi*

Matth. 18. Rom. 11.

Matth. 18.

illi per quem scandalum venit. Anathema quòd Evangelici præcones, inquit Chrysostomus, nunquam possint auditoribus suis satis ad metum inculcare. Adeste igitur animis, & mementote nullum fortasse gravius esse fidei nostræ caput, nullum, de quo nos edoceri magis oporteat, *Væ homini illi.* Væ illi à quo scandalum proficiscitur. Quid ita? quoniam est eorum omnium homicida, quibus offensionis causas affert atque scandali. Quoniam reus est scelerum omnium quæ committuntur ab ijs, quibus offensionis causas affert atque scandali. Quæ duæ rationes sunt Chrysostomi, & valere debent ad permovendos homines in peccato maximè obfirmatos, si modò ulla supereſt in ijs fidei scintilla. Fac DEUS optime, maxime, verba ut mea novam hodiernâ die vim & potestatem habeant. Vos verò, Auditores Christiani, quàm attentissimâ mente quæ sum dicturus accipite; nec perire vobis finite quicquam ex ijs quæ mihi DEUS vestram ad utilitatem suppeditabit.

Quisquis scandali est autor, ex omnibus fidei Christianæ principijs, fit animarum, quibus est scandalo, homicida. Peccatum horrendum, immane, diabolicum. Peccatum spiritui sancto & ex naturâ suâ Christi redemptioni contrarium. Peccatum, de quo peculiaris DEO ratio reddenda.

da. Sed quod attentione vestrâ dignius est, peccatum eò gravius quò magis pervulgatum, & frequentius admittitur ab iis, qui de eo admittendo ne cogitant quidem. Peccatum quod sæpe rebus adhæresçit per sese leviſſimis, quæ religioni non habentur, sed si exigantur ad divinam legem, ut ansam præbent scandalo, ita summam habent malitiam adjunctam. Percipite, quæso, diligenter hæc singula, Christiani Auditores, & videte num in aliquo rigidæ veritatis lineas transeam.

Dixi peccatum esse horrendum; quid enim horrendum magis, quàm adimere vitam animæ, quæ ut justa est & innocens, ita accepta DEO est atque pretiosa? vitam, inquam, spiritalem ac divinam adimere ipsi, & cœlestis hæreditatis jure deturbare. En tamen peccatum quo vos obstringitis, Auditores, quoties offensionis proximo scandalique causam affertis. Sit ille mortalium viliſſimus, cui vitæ vestræ ratio casûs est & spiritalis exitii causa, seu cùm ipsum inducitis ad malum, seu cùm inficitis opinionum vestrarum pravitate, seu cùm exempli vestri vi contagiosâ pertrahitis; sit, inquam, ille viliſſimus & abjectiſſimus mortalium, estis nihilominus in culpâ; atqste hoc apertè Christus significat his verbis, quorum sensus tam latè patet. *Qui autem scandalizaverit*

Matth. 18. *verit unum de pusillis istis qui in me credunt.* Animadverte, inquit Chrysostomus, Christum non dicere; qui scandalizaverit unum è dynastis & principibus terrenis; & hoc aliud est inter principes Christianos magis damnandum ac deplorandum malum. Quid eo tamen magis vulgare? quot enim semper extitêre & etiamnum existunt pestiferi id genus homines, quos credas occulto Dei judicio principes viros eò tantùm frequentare & cum illis esse in gratiâ, ut eos, aut perversis, quæ dant, quasi pro jure suo, consiliis, aut detestandis opinionibus, quas eorum mentibus inserunt, corrumpant. Ut ut est, non restringitur ad principes ac dynastas Christi sententia. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis.* Quibus verbis errorem illum, vestrum fortasse, confutat, abjectam personæ conditionem ac fortunam excusare vos, & aliquam dare authoritatem peccandi. Ignobilis quidem est & contemptus, si vis, homunculus, quem pervertis; vile is est, mundi judicio, caput, qui fœdæ tuæ libidini servit; atenim anima illa, mundi judicio, vilis, infiniti est apud DEUM pretii. Hinc idem ille, qui eam creavit, qui redemit, qui valorem ipsius apprimè novit & dignitatem, disertè significat, quoties ei scandalum offers, satius esse si non illa solùm, sed

sed & tu ipse imum in pelagus demergare. *Expedit ei ut demergatur in profundum maris.* Ibid.

Addidi, peccatum esse diabolicum. Nam ex Joannis Evangelio, ut Chrysostomus annotat, dæmoni propriè competit, ab ipsis mundi incunabulis homicidam fuisse. *Ille homicida erat ab initio.* Joan. 2. Atque id nomen ideò tantùm obtinet, inquit idem Chrysostomus, quoniam ab ipso mundi exordio fecit ut animæ perirent; quoties videlicet decepit illas; quoties in laqueos quos tetenderat, pellexit; quoties vicit tentationum illis illecebris; quoties ad conversionem, omnem intercluſit aditum. Quid autem aliud agere dixero? quid moliri hominem vitiosum & perditum, cui immundus spiritus dominatur, cum insano cupiditatum æstu abreptus, prædam ut ita loquar, libidini suæ unde unde vestigat? quid agere, inquam, aliud, qua in re flagitiosam vitam occupare dixero. Fatales animis dolos nectere; deiicere spe Regni cœlestis; hoc est, nativâ fragilis sexûs imbecillitate abuti; ipsius partim simplicitatem, partim imprudentiam, partim etiam vanitatem circumvenire; pudicitiæ primùm, deiñ religioni labem inferre; justos timores animo depellere: saniora desideria comprimere; firmare in vitio postquam ad illud impuleris subornando;

do ; avertere à rectâ salutis semitâ ; cùm, cœlesti gratiâ excitante, resipiscere incipit, & ad meliorem optat se frugem recipere ; nonne hæc sunt propudiosâ totidem tenebrarum opera, in quibus turpissimam ætatem exigis, impuræ libidinis auceps inverecunde ? ergo dæmonis personam ac partes sustines, & eò periculosius sustines ; quòd humana specie & formâ dæmonem cùm celes, & soleant illi, quibus es scandalo, sensus, ut tu duces sequi, nec minus carni obsequantur ; nequitiæ tuæ telis magis propositi, insanabiles in animis plagas accipiunt. Fuit ab initio Dæmon per se ipsum homicida, est nunc per te. Tu illius administer : tu arma illi suppeditas ; tu consilia ejus omnia promoves : tu ejus loco tentatorem, aut potius, ut in eâdem metaphorâ semper consistam, animarum carnificem agis, infelices illas victimas dum tuæ libidini non dubitas veluti mactare. *Ille homicida erat ab initio.*

Dixi peccatum hoc Spiritui sancto adversari : quia nimirum directò charitati repugnat, & est Spiritus sanctus charitas ipsa. Neque hoc satis est. Addo charitati quàm gravissimum inferre vulnus, & quoad virtutem hanc tam necessariam, cujus Spiritus sanctus fons est atque principium, hominem, hoc admisso peccato, immittere, ut ita loquar, majestatis reum esse.

Nam,

Nam, ut Chrysostomus ratiocinatur, si furtum, per quod proximo fragile bonum eripitur; si calumnia, per quam vana illius læditur existimatio; si clandestina accusatio, per quam gratia, qua florebat, idem excidit, atque adeò quod unum ipsi metuendum erat, incerto fortunæ gradu est dejectus; si hæc, inquam, omnia ex Christianæ fidei legibus, totidem sunt gravissima peccata contra charitatem proximo debitam; quid de scandalo dicendum, quod ad æternam ipsius animæ perniciem tendit? nusquam, ajebat Joannes Evangelista, nusquam tale ac tantum malum potest in eo inesse, qui fratrem diligit. *Qui diligit fratrem suum, scandalum in eo non est.* 1. Joan. 2. Et verò valde ardenti in fratrem charitate esse te præditum non oportet, ut caveas ne scandalo oblato, damnum ipsi inferas infinitum. In fortunas, corpúsque ipsius odium exeras tuum, ait DEUS ad satanam, cùm permittit ut Jobi fidem periclitetur ac probet; at videsis ejusdem vitæ sedulò parcas. *Verumtamen animam illius serva.* Job. 2. Cavebat tantùm Dominus his verbis, ne viro sanctissimo vita hæc mortalis eriperetur. An non jure potiori scandali autorem ita compellare liceat? si qua in re, præter voluntatem, tibi displicuit frater: si in odium tuum incurrit: Si certum est ulcisci injuriam ac persequi: alia quævis in eum

eum mala potius congere, quàm ut spiritalem ei vitam adimas & immortalem. Fac, si lubet, assiduo is in luctu & squalore versetur: nullam non molestiam exhibe: nunquam illi per te quieto esse liceat: apertum & internecinum cum eo bellum gere, modò conscientiæ, modò animæ parcas, modò ad æternam felicitatem aditum ipsi non intercludas. *Verumtamen animam illius serva.* Igitur consequens est, eum qui non magnopere laborat ne fratri causam præbeat offensionis atque scandali, fratrem non diligere, nec fratris solùm, sed & charitatis ipsius extinctorem esse. *Qui odit fratrem suum homicida est.* Quot verò reperire est ita comparatos ita factos, hoc est, vitæ solutioris & effrænatæ libidinis homines: qui fraternam salutem ponunt in minimis: qui non modò animæ jacturâ non moventur, sed & eam ultro juvare videri volunt; qui in eam de industriâ, & quæsitâ occasione, incumbunt, &, cùm res successit ex sententiâ, quasi de partâ victoriâ gloriantur. An homini potest ab homine nex crudelior afferri? simplicius loquamur: estne peccatum in Spiritum sanctum & ejus gratiam magis injuriosum?

Nec minus est ex naturâ suâ Christi redemptioni inimicum & contrarium scandalum. Etenim cùm Christus, qui *Filius*

filius hominis & dicitur & est; ut generis humani redemptor, *venerit ad quærendum & salvandum quod perierat, perditionis & iniquitatis filius*, qui ex Tertulliano, non alius est, quàm scandali autor, consilio planè diverso; nihil habet prius quàm ut sempiternum ad exitium trudat, ac *perdat* quod est infinito Christi sanguinis pretio redemptum; in eóque potissimùm Apostolus scandali gravitatem constituit. Hinc illa tam vehemens ejus admonitio, qua certam quandam consuetudinem, quam Corinthii retinebant plus satis obstinatè, licet nonnulli é fratribus in fide minus obfirmatis, eâ offenderentur, etiam atq; etiam rogat ut intermittant; sunt, fratres, ajebat ille, sunt inter vos *infirmi*, & est his offendiculo istuc ipsum quod vobis permittis. Atenim scitis, *infirmos* illos fratres, quos offenditis, homines esse, eósque Christi Domini morte redemptos? scitis, in eorum saltem Personâ, quos exemplo vestro certum ad interitum trahitis, meritum omne & passionis Christi fructum prorsus irritum reddi? ergo frustra pro jis erit Christi Domini sanguis effusus? ergo frater adhuc infirmus peribit, æternis ignibus addicetur, quia tibi placitum non erit ipsius infirmitati consulere, eáque facere ejusdem causâ, quæ charitas jubeat ac prudentia Christiana. Ergo il-

Matt. 18. Joan. 17.

Rom. 14.

1. Cor. 3.

lum quasi per vim Christo eripies è manibus cujus salus acerbissimâ nece ipsi ac sanguine omni stetit. *Et peribit infirmus in tua scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est.* Ita Apostolus, atque hæc ratio vincebat. Divinæ gloriæ studium, quo Corinthii flagrabant, eos impellebat ad vim sibi inferendam, & cavendum, ne crimini daretur, quòd æternæ eorum damnarioni, pro quibus Christus est mortuus, dum allaborarent, crucis ipsius fierent inimici. *Propter quem Christus mortuus est.* Hac ratione adducti, rerum illarum, quas aliunde sibi permissas crederent, usum libenter omittebant. Quàm meritò, & quasi pro meo jure possem nunc, Christianî Auditores, vobis exprobrare, non dico ejusmodi licentiam, sed multò periculosiorem, & multò magis culpandam? quoties enim vobis accommodare debuistis verba illa, *& peribit infirmus in tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est!* quoties liberiore petulantiâ, quam comprimere facile erat, infirmam proximi conscientiam offendistis, animam ejus contrucidastis, pro qua Christus sanguinem suum profudit? ac si verum est quod Joannes pronunciavit, ut est reipsa, complures jam Antichristos existere: *Et tunc Antichristi multi facti sunt.* Quoniam videlicet redundat Ecclesia nomine

1. Cor. 18.

ibid.

1. Joan. 2.

mine Christiano prorsus indignis; qui exempli contagione subvertunt opus Christi; qui sanguinis ipsius pretium fraudant suo fructu; in quot ex jis, apud quos verba facio, vox illa convenit, etiam propriè. *Et nunc antichristi multi facti sunt?* quot inter Christianos antichristi, eò metuendi magis, quò minus aperti sunt, ac minus cogniti? hinc sequitur peccatum illud in die judicii multò severiores ad calculos vocandum. Nulla enim gravior mihi videtur DEI in sacris litteris comminatio, quàm cum significat, non de nostris solùm, sed etiam de proximi factis rationem à nobis repetendam. *Sanguinem autem de manu requiram.* Sed num alienas noxas præstare meum est, ait Caïnus, fraternam ut cædem apud DEum excuset? num me fratris custodem ac tutorem constituisti? *Num custos fratris mei sum ego?* Sic loqui solent tot mundanæ disciplinæ sectatores. An aliena salus mihi commissa? An ego illius obses atque sponsor? præstabis illam utique, ait DEus per Prophetam; & cùm veniam ut supremus judex, unicuique pro operum ratione mercedem soluturus,, & decretoriam laturus sententiam, multa crimina quorum fons es & origo, pro meo jure, & ex cunctis æquitatis meæ legibus, in te animadvertam. Te enim sollicitante

Ezech. 3.

Gen. 4.

frater periit ; tu parum pudicis sermonibus castissimos ejus mores corrupisti. Tu pestiferis erroribus , & detestandâ subtilioris impietatis tuæ pravitate mentem ipsius infecisti ; tu vitæ solutioris illecebrâ atque fascino pectus ejus vitiasti ; tu fecisti ut essent illi in fastidio Christianæ legis officia ; Tu irreligiosis illis tuis jocis ad jugum excutiendum impulisti. Si pravos tuos mores induit , debet hoc consuetudini tuæ ; si cupiditatibus suis habenas permisit , si vitia tua omnia contraxit, fecit hoc tibi placendi studium , & vana illa gloria , quam in tui imitatione ponebat. En quæ tibi olim imputabuntur , & ego quàm acerbissimis suppliciis castigabo. Factus est ille exempli tui contagione naviter impius ; vixit & mortuus est in impietate suâ. Verumenimvero sanguis ejus multo clariore voce , quàm sanguis Abel vindictam à me ac pœnas reposcet. Qua autem uteris excusatione ; *Ipse impius in iniquitate suâ morietur ; Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Legitur in Hebraico textu : *Animam autem ejus de manu tua requiram.* Animæ hujus, quam nefariè peremisti causam ego ipse agam , sed tuo detrimento atque infortunio ; ac quamvis detrusa à me jam erit ad inferos , calamitosam tamen ejus sortem nondum à me alienamratus , eam in te velut autorem refundam.

Ezech. 3.

Sa-

Satis hæc sint, Auditores, ad demonstrandam, scandali gravitatem. Ac ne diutius hunc locum urgeam, accipite jam quod ad vigilantiam nostram excitandam potissimum valeat, & regulæ sit nobis loco, cujus ope tamfatale malum caveamus. Ajo igitur peccatum illud sæpe admitti etiam à nolentibus. Possúmne sperare & impetrare à vobis, Christiani Auditores, ut in animos vestros descendant, quæ sum dicturus, & ita descendant, ut sibi quisque privatim eadem aptet & accommodet. Neque enim necesse est ad proximum pravo exemplo offendendum, ut quis damnationem illius sibi proponat, & animum directò intendat ad ipsius lapsum. Solius hoc dæmonis est, qui, ut ait Chrisostomus, scandalo, quia scandalum est, delectatur. Non est, inquam, necesse, ut spiritale fratris exitium deditâ operâ moliare. Satis est ut futurum cognocas: satis est ita vivas: satis est agas quidpiam, unde sit consequens ut ille pereat haud dubiè. At vellem non perire illum. Velles utique sed velle non perire hominem, ac simul velle id unde sequitur ut pereat, duæ sunt voluntates, inquit Chrysostomus, quæ inter sese pugnant, in eóque peccati summa consistit, quod ex geminâ illâ voluntate, alterâ bonâ, malâ alterâ, primâ qua optas ut frater non pereat, est semivoluntas duntaxat, volun-

luntas imperfecta, una ex illis, ut vocant, velleitatibus, quarum admodum ferax est infernus, at nullo proventu. Contrà verò altera, qua vis id unde consequens est frater ut pereat, est voluntas efficax, voluntas absoluta, voluntas consuumara, quæ effectum suum obtinet. Sic fœmina mundo dedita plusquam oportet, sui, Deíque oblita, frequentes virorum congressus & periculosa colloquia nec fugit, nec amputat, sibi metipsi conscia nihil se in iis libidinosè cogitate: intelligit tamen consuetudine illâ voluptarii hominis foveri cupiditatem; inconcessis desideriis pectus incendi, à rectâ averti salutis semitâ; dari locum vesanis ipsius blandimentis; non ignorat, assiduis illis congressibus depravari, quod depravatum nolit. An animæ ipsius minus certam pestem importat? nequaquam, Auditores; data offensionis ab eâ scandalique occasio, peccatum est, illúdque grave. Id quidem cogitat unum in mutuo illo congressu, ut suæ satisfaciat vantitati. Atenim impuros ignes, quamquam id non spectet, juvenili in pectore succendit nutrítque vanitas illa. Amori utique uon respondet, nisi multa permittendo quæ comitatis tegit & urbanitatis nomine, certa fines illos non transgredi. At propositum illud non prohibet

hibet quin ultra progrediatur, & perdat imprudens quem retinere tanrum velit, & abdicare non sustinet.

Indidem est quod dixi, atque utinam vestra vos experientia sapientiores in eo & cautiores jam reddat! indidem est, inquam, quod dixi, illam animarum jacturam, ex leviſſimis hominum opinione, rebus pendere, sed quæ, si æstimentur judice DEO, flagitia videantur abominanda. Ex immodesto, verbi causâ, vestium positu, ex certâ quadam ornatûs luxurie, ex nudato haud satis decenter corpore, ex more quodam & modo se vestiendi, quem hujus seculi deus, hoc est, *immundus spiritus* invenit invexítque : *Matt. 12.* ex parum decorâ ac pudicâ levitate; ex furtivis collocutionibus, quarum solitudo, familiaritas ac dulcedo fortes exarmare solet & sapientes infatuare. Ex solutiori hilaritate, ex affectato studio placendi & festivitatis ostentandæ, hæc omnia si vobis credimus, innoxia sunt. Itáne verò, ait Hieronymus, innoxium vocas, quod graviſſimas fratri tuo plagas infligit? & quamvis ex opinione illâ vestra, quam DEUS olim luculentè confutabit, innoxia forent hæc omnia per sese, cùm tam funestum ex iis malum nascatur, debetísne illa vobis permittere, an exhorrere? hæccine Pauli mens fuit? hæc-

cine relicta nobis à tanto doctore virtutis documenta? nunquam, inquiebat ille, nunquam conceſſum mihi putaverim, quod fratri noxium fore vel prævidebo, vel ſciam. Loquebatur de Idolothytis, quæ cùm ex ſe nihil haberent impuri, poterant ex Apoſtolorum ſententiâ, cedere in eſcam fidelium, quorum conſcientia recta erat; hoc eſt, qui nullo pacto propendebant ad idolorum cultum, Deique unius fidem palam atque ex animo profitebantur. Si ex eſcâ quam ſumo, inquit ille, frater offenditur, etſi ejus illius nulla mihi alia vetitus ſit lege, illius uſu ex charitatis præſcripto, mihi ipſe interdicam. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* An privilegio aliquo gaudetis, Auditores, quo non gauderet Paulus? an non eadem aſtringimini charitatis lege? an vobis ſolis liberum eſt eam violare? ſi, dum ſuo ſe jure fraudat Apoſtolus, ſibi abſtinendum putat eſcâ quamvis licitâ, ſed cujus eſu metuit ne alii offendantur, qua audaciâ, tam multa velut indifferentia toleratis. quorum effectus quam ſint tolerandi Chriſtiano, veſtrum eſto judicium, non meum. Qua audaciâ habetis rerum indifferentium loco ac numero, quæ toties eorum, qui ad vos propius accedunt, integritati noxia eſſe cog-

1. Cor. 8.

no-

noviſtis? igitur hominis verè Chriſtiani ea debet eſſe oratio. Si uſus hic ſi mos ille receptus apud mundanos homines, & iiſdem probatus, quique cupiditati meæ uſque adeò ſapit, offenſioni eſt aliis, quidquid, ut illum mihi approbet, ſuadeat libido, quantumvis innoxius videatur, omiſſum illum volo, illum abominor, illum deteſtor, nuntium illi in omnem æternitatem remitto. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

Ita loqui vos convenit, ita ratiocinari, ſi loqui & ratiocinari vultus ſecundùm fidei veſtræ principia. Alioqui (& eſt alterum. ut initio dixi, illius, qui ſcandali eſt autor, infœlicitatis caput) alioqui non ſolùm peccatum quod admittis, Chriſtiane Auditor, dum fratri ſcandali cauſam offers, ſed alia etiam omnia, quæ ex eo conſequentur, ſuum erit præſtare. Quis autem ſcrutari abyſſum illam valeat, & ejus altitudinem emetiri? aut, ut ſacræ ſcripturæ verbis utar, quantam abyſſorum multitudinem abyſſus illa una poſt ſe trahit? *abyſſus abyſſum invocat.* Quis earum numerum ineat? quis eas præter te cognoſcat, *DEus meus, qui intueris abyſſos.* Quot peccatorum, exempli causâ, fons eſt & origo malum conſilium, violentum & iniquum conſilium,

Pſal. 41.

Daniel. 3.

lium, viro præpotenti datum, quo is inducitur ad odium aut ambitionem explendam? quot mala non affert? quot clamitates non importat? quot scelerum ex illo uno formæ veluti soboleſcunt & in immensum propagantur? videtis, Auditores, qua estis perspicaciâ, quæ, & quot mala inde consequantur, nec dubito, quin ad ea tacité cohorreſcatis, constat autem ex fide, quisquis est ejusmodi consultor, ubi primum istuc consuluit, vel eo tantùm nomine, quòd consulnit, omnium, quæ ex eo consilio proficiscuntur, malorum in anteceſſum reum esse; velit nolit participem & fidejussorem fieri; aut potius in solidum obligatum teneri ad damna omnia, quorum autor erit, qui consilio paret, & illud exequitur, sarcienda. Quàm incomprehensibilia sunt, Domine DEus, consilia tua! & quàm *traditos* eos esse oportet in *sensum* valde *reprobum*, qui doctrinæ tam formidolosæ oblivisCuntur!

Rom. 1.

Dicat aliquis, sibi quisque peccat non aliis, quidquid peccat. Quîn & DEus ipse, quantumvis terribilis judex futurus, nobis animum reddere videtur, cùm eum solùm qui peccaverit moriturum pronuntiat. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Quasi dicat, unumquemque sibi peccaturum. Parentum scelera liberorum pœ-

Ezech. 18.

nis

nis, nec liberorum scelera parentum pœnis luenda. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Cùm standum erit ad Christi tribunal, unumquemque portaturum suum onus; non alienum. *Unus quisque suum onus portabit.* Ista equidem non diffiteor; scio totidem esse legis oracula, quæ locum habebunt, ut par est, aliis in flagitiis, at non in scandalo. Quid ita? quia scandalum non est unius duntaxat personæ, sed originis quædam veluti labes, quæ longè latéque serpens ac manans, non proprio solùm veneno & pravitate animam inficit, sed & eorum patiter ad quos funditur ac propagatur. Excipiendus, inquam, est his legibus quisquis scandali est autor; cùm enim & sibi & aliis peccet, suæ juxtà atq; alienæ vitæ rationem reddat necesse est. Et meritò; nam si, ut divina lex tradit, qui peccat, dignus est morte; multò magis inquit Chrysostomus, qui facit ut alii peccent; qui ad peccandum impellit, qui consulit; qui docet peccatum; qui peccandi exempla, qui adminicula suppeditat & occasiones peccandi; cùm id omne in quo positum scandalum est, multò magis plectendum sit, & morte dignius, quàm ipsumet peccatum. Verè igitur suum quisque onus portaturus dicitur: tibi verò, qui scandali es autor, cum proprio onere alienum onus portandum erit; & utroque illo onere obrutus & oppressus, aliis, quo-

ibid.

Gal.

quorum portabis iniquitatem, onere proprio non levatis, nec DEO magis acceptis, tandem succumbes.

Sed peccata illa ne mihi quidem nota sunt; nota sint necne, inquit Hieronymus, peccatum tuum, cùm illorum causa sit, aliena peccata necessitate quadam inevitabili fiunt tua. Ignorasti quidem flagitia eorum, quibus eras scandalo, sed jis occasionem dedisti; ea ignorasti, sed nosse debuisti; debuisti cavere; debuisti jis occurrere; atque hoc satis erit ad pœnas omnes peccatis illis debitas tuum in caput attrahendas. Hinc, fervente pœnitentiæ studio, DEUM orabat Regum sanctissimus, ut duo peccatorum genera, ex quibus infinita mala consequi videbantur, sibi potissimùm condonaret; occulta videlicet & aliena. Peccata quæ commiserat ipse ignorans; aliena, quibus occasionem dederat, licet eadem sibi ipse non imputaret. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Quis ah! Domine, quis delicta sua novit omnia? quis ea nosse satagit? cui datum hoc est, ut ea discernat dignoscátque, ad ea, ut par est, lugenda & expianda? *Delicta quis intelligit?* Remitte igitur, DEus optime, Remitte peccata quæ innata superbia, quæ mundi tumultus, quæ cupiditatum caligo, quæ ignoran-

Psal. 18.

rantia velum oculis meis subducit. *Ab occultis munda me.* Sed simul remitte admissa à proximo, quæ præstare meum est: quorum magna pars fui: quorum flagitiosa vitæ meæ ratio, causâ fuit & origo venenata, peccata admissa à proximo à te olim exprobranda, & quæ conjuncta cum meis, oneri, quod crescit in dies: cumulum addent brevi non ferendum. Remitte illa, Domine; & hoc tribue, ut accuratâ severâque pœnitentiâ severam, quam de illis feres, sententiam antevertam. *Et ab alienis parce servo tuo.* Sancta prorsus & ab ipso Deo hausta precatio, cujus meo quidem judicio, non minus utilis esset usus, eorum plerisque, apud quos verba facio, quàm Regio vati. Precatio mundanæ fœminæ, quotidié atque ex animo usurpanda. Mundanam porro fœminam cum dico, non eam intelligo, quæ disciplinæ, quæ pudoris, quæ Religionis, aut expers, aut oblita, totas libidini habenas remittit. Fœminam dico, quæ speciosa quadam integritatis & virtutis larvâ, qua mundo imponitur, contenta, longè abest ut vim sibi facere in re ullâ, & arctam salutis semitam ingredi studeat. Fœminam dico, quæ summè casta haberi cùm velit, nullâ non arte, dum formæ gratiam accersit, dum ascitâ elegantiâ spectantium oculos eblanditur,

haud

haud satis castos à se demittit. Fœminam dico, quæ quamvis perditè non amet quemquam, sæpè tamen nihilo secius est culpanda, quàm quæ perditè amant; quæ severioris censuræ secura, & innatæ fœmineo sexui fragilitatis expers, cujus gloriolæ tuendæ tam studiosa videri vult; DEO tamen ob peccata quibus materiam suppeditat, non minus est odiosa. Precatio, quæ vitæ in eâ melioris prolusio quædam fuerit & felix initium, si quotidiè Davidicum illud usurpet. *Ab alienis parce.* Remitte, Domine, dicta, quæ prava cupiditate cæcante, non in meis, sed in alienis numerabam, & quorum pondus ingens jam sentio. Remitte cupiditates omnes desideria illa omnia, teneros illos affectus, quos nimium quæsitus corporis cultus, quos loquela mollior, quos blanda animorum conciliatrix comitas affabilitásque sermonis excitavit in aliis, quamvis non sine modestiâ, quæ ex gravitate quadam profanâ potiùs, quàm ex christiana severitate proficiscebatur. *Ab alienis parce.* Sed ut condones, Domine, an mihi metipsa debeo condonare? ecquem pœnitentiæ modum figere me decet, quæ non pro me unâ, sed pro tot mortalibus, qui me autore peccaverunt, & in suis hærent flagitiis, pœnas dependendas habeam? delicta quis intelligit? *Ab occul-*

occultis meis munda me & ab alienis parce servo tuo.

Non est vobis, mundanæ fæminæ, valde familiaris is sermo, sed qui habet in manu suâ hominum corda DEUS, potest, cùm lubet, lætam & fertilem facere Verbi sui sementem. Non me fugit vitiorum autores id genus, quàm difficillimè resipiscere; *Sed non est abbreviata manus Domini.* Ubi aspirat aura cœlestis, quid non sperandum? quæ potestas terrena obluctetur? quæ tanta mundi perversitas divinis consiliis obsistat? erunt in jis apud quos verba facio, qui isthæc respuant auribus & aspernentur, qui in flagitiis suis persistant obstinatè. Erunt Christiani imbelles, qui, quamquam persuasi, ignaviâ præpediente, alienæ offensionis ac scandali causas non amputabunt. Sed inter imbelles & obstinatos illos habet DEus quos segreget infœlici reproborum turbâ; & comspicit fortasse dum loquor, ex jis quempiam, qui cœlesti semente solo feraci acceptâ constitutum jam habet amovere à se, ab instituto vitæ, ab omni corporis habitu, à voluptatibus, à colloquiis, ab usitatis actionibus, quidquid Religionis Christianæ sanctitati officere, quidquid alios offendere ullo modo potest. Si vel unum ex jis Christo lucrifaciam, quantâ id ponam in felicitatis par- *Jerem. 21.*

parte? ut ut est, habetis in his quæ dixi Evangelicam doctrinam, quam ignorare Christiano sit nefas. Unum siquidem continet ex illis fidei, quam profitemur, capitibus magis expressis. Quisquis scandali est autor, animas eorum perimit quibus est scandalo: quisquis scandali autor est, eorum noxas debet & peccata omnia præstare, quibus scandalo fuit. At, si scandalum spectatum ex sese, tale ac tantum malum est, quid dicendum de scandalo quod præbet is, quem facem aliis præferre oportebat ad virtutem. Infelix qui scandali autor est; bis infelix, qui scandali est autor, cùm peculiaris quædam ratio jubet, bono aliis eum esse exemplo.

PARS II.

NEmo homo est, qui ex communi charitatis lege, proximo suo virtutis exemplum non debeat; & cum Paulus dogma illud insigne regulæ loco Romanis esse vult; *Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem*; loqui ipsum constat generatim, sine ullâ conditionis, ordinis, aut personarum exceptione. Fatendum tamen est, vitæ quædam esse ea super te munia & officia singularia; ac pro diversâ humanæ sortis conditione, & societatis conjunctione, sub qua spectari homines possunt, alios aliis hac lege arctius

Rom. 15.

ctius obligatos teneri. Sic pater, quia pater est, liberis debet suis præire exemplo. Sic herus, & quisquis in alios imperium habet, actionum omnium, morúmque ad Evangelicæ legis normam conformatione, sibi subjectos ad DEI obsequium pelliciat oportet. Sic Sacerdotes; eósque omnes qui sacris altaribus sunt addicti; vitæ sanctimoniâ gregi suo specimen esse decet & formam virtutis quam is semper intueatur. *Forma facti gregis ex animo.* Sic, ex Apostoli Pauli doctrinâ, qui singularem pietatem profitentur, dum bonis operibus insistunt, fucum omnem & simultationem exuant necesse est, imò ita vivant ut ab omni, si fieri potest, culpæ reprehensione plurimum absint, ad linguam impijs occludendam, aut ut eos pertrahant ad DEI famulatum; certè ne pravo suo exemplo à rectâ eos avertant salutis semitâ. *Sinceri & sine offensâ.* Sic fortes in fide, hoc est, Catholicos, majore cautione & vigilantiâ esse oportet inter fratres aut adhuc sejunctos ab Ecclesiâ, aut ei recens adjunctos; quæ omnia firmissimis & maximè inconcussis fidei principijs nituntur.

1. Pet. 5.

Phil. 2.

Igitur si contra illa, quæ dixi, officia, unde virtutum exempla proficisci debuerant, inde offensio & scandalum existat, aut, ut apertius loquar, si, qui peculia-

ris cujusdam rationis momento, facem alijs præferre debet ad virtutem, eosdem, oblato offendiculo: retardat in viâ, is enimverò Christi anathemati cumulum addit. Tunc, Auditores Christiani, tunc exclamandum, tunc ingeminandum, *Væ autem homini illi.* Quid ita? quoniam gravius est, ut ait Chrysostomus, hoc scandali genus, & in animas dira mali contagio promptius altiúsque descendit. Quoniam illud cavere multò difficilius est: quoniam impij majores ex eo animos & vires sumunt, & ad omnem licentiam homines projecti, jus sibi magis speciosum non possessionis solùm fingunt, sed etiam præscriptionis. Ad hæc mentes vestras adjicite, quæso, nec probationem aliam expectate, quam simplicem, sed vividam ac vehementem eorum expositionem, intra scandali, quod proposui, fines coërcendam.

Quale enim & quantum est, Christiani Auditores, patris delictum, qui Christiani nomen ac dignitatem dum dedecorat, nec seminus patris nomine præstat indignum, liberos ipse suos assiduo vitiorum exemplo depravat atque corrumpit? illius erat ut patris, teneras mentes fingere ad pietatem, Christianæque Religionis exercitijs assuefacere: contrà tamen parum Religiosis sermonibus imprudenti, ut minimùm

mùm dicam, in myſteria noſtra dicacitate, rerum ſacrarum faſtidio, ultro prohibendis iis omnibus operibus, quæ pietatis nomine cenſentur, vitâ denique omnino paganâ, licentiam ipſis ſuam & impietatis virus inſtillat. Illius erat, ut patris, naturæ ferocientis emendare vitia, jùvenilésque cupiditatum impetus maturè frænare; & ipſe eas, exempli ſui authoritate, confirmat atque corroborat, dum magis pudendis, ætate tam provectâ, magisque inſanis animi moribus abripi ſe ſinit. Illius erat, componere eorum mores, & ipſe dum in flagitia ſeſe ingurgitat, quæ, nec ſunt occulta illis, nec valdè laborat occultare? id ſuſcepiſſe videtur, ut eos in fœdiſſimam pertrahat atque immergat voluptatum omnium ſentinam. In quot parentes, & fortaſſe ex iis qui hîc adſunt, iſtuc convenit quod dico. Non ſatis eſt eſſe impium; pravâ liberorum educatione, perpetua quædam ſeries inſtituitur & impiorum hominum ſucceſſio. Crederes poteſtatem quibusdam datam in liberos, ut efficacius ac certius ſempiterno eorum exitio allaborent; ut vitia ſua in eos transmittant; ut ambitionem ſuam inſpirent; ut cogant unà cum nutricis lacte acerbiſſimum ſimultatum ſuarum fel ſugere; ut faciant injuſtitiæ ſuæ participes, malè partas opes illis re-

linquendo. Non ſatius fuit, inquit Chryſoſtomus, ipſos in cunis, eliſis faucibus; præfocare? ſi eas gentes execramur, quæ immani ac barbarâ ſuperſtitione, liberorum ſanguine; idolorum ſuorum aras ac templa funeſtabant; quo eos loco apud nos & numero eſſe oportet, qui in veri Numinis contemptum, cui filios ſuos baptiſmatis lavacro ſciunt eſſe addictos & conſecratos, ſeculi dæmonio, cujus imperio & ipſi tenentur; illos devovent mancipántque. Non minore in noxâ eſt materfamilias, quæ, cùm, ex officio, natas ſuas ad DEI famulatum inſtituere debeat, & ſpiritali Chriſti connubio dignas reddere; eâ eſt cæcitate, aut potiùs crudelitate, (abſit verbo invidia) ut illas ſatanæ addicat & mundanæ conſecret vanitati; quæ ut habiles aptásque efficiat ad profanam mundi diſciplinam capeſſendam, docet pariter quà ſit itet ad inferos, & exemplis confutat ſuis quæcúmque de virtutis ſtudio tam diſertè diſputare ſolet; nam & cum ſcandalo quod præbet, etiam admonitiones ſociare fas ſibi putat. Quantumvis ſoluta ſit vitæ ratio, quantumvis ſuſpectum ſit, aut etiam apertum, quod habet libidinis commercium, dat natæ nihilominus, pro materno jure, virtutis, modeſtiæ, pudorisque documenta. Vult docilem & obſequentem,

rem, dum, effractis repagulis, excussoque jugo, extra sanctissimas Evangelii leges ipsa liberè vagatur. Verùm in eo ipso situm est scandali genus quod hîc impugno. Quam enim vim habeat zelus ille, tametsi maternus, qui exemplo non nititur, imò qui exemplo ipso tollitur? quam vim habeant præcepta & admonitiones matrisfamilias, cujus fama aut perdita est, aut dubia, quam, inquam, habent apud natam, quæ columbæ dudum exuit simplicitatem, & sæpiùs attentiusque res spectando, facta est tam occulta fortassis, tamque perspicax quàm serpens ipse.

Cujus criminis reum esse dixero herum, aut patremfamilias, qui muneris, qui sui oblitus, aut datâ potestate abutens, inverso ordine à DEO præstituto, fit eorum corruptor, quorum dux & servator esse debuerat? putabat Apostolus se modum servare, & servabat reipsa cùm diceret, *qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negâsse, & esse infideli deteriorem.* Breve verbum, sed quod magnam vim habet, &, quo attentius à vobis perpenso, uberiorem utique fructum edendum in animis vestris sperem, quàm ex cujusvis concionis meditatione. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5.

Sed si Paulus de heris ita loquebatur, qui parum vigiles sunt atque solliciti, quid de illis diceret; qui pessimo suis sunt exemplo; si defectionis habuit & apostasiæ cujusdam loco simplicem negligentiam, aut oblivionem herilis officii, quo eum notaret nomine, qui non modò domesticorum saluti, quam DEO præstare debet, non invigilat, verum etiam, dum eorum pervertit mores, æternæ ipsorum damnationis præcipuus ac primarius est autor. Hoc ipsum tamen est, quod videmus, quotidiè, nec sine maximo doloris sensu videmus. Necesse est enim, homo profane, qui me audis (*supportate me, Auditores, amulor enim vos DEI amulatione*, qui me urget, & profari jubet quod sentio.) Necesse est ut famulus ille, qui se tibi adjunxit, & æternos inferorum ignes nihil pensi habet, si modò tibi sit acceptus, & miserabilis fortunæ gradum assequatur, necesse est, inquam, ut & administer & particeps sit iniquitatis tuæ, cùm eo in eis uteris, quæ Christianis auribus, & hujus loci sanctitati debitus honos cum omni suâ fœditate & indignitate significare me prohibet. Scandalum abominandum! scandalum, propter quod meritò centies ingeminem, *Væ homini illi*! Væ viro illi principi! væ hero illi! necesse est fœmina Christiana, si tamen, ut nunc sunt tui mo-

2. Cor. 11.

Matth. 18.

mores, adhuc Christiana videri vis, necesse est, ut puella illa, quæ tibi famulatur, puella nulli vitio affinis, famâ integrâ & illibatâ cùm se tibi primum addixit, addiscat ex te quod nunquam non ignorare debeat. Necesse est ut communices cum eâ furtivos tuos amores; sit eorum particeps vel invita, cùm ab ipsâ officia exigis, in quibus officium est nefas. Cùm tibi illam commisit DEUS, tuæque mandavit fidei, pudicitiam illius voluit tutelæ tuæ commendatam, & eam amittit apud te. Domus tua schola illi sapientiæ & pudoris sacrarium esse debuit, & docetur pudorem ibi omnem ponere. Indole erat bonâ & factâ ad virtutem, &, flagitiorum, quæ illi tecum est, fatali societate, egregia illa indoles statim defloretscit; præclara illa virtutis semina statim suffocantur. Quid es olim supremo responsura judici, cùm illam tibi ostendet peccatis tuis coopertam? cùm illam aspicies in inferis pœnarum tuarum consortem? ne vos offendat, Auditores, hæc sermonis vehementia; nunquam fortasse magis illi locus fuit. Sed, ne fusius persequar illud scandali genus, quo fiunt famuli vestri flagitiorum vestrorum participes, cujus est apud eos ponderis vel unum heri, etiam incogitantis, etiam nolentis, exemplum. Nam, si in eâ estis opinione ut late-

latere eos existimetis flagitia vestra, erratis, Auditores, & erratis vehementer. Istuc nec fit, nec fieri potest. Quot famulos, tot vitæ testes habetis, nec testes tantùm, sed & censores totidem, qui curiosis oculis cuncta perspiciunt, & de vobis cùm pronuntiant inter sese, nunquam errant.

Cujus criminis reos esse dicam illos DEI ministros, qui sacratissimo sacerdotij charactare insigniti, illum contaminant planè seculari atque profanâ, ne dicam impurâ ac licentiore vitâ, cujus turpitudo in sacrum ipsorum statum redundat & sacerdotale munus. Oportebat eos, jubente Christo, *sal esse terræ*; & per eos ipsos, inquit Gregorius magnus, *terra corrumpitur*. Oportebat eos *lucem esse mundi*, & eò duntaxat lucere videntur, ut magis appareant maculæ, quas in ijs nemo non deprehendit, quas pro ijs nemo non erubescit. Oportebat eos esse urbem illam positam in edito monte, ut sunt reipsâ, & in sublimi tantùm positos credas, ut altius appareant quædam vitiorum portenta, ad quorum conspectum populi stupent, turbantur, cohorrescunt, ipsorúmque autoribus æternum dedecus & ignominiam inurunt. Tot malis concitatus olim DEUS apud unum è Prophetis sacerdotes ijs verbis increpat, quæ

Matth. 5.

Ibid.

Ibid.

quæ ego ipsis accommodare non ausim hoc loco, nisi illius exemplo, imò & jussu, ad quem unum pertinet tam vehementer illos támque acriter reprehendere. Sed quoniam ad me etiam ut sacerdotem attinet ista criminatio, aliósque dum admoneo, simul admoneo me ipsum hîs Malachiæ verbis non dubitabo DEum loquentem inducere. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes.* Nunc igitur, Sacerdotes inquit DEUS, & qui altaribus meis ministratis, audite me dum loquor, & in vos metipsi judices sedete. Præfeceram vos Ecclesiæ meæ, ut illi in omnibus meorum sanctimoniâ præiretis; constitueram vos gregis Pastores. *Ut labia vestra custodiant scientiam,* actiones vestræ omnes, veræ pietatis norma cunctis esse debuerant: sanctissimorum tamen munerum, quæ vobis imposueram, obliti, declinastis à recto tramite, quem alijs monstrabatis, & pro officij ratione, monstrare vos oportebat. Sponte deerrastis, & deerrando alios multos vobiscum in errorem abduxistis. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* Hinc quot mala consequuta sunt? hoc ipsum est utique, Auditores Christiani, quod multò minus cogitare aut exponere hoc loco audeam, ni & à DEO etiam ipso ibidem subjungatur;

Malach. 2.

Ibid.

Ibid.

Prop-

Ibid. *Propter quod dedi vos contemptibiles omnibus populis.* Ac si dicat, quapropter quamvis pastores animarum, quamvis Sacrosancti Altaris ministri, turpi populorum omnium contemptu, me permittente laboratis. Vita vestra, aut publica potius vitæ vestræ dedecora vos addixerunt in eorum despectum, ut non sit in ijs quisquam, qui acrem passim in vos censuram non exerceat.

Annon ita agi videmus, cum illis DEI ministris, qui miseram illam salis Evangelici sortem experiuntur. Quid enim sale fit; inquit Christus, cùm semel est corruptum? hominum videlicet pedibus proculcatur. *Quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultrà, nisi ut conculcetur ab hominibus.* Matth. 5. Et verò, justâ DEI animadversione, qui non vult, illam Evangelij metaphoram frustra esse, permittitque Malachiæ Prophetiam apertè impleri, quid contemptius Sacerdote qui malè audit? longè absum ab eo, Auditores, ut contemptum illum vestrum, dum ita loquor, probare velim, & rata habere quæ inde colligere soletis. Dum Sacerdotum vitia insector & exagito, id specto unum, ut contra illa vos muniam, non ut pudorem fontibus imponam: Id specto, ut amoliar à vobis contagionis periculum. Id specto, ut vitia illa non sint vobis incitamenta ad peccandum: ut vos non conturbent: ut

ipsum

ipsum fidei vestræ fundamentum non concutiant ; ut ex iis impietas vires & audaciam non sumat. Scio enim quantum quotidie in his triumphet ; scio quos aculeos in animis vestris relinquat probrosa Sacerdotum vita. Scio quantum momentum habeat ad pectus vestrum obfirmandum, & prava eorum exempla , aut potius quæ ex eorum moribus & exemplis magis pravè colligitis , maximo esse ad salutem vestram impedimento.

Sed ut gravissimnm hoc concionis nostræ caput in eo desinat , quod colligi potest ex evangelicis verbis ad mores nostros informandos ; væ vobis , si non jam ipsa Christi persona , sed Christus in ministris suis vobis scandalo est , in ministris , inquam , suis , sacro ministerio quantumlibet indignis ; illo si quidem etiam sensu verum est , beatum fore , qui in ipso non offenderit. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Væ vobis si scandalo illo vos abripi sinitis , & , si quantumvis contagiosum malum illud sit , ab eius malignitate & contagio tutos vos præstare non valetis. Quid ita ? quoniam Christus , qui & prævidit omnia , & providit omnibus sapientissimè , ad illud impugnandum & vincendum remedia vobis suppeditavit , quæ , si non adhibueritis , inexcusabiles vos esse ostendent.

Ac

Ac primum monuit, hoc scandali genus futurum aliquando, ne vobis illud mirum accideret. Rursum ipse præscripsit quid facto sit opus, si contigerit ministros illos suos, dum *super Cathedram sedent Moysi*, non præire vobis exemplo. Docuit, sequenda puriοris præcepta doctrinæ quam tradunt, sed vitandam, si qua sit morum corruptelam. Ex ipsorum doctrinâ, non ex vitâ quam ducunt, vos judicandos; audiendos, non immitandos eos esse. Obtemperandum ipsis, at impressis ab iis vestigiis non insistendum. Cæterum cùm DEI sint ministri, legitimaque & à se acceptâ potestate utantur, vobis fas non esse illos quantumvis vitiosos contemnere; quoniam vester ille contemptus in eum ipsum redundet necesse est, à quo sunt missi. *Qui vos spernit me spernit.*

Matth. 23.

Luc. 10.

Quid de his nunc dicam quos appellavi *fortes in fide*, quia & nati & educati sunt in Ecclesiæ sinu? sùntne ullâ in eo excusatione digni, quod cum tot sanctis operariis adjutores eos esse oporteat, ad reducendos in viam densis errorum tenebris adhuc immersos fratres nostros, aut ad confirmandos illos. qui etiam post abjuratam hæresim & reditum ad Christi caulas, nutant in fide, id contrà tantum moliri videntur, ut exemplis

lis eos ſuis à nobis magis alienent, aut in eaſdem errorum tenebras revolvant. Si enim planè atque ex animo errores ſuos non abdicarunt innumeri ex illis, quos aut miſera naſcendi conditio deduxerat à Catholicâ communione, aut ſunt recens ad eam revocati; exemplis id noſtris; fateamur enim neceſſe eſt non ſine pudore; exemplis id noſtris, depravatiſque moribus tribuendum. Si tam ægrè redeunt ad nos; aut permanent nobiſcum; in causâ eſt noſtrum illud vitæ mollioris ſtudium; vitia illa noſtra, impietas illa noſtra, in eo ipſo quem profitemur veri, Numinis cultu. Si nos haberent tam ſinceros ferventésque Catholicos quàm officii nominisque noſtri ratio poſtulat; brevi fierent ſimiles nobis. Nihil magis valet ad eos in præjudicatis opinionibus ſuis firmandos, quàm fœdum illud ex actionibus & fide noſtrâ; quod animadvertunt, conflatum in nobis monſtrum. Quæ mens, qui ſenſus eſſe poteſt, cùm nos divinæ rei tam irreverenter intereſſe conſpicantur. Nonne hoc unum ſatis eſt ad eos ab hujus ſacri myſterii fide, ad quam fortaſſe jam ſponte propendent, avertendos? hoc unum (ita enim loquuntur) non facit ut dubitent, an nos ipſi ſatis perſuaſum habeamus, Chriſti corpus latere reipſa Euchariſticis typis obductum; &,

an

an non ſatius fuerit eos iſtuc non credere omninò, quàm in tantæ profanationis crimen incurrere? quantovis tandem nos videant zelo ſuccenſos, ad extirpandas omnes ſchiſmatis fibras, vix poſſunt ſibi in animum inducere, verè nos atque ex animo credere, DEUM in Venerabili Sacramento præſentem adeſſe, quandiu oculis ipſi uſurpant, quæ in templis noſtris in ipſóque adeò ſacri Altaris conſpectu tam irreverenter committuntur. Inde errunt contra nos argumenta eo majoris apud ipſos ponderis, quò ſunt illa omnibus magis aperta. Noſtrum eſt igitur efficere, ut hoc ſcandalum evaneſcat, & cum eo, quæ malignè, ſi vultis ſed verè fortaſſe nobis hæreſis ſemper objecit, alia multa. Hac felici tandem arte perfectum reddemus opus DEI. Hæc illa ſuaviſſima vis eſt, quam afferre Evangelium ſinit, ut balantes oves cogantur, ſi fas eſt ita loqui, redire quamprimum in viam. Habeant modò exempla noſtra, nihil verbis opus admodum erit; eos brevi Catholicos habebimus. Reipſa oſtendamus planè, conſentire fidem noſtram cum factis: nobis utique non reſiſtent Fidei Chriſtianæ mores noſtri; auguſtiſſimo Religionis noſtræ ſacrificio, modeſtia pietasque noſtra honori ſit & ornamento: ad id invitamur vel hac unâ ratione quam afferſ

fert Regius psaltes : *Ne quando dicant gentes : ubi est DEUS eorum ?* Me gentes sciscitentur ; certè ne sciscitari liceat, quo tandem sit loco Christianorum DEUS. Et, si verè ibi adest, ubi præsentem adesse credunt, cur debitam illi reverentiam ac cultum ibidem non præstent ; imò cur inhonestent ; cur illi insultent : cur verendam ipsius majestatem ibi quotidiè violare non reformident. *Psal. 115.*

Quid dicam de illis, qui, dum pietati, & bonis operibus insistunt, vitia quædam in ea irrepere patiuntur, quæ cùm impij deprehendunt, ansam arripiunt ex illis & obtrectandi pietatem ipsam, & liberius peccandi. Sic sunt enimverò homines mundani, quantavis & ipsi laborent impietate, omni prorsus vitiorum labe carere volunt DEI famulos. Volunt eorum mores censuræ inaccessos, nihilque inesse in totâ agendi ratione per quod à sanctiori vitæ instituto vel latum unguem deflectant. In eo mundi expectationi si non respondent, si planè non abhorrent ab aliorum moribus ; si eorum pietas non est immunis humanis quotidianisque noxis ; si jungunt pietati cupiditatum intemperantiam ; si subtiliorem offensarum vindictam ; si sacri ardoris nomine privatæ utilitatis studium ; si arcana ambitiosæ mentis consilia ; si naturæ vividioris impetus ;

si

si linguæ prurientis impotentiam ; si ostendat se quis , pietati deditus , paulò acriorem honoris defensorem ; si lividum , si attentum ad rem , si injustum , si bilinguem & malæ fidei virum , quos tunc triumphos impietas non agit ? quod sibi jus non arrogat ? non me fugit vetanos illos mundi amatores ; dum pietatem vellicant , plerúmque facere injuriam immerenti ; atque ob idipsum , arguit Chrysostomus , qui DEO servire student *in Spiritu & veritate* , debent accuratius multò sua obire munia , majore studio noxas cavere leviſſimas , quòd , quemadmodum ait Apostolus ; ipsorum est , ora obturare impiorum , *ut inimici nostri nihil habeant dicere de nobis : ut non blasphemetur nomen Domini* : ipsiúsque cultus non evilescat ; ut Religioni Christianæ ; aut in Christianâ Religione , sua DEO gloria tribuatur. *Ut is qui ex adverso est vereatur , nihil habens malum dicere de nobis.*

Tom. 4.

Tit. 2.

Ibid.

Sed jam finis sit , Auditores ; atque ut fructum omnem concionis hujus paucis colligam ; caveamus diligenter , ne in ullis aliorum vitijs offendamus ; sed multò magis ne in ullis vitijs nostris alij viciſſim offendant. Hæc psalmographi verba crebrò usurpemus : *Custodi me à scandalis operantium iniquitatem.* Defendas me , quæso Domine , ab ijs hominibus qui offensio-

Psal. 140.

nis

his causas alijs inferunt atque scandali ab ijs qui palàm & apertè improbi, nequitiam profitentur ac præseferunt. Sed & danda nobis opera est; Christiani Auditores, ne ipsi etiam in eorundem simus numero. Si proximus causas nobis affert peccandi, *non oculo, non dextera, quæ nos scandalizat*, parcendum, ex Christi præscripto; illum eruamus, hanc abscindamus. Quanta nobis cumque sit vis adhibenda, secedamus, & secernamus nos potius ab ijs qui nobis chariſſimi sunt; quàm ut salutem nostram in discrimen adducamus. Nec minore studio cavendum nobis est ne proximum inducamus latam in viam: quoniam nobiscum si pereat, duplici culpâ tenebimur; duplo majorem in caput nostrum pœnam accersemus. Ad vos potiſſimùm quos DEUS populo secrevit, quos evexit ad primos Regni gradus, ad vos, inquam, potiſſimùm pertinet ista Christi doctrina. Vobis illam, quæso vos, aptate, & mementote, quò altius estis supra cæteros mortales evecti, eò graviorem vobis legem impositam esse, alios non offendendi, ne exemplum vestrum infirmos fratres eundem in casum ac ruinam præcipites trahat. Quis enim illi obsistat, & ubi reperias eâ animi magnitudine, ut tam rapido torrenti firmiter obluctetur? memoriâ tenete monitum il-

lud Servatoris Christi : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Matth. 5. Ac si dicat ; facite ut opera vestra digna sint quæ spectentur ; ut homines vestro exemplo permoti, signatis vestigijs ingredi dum sueſcunt, felici quadam necessitate, à peccato declinent, longéque feliciore necessitate nitantur ad virtutem. Nunquam vobis excidat, vestrum esse, scandala quæ passim inter homines vigent, prohibere. In hoc electos esse vos à DEO, & in altum profectos. Ah! utinam, Domine, utinam hoc in loco, in hac domo Regiâ, possim id ipsum, quod Angelorum erit in die judicij, præstare. Mandabis inter alia ut colligant in unum & amoveant à Regno tuo scandalorum autores omnes ; *Et mittet Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala.* Matth. 14. Utinam mihi per te liceat ministros illos tuos officio prævertere ! utinam detur jam nunc exequi mandatum illud tuum ! utinam jam nunc ad Ecclesiam tot scandalis levandam, fas mihi sit, omnes scandalorum autores exterminare, non quidem ut Angeli DEI vindices, eos tuo nomine reprobando, sed, ut Evangelicum præconem decet, ab vitiorum cpntagione ad sanctiorem vitam revocando ! per vos tantùm stabit, Auditores, quin meis optatis votisque res ipsa respondeat. Vestrâ hîc u-

ti-

tilitas, & utilitas agitur maxima; vestra si quidem agitur salus, & æterna illa felicitas, quam vobis ex animo precor. Amen.

IN DOMINICA TERTIA ADVENTUS CONCIO.

De falsâ Conscientiâ

Dixerunt ergo ei: quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? ait: ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini. *Joan. 1.*

REX CHRISTIANISSIME,

NON minima videri debet Joannis commendatio, quòd, ut Christo, cujus adventum nuntiabat, vias in hominum animis explanaret, fuerit à DEO potissimùm

mùm electus. Neque profectò clariore se ipse præconio exornet, omnes eum sibi, tum præcursoris ministerio debitas laudes in unum si congerat deditâ operâ, quàm dum summam ipsius demissionem, quæ tam honorificum tribuit testimonium vel invito, liberè fari permittit. *Ego*, inquit, *Vox clamantis in deserto.* Ut enim quis esset illa præcursoris *Vox* non Prophetam modò *& plus quàm Prophetam* sed & *Angelum* eum esse oportebat; de eo si quidem DEUS, Christo ipso autore, Malachiæ verbis filium compellans, significat ac fore prædicit, ut Angelum suum mittat, qui sit ipsi anteambulonis & præ-nuncii loco. *Hic est enim de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.*

Luc. 1.

Malach.

Matth. 11.

Tametsi longè distem ab Angeli & Prophetæ dotibus, idem tamen munus obire, eodem officio, quo Joannes erga Christum, perfungi jubeor, & ejusdem exemplo, non jam in loco solo atque deserto, sed mediâ in Aulâ clamare, *dirigite viam Domini.* DEUS vester, Christiani Auditores, quot quot hîc adestis, DEUS vester adventat; jam est in proximo. Comparate vos ad eum dignè excipiendum; ac quoniam is vult officio præverti, explanate in animis vestris beatam illam viam, qua est ille ad vos iturus,

vos

vos ad illum, Eo consilio missus in Judæam est Joannes Baptista. Neque verò aliam ego ob causam hunc in locum prodeo. Nimirum ut vos doceam, quænam sit illa tandem Domini via, tam disjuncta ab iis quas profani mundi amatores insistunt. Sanctam eam esse fides docet; ac væ mihi si formam illius aliquam, speciémque ab eâ diversam oculis vestris unquam obiiciam. Sed quænam sit via illa sanctior calcanda, quænam huic contraria, vitandaque adeò nobis, operæ pretium est cognoscere: atque istud ipsum argumentum est, de quo verba apud vos sum facturus hodiernâ die, si prius divinam opem per Beatissimam Virginem, solita prece salutatam, imploravero. *Ave Maria.*

EVANGELICÆ sententiæ, quam initio proposuimus, aliunde non est, quàm à nobis metipsis; petenda expositio. Illa *Domini via*, quam parare nos oportet, aliud nihil est, quàm conscientia cujusque. Via illa obliqua, quam nos facere rectam oportet, conscientia nostra est, vitiosis seculi legibus corrupta. Via illa dolosa ac fallax. *Quæ ducit ad perditionem* cæca est & erronea flagitiosi hominis conscientia. Via illa tuta, *quæ ducit ad vitam*, recta est ac religiosa Christiani homi- *Matth. 7.* *Ibid.*

minis conscientia. In hoc utique Joannis concio, traditæque ab eo doctrinæ, mysterium omne consistit. *Dirigite viam Domini.* Via nostra, conscientia nostra est? eâ siquidem ambulamus, eâ progredimur, eâ deerramus. *Via Domini*
Isa. 55. *est*; eâ siquidem, *Deum quærimus, Deum invenimus.* Inest via illa in nobis; conscientia siquidem nostra, pars est nostri quædam, & quod est in animo magis reconditum & occultum. Parare illam no-
Eccles. 15. strum est; quoniam ideò *Deus constituit nos, & reliquit in manu consilii nostri.* Unde intelligitis, Auditores, quàm meritò Judæos moneret Sanctus Christi præcursor, ut viam Domini dirigerent: *Dirigite viam Domini.*

Atque ut ex hac tam gravi præcursoris doctrinâ fructus aliquis existat, falsæ conscientiæ mala vobis hodiernâ die aperire atque explicare constitui; falsæ, inquam, conscientiæ, quæ via illa est viæ Domini prorsus contraria. Volo mala illa, si fieri potest, ut prohibeam à vobis, ostendere, falsam conscientiam quàm facilè sibi constituant homines mundani; quàm periculosum, aut potius, quàm periculosum sit falsæ conscientiæ ductum sequi. Denique quàm inutile fuerit, falsam apud Deum conscientiam suis erroribus prætendere. Quæ tria, quoniã totidem erunt con-

cio-

cionis hujus partes, eorum ordinem ac seriem, quæso vos, diligenter attendite. Facile est falsam sibi ipsi conscientiam fingere privatim & constituere. Periculosum est, falsam conscientiam habere vivendi ducem. Falsa conscientia, vana & futilis erit apud DEUM excusatio. En tria capita tractanda nobis sigillatim. Primum, falsæ conscientiæ fontem aperiet & originem primam. Alterum, pernicioſos demonstrabit illius effectus. Postremum, errorem hunc, fortasse vestrum, confutabit, falsam conscientiam, apud DEUM judicem excusare vos aliquando posse. Videtis, quàm vestrâ omni attentione sit res digna.

PARS I.

SI Divina lex unica esset humanarum actionum norma, omnisque vitæ nostræ ratio ad illam primam legem, cujus DEUS est autor, exigenda tantum esset, videri possent peccata omnia de mundo sublata. Omnes, non perfecti modò, sed & impeccabiles essemus. Errores nostri, flagitia nostra, nostræ in salutis itinere aberrationes, ex eo proficiscuntur, quòd præter divinam legem, est & alia regula, quam sequi nos oportet; unde omnis actionum nostrarum bonitas emanat: aut potius, quòd divina lex, quæ communis est humanarum actionum regula, ab aliâ proximiore, conscientiâ videlicet, singulis hominibus est ad-

admovenda. Quid enim est conscientia? divinæ legis, inquit Angelicus Doctor, ad singulas actiones nostras applicatio. Scitis autem, neque enim fieri potest, quin id habeatis longo usu cognitum, scitis hominum quemque divinam hanc legem admovere atque applicare sibi; pro accepto à naturâ rationis lumine, pro mentis acie, pro ingenij modo ac facultate; amplius dico, pro secretis motibus & præsenti animi affectione. Inde fit, ut regula illa cœlestis perperam nobis admota, adeò non tuta sit actionum nostrarum regula, ut, præter DEI voluntatem, sæpe in perniciem cedat nostram, dum eâ & illius authoritate modò ad malè agendum abutimur, modò ad bonum, contra sanctissimas officij leges ommittendum. Mentem meam, gravissimúmque doctrinæ Christianæ caput dum evolvo, quantum in vobis erit, quæso percipite.

Sic est, Auditores divina lex spectata in se proútque DEUM autorem respicit, simplex est & æquabilis, sibi semper constans, mutationis expers, atque, ut Propheta loquitur, *sancta & immaculata.* Eadem tamen ab homine percepta, explicata, contorta, ad cujusque hominis naturam & conscientiam accommodata, varias formas induit, pro ingeniorum

Psal. 18.

&

& conscientiarum varietate. Tam est obnoxia mutationi, quàm ille ipse qui eam servat, aut servare videri vult, inconstans est, & instabilis persese. Dicámne? tam imperfecta sit & vitiosa, quàm nos ipsi, cùm eâ abutimur, sumus, vel cùm ab eâ regi nos ac moveri falsò judicamus. Fateor divinam esse legem: sed eam alius uno, alius alio modo interpretatur; atque hac ratione desinit esse simplex, & unius ejusdémque formæ. Divina est, sed pro diverso vitæ nostræ statu, nunc eam restringimus, nunc laxamus. Hodie sumus rigidi illius interpretes, cras benigni; atque adeò stabilitatem, quoad nos: ac firmitatem non habet. Divina est, sed vanis ratiocinationibus & interpretamentis illam opinionum cupiditatúmque nostrarum pravitati accommodamus. Unde fit, ut ab innatâ sanctitate paulatim ea desciscat ac degeneret. Verbo ut uno cuncta complectar, tametsi divina, pro intimâ conjunctione, quam habet cum hominis conscientiâ, eo sensu cum ejus iniquitate permiscetur atque confunditur. Apertius loquamur ea de re, quæ satis apertè ac planè explicari non potest.

Quoquo tandem modo mundani homines vivant, agit eorum quisque privatæ cujusdam conscientiæ ductu, quam fingunt

gunt & constituunt sibi metipsi; ac fateor ita ab illis constituendam necessariò eam esse. Nam, ut ait Apostolus, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Per fidem autem intelligit Paulus hominis conscientiam, non Christianam fidem; aut, si vultis, fidem practicam ad conscientiam revocat. Ita sentiunt patres; atque ita apertè demonstrat verborum contextus, sermonisque continuatio. Igitur significat Apostolus, ut peccati labes vitetur, agendum esse ex conscientiæ præscripto; eum autem omnem, qui non ex illo conscieatiæ præscripto, aut contra illud agit, quæcunque tandem res illa sit quam agit etiam bona, peccare nihilominus; at non inde contrà sequitur, id omne quod ex conscientiæ præscripto fit, esse peccati immune Neque enim ignorare potestis quod sum mox dicturus, quin Religionis caput vestræ ignoretis longè gravissimum; ut recta non est conscientia quævis, ita id omne quod fit ex conscientiæ præscripto, rectum non esse. Planum facio quid velim. Ut sunt conscientiæ malæ fidei, conscientiæ depravatæ, conscientiæ, quemadmodum sacræ litteræ loquuntur, *cauteriatæ. Cauteriatam habentium conscientiam*, hoc est, conscientiæ vitijs inquinatæ ac fœdatæ, quas si scruteris, nihil reperias præter immensam flagitiorum omnium voraginem; quod

Rom. 14.

1. Ad Tim. 4.

fit

sit earum præscripto, melius esse nequit, quàm illæ ipsæ. Igitur potest quis peccare, etiam cùm agit ex conscientiæ præscripto, &, quod mirum magis videatur, potest peccare vel in eo ipso, & ob id etiam ipsum, quòd agit ex præscripto conscientiæ. Quoniam certi cujusdam generis conscientiæ sunt, quarum ductum sequi nunquam licet; &, quæ peccatis semel infectæ, nihil præter peccata proferre ac gignere ex sese valent. Potest quis dum suo arbitratu conscientiam sibi ipse fingit ac componit, cæli aditum sibi præcludere; quia videlicet sunt conscientiæ ita fictæ ab hominibus ac compositæ, ut non nisi sempiternum ad interitum duces illis esse queant.

Contendo autem, atque hoc loco, Christiani Auditores, pro æternæ salutis, quo flagrare vos oportet, studio, attentionem vestram postulo; contendo, inquam, mundanis hominibus facillimum esse; fingere sibi privatam ejusmodi conscientiam. Contendo, quò magis cæteris mortalibus antestatis, eò difficilius esse, quin conscientia cujusque vestrum sit ejus generis quod dixi. Contendo, talem conscientiam fingi conflarique facilius posse in certis quibusdam vitæ statibus, quibus illa mundi pars nobilior quam obtinetis, & continetur & distingui-

guitur ab aliis. Hæc tria si persuasero, fieri potest, quin descendatis in vos met-ipsi, &, quantùm ad vos attineat hoc malum, seriò agnoscatis?

Dixi, mundanis hominibus facillimum esse, falsam sibi conscientiam suum ad arbitrium fabricari & architectari. Quid ita? quia nihil facilius, nihil proclivius, quàm ex desideriis utilitatibus vesuis conscientiam suam comparare. Sunt enim hi duo mali hujus amplissimi fontes atque principia. In utroque autem situm est id, quod inordinatam & erroneam conscientiam appello. Quàm verè hæc à me dicantur, si modò attenditis, cognoscetis. Conscientia vel eo nomine inordinata, quod ad propria desideria exigitur. Cujus rei rationem sanè invictam affert Augustinus. Nimirum in rerum ordine constituto divinitus, debent hominum desideria ad ipsorum conscientiam, non conscientia ad ipsorum exigi desideria. En tamen scopulus, inquit idem Augustinus, ad quem, ni cavemus, vulgò allidimus. Cùm ad conscientiæ nostræ normam desideria nostra dirigi debeant, fiunt nobis desideria, conscientiæ leges & norma vivendi. Ac quoniam in desideriis nostris conscientia nostra vertitur, quid inde fit? insistite, quæso, Augustini sententiæ. Quidquid libitum est, prout

prout est libitum, & rectum fit & videtur. *Quodcunque volumus, bonum est.* Nobis fortasse principio jucundum, utile, commodum duntaxat visum est; nunc quia libet, sæpius spectando velut jucundum, utile, aut commodum; licitum fingimus, minimè malum esse contendimus, honestum judicamus, & longius, ut fit, errore progrediente, eò devenimus, ut pium ac religiosum etiam arbitremur. *Et quodcunque placet sanctum est.* Unde hoc autem? ex authoritate & imperio quod sibi cor nostrum sensim in mentem ascivit, impellitque, ad res, non ex veritate, sed ex arbitrio & voluntate nostrâ æstimandas. Quasi verò sit positum in nobis, ut sint illæ pro libidine nostrâ bonæ vel malæ & formam, induant quam præoptamus. Istuc enim propriè significatum voluit Augustinus; *quodcunque placet sanctum est.* Quod libet, quamvis falsum, quamvis injustum, quamvis damnandum, dum nimis & sæpius libet, nobis veritas, nobis justitia, nobis gloriæ fit seges & virtus. Si se quisque attentè perspiciat, pensétque severiore trutinâ, pauci fortasse ex iis ad quos verba facio, mali hujus immunes se putent. Hinc Propheta, cùm sermonem habet de pernicioſis illis erroribus detestandisque placitis; quæ per hominum serpunt mentes, *Augst.*

&

& ex quibus pravam homines improbi & impii conscientiam sibi sensim struunt, statim subdit, peccatorem & impium, errores illos corde concipere, firmare in corde, ex corde manare tanquam ex fonte, in corde denique mussitare eosdem ea cuncta, quæ in flagitiis & impietate suâ retinere eos valent; *Dixit impius in corde suo.* Psal. 49. Is rationi si auscultasset, longè diversâ imbuisset doctrinâ. Si fidem adhibuisset in consilium, cum ratione consentiens in eo, dixisset illi, falleris. Capitale est quod moliris. Est supremum tribunal ad quod sistéris aliquando ex lege, quæ facinus illud vetat, judicandus: est cœlo DEUS, minimèque omnium divellenda ab eò proprietas, providentia, cujus pars est justitia illa strictior ex qua sceleris admissi pœnas ipsi persolves. Hæc ei ratione ipsâ nixa Religio, tametsi impio, suggessisset. Sed enim quia cum corde suo uno deliberavit, quia unum audiit, ut est illud natura suâ semper ad fallendum paratum ac promptum, longè diversum cum eo sermonem habuit. Dixit, rationem, in hac & illâ re, in hac & illâ occasione, non tam rigidam imponere duramque legem. Dixit, æternam animæ damnationem, quæ tale ac tantum malum est, ex tantillâ re pendére non posse. Dixit, sævam nimis Religio-

gio-

gionem fore, si cælesti vindictæ tam latos fines constitueret. Ex his omnibus certas sibi ipse finxit vivendi leges ac regulas, ad quas conscientiam suam accommodavit; quid autem, inquam, facilius, quàm suis vitijs blandientes istiusmodi regulas ponere, ad quas conscientiam exigas. Cedo hominem, cujus cordi prava aliqua cupiditas dominetur; quanto tempore servitus illa durat, quàm pronus est ad ferendam sententiam & judicium pronunciandum quod suadet & dictat cupiditas illa? quàm alacer & expeditus ad approbandum quodcumque eidem favet, velut æquitati & rationi consentaneum, & ad amovendum à sese id omne quod huic malo mederi debeat. Exemplo utamur cupiditatis communis & pervagatæ. Tenetur quis vetitis amoribus; horum dulcedinem ne interpellet occultus conscientiæ tortor, quid non fit, ut is unà conspiret; si moderanda commercia quædam, si comprimenda petulantia, si omittenda & vitanda occasio, quæ fœdæ libidini pabulum suppeditat; ubi pectus semel irretiri cœptum est, quot menti, splendidas illas quidem, sed falsas rationes affert, ut conscientiæ fines proferat? ut, aut divini præcepti jugum excutiat, aut illius rigorem mitiget; ut de jure litiget etiam aperto; ut nonnulla voca-

vocari curet in dubium, tametsi manifesta; offensionem, verbi causâ, & scandalum nullum adjunctum habere arctam illam contubernij necessitudinem, quamvis res comperta sit & fortasse jam publica: ut ostendat, nec proximiam, nec voluntariam esse peccandi occasionem, quamquam utrumque constet; ut causis inanibus & impedimentis, quæ, si DEO placet, superari nequeunt, viam sibi præcludat ad emergendum è libidinis volutabro; ut excuset colorétque obstinatum in adrumpendis vinculis illis suis tarditatem. Ut sunt homines, cùm hinc cupiditas, hinc officium urget, aut potius, ubi semel humanum pectus, quò suo prænutu inclinat, egit sese imprudens, si quis integram & puram, eò loci, omnis inquam, erroris labe conscientiam immunem servet, quanto cœlestis gratiæ miraculo res est tribuenda; at, si ex desiderijs facile est pravas sibi conscientiæ leges constituere, multò facilius ex utilitate; nam, ut optimè ratiocinatur Chrysostomus, humana desideria utilitas potissimum acuit, injicítque ardorem illum, ad cæcandos in salutis semitâ homines, tam idoneum. Et verò cur homines mundani vitiosam sibi vulgò & erroneam conscientiam fingunt, nisi ob emolumenta quædam sua, de quibus nihil prorsus

sus remittere certum est illis ac deliberatum. Cur innumeris in rebus, quas vetat divina lex, quotidie franguntur acerrimi quique conscientiæ stimuli, nisi quia nulli tam acres, quos acrior cupiditas & utilitas conscientiâ potentior non frangat. Audivimus haud semel, & fortasse verum id esse experti sumus, vel inviti, conscientiam rectam, vitam alienam à vitijs, imò censoriam severitatem, ubi utilitas nostra non agitur, rem esse non valde operosam ac difficilem; propriâ utilitate aut cessante, aut remotâ, nihil habent ullæ conscientiæ leges tam grave, quod nobis non probetur, imò quod non sapiat. De ijs sanè ac integrè judicamus, facundè loquimur, præcepta tradimus, quæ strictè & perfectissimè ab alijs observata volumus, non sine eorum omnium odio, quæ doctrinæ nostræ sanctitati non congruunt. Atenim ubi de commodis & emolumentis nostris agitur; ubi certat utilitas cum austeriore illâ, quam profitebamur, morum doctrinâ; scitis, Auditores, quàm scimus in errorem nostrum ingenioſi. Hebescit continuò mentis nostræ acies; nostra illa labat severitas, nec sibi satis constat. Jam res non intuemur animo. illo simplice ac defæcato, quo mundana solet perspicacitas; quia nobis est utile, opinones illæ visæ nobis hactenus laxio-

res, non jam videntur usque adeò laxæ, imò spectatæ propius, cum rectâ ratione consentire. Probabilitas illa, cujus vel ipsum nomen aures respuebant, animus aversabatur, oblatâ utilitatis spe, non tam odiosa jam apparet. Quod ut iniquum antea atque absurdum damnabamus, ubi affulget aliqua nobis utilitatis species, mutatâ veluti naturâ, judicio nostro æquum prorsus ac rectum est. Quod vitio vertebamus in alijs, legitimum esse incipit nostrâ causâ, & excusatione dignum. Nobiscum fortassis luctandum nonnihil, sed succumbimus tandem, & jubente utilitate illâ, qua volentes ducimur, mirâ quadam virtute, formam quam volumus, conscientia nostra vel induit vel ponit. Ecquando rectâ vulgò sumus & castigatâ conscientiâ? ecquando sumus rigidi morum Magistri? fateamur ingenuè quod res est; cùm non aguntur rationes nostræ, sed alienæ. Cùm ad nos quæstio non attinet. Ergò anxiè sumus & severè Religiosi in alienâ causâ. Quamobrem? quoniam molliorem & remissiorem esse in alios, nunquam est utile: fieri autem potest, ut austera in alios severitas, cum nonnullis utilitatis fructibus sit conjuncta; imo privatam in rem & gloriam, cum aliorum etiam detrimento, severitas illa nonnunquam convertitur. Verum enim-

vero

vero pudendâ cæcitate, quam vitare paucorum est, sibi quisque est Religiosus, prout rerum suarum necessitas, prout fortunæ ratio, prout boni vel mali susceptorum exitus, denique prout privatæ utilitates patiuntur. Hinc error & iniquitas passim in homines dominatur. Audi Laïcum de sacerdotum officijs differentem. Oraculum putes: cæci sunt omnes præ illo: verùm attende de se suísque officijs ratiocinantem, vel potius illum ex factis æstima: vix homo videbitur, ac tanti te Doctoris miserescet.

Vultis, Auditores, rem eloquar apertius, & penè ante oculos vestros constituam. Ejus est illa naturæ, ut pro merito satis apertè explanari nequeat. Accipite animis, ac diligenter percipite quæ sum positurus in exemplum. Colligam hoc loco quæcumque à Theologis docentur, à Theologis dico moderatioribus & ab inconsultâ severitate magis alienis, imò ab ijs, si vultis, qui commodiores habentur, & sunt, quâ jure, quâ injuria, doctrinæ solutioris & indulgentioris vulgò suspecti; colligam, inquam, quæ fieri posse negant salvâ conscientiâ, & sequi tamen nolint acerrimi illorum obtrectatores; recitem hîc verbis totidem, nihil addens aut detrahens, eorum, qui tam commodi censentur, opiniones, ac

decreta quibusdam in rebus, quæ ad hominum utilitates attinent; dein ad leges illas & doctrinam, eorum vitam excutere libeat, qui usque adeò Religiosi haberi volunt, pauci erunt in vobis, Auditores, pauci, quorum ora pudor non inficiat, pauci fortasse qui tacitè in me non insurgant. Jam clerico significem, qui Ecclesiasticis beneficijs fruitur, quo usque severitatis blandiores illi Doctores progrediantur, certis in rebus, quas ipsius auribus ut parcam, appellare supersedeo: si paulùm est sinceritatis amans ac veri, tacitè se ipse deprimet, & agnoscet, ab illâ vitæ sanctioris ratione, in qua se amabat, longissimè abesse; sin veri minus sit patiens, audiet istuc non sine stomacho. Illum unum si petam castigémque nominatim, zelo meo cæteri plaudent auditores, ad quos nihil attinebit admonitio, & oratori gratulabuntur. At, si eos vicissim pungere aggrediar, & à Sacerdote ad publicanum, à publicano ad magistratum, à magistratu ad institorem & opificem sellularium gradum faciam, Evangelicáque libertate singulis ostendam, quibus potissimùm in rebus Christianæ disciplinæ severitatem ponere eos oporteat, si eam ipsi bonâ fide velint amplecti, demonstrémque quod perfacile est, in ijs ipsis, quàm laxas sibi habenas permittant; illa desig-

nem

nem divinæ legis laxamenta, in quæ sese coniiciunt imprudentes, & in ipsorum ponam conspectu, iterum dico, admodum pauci erunt ex vobis, qui præ stomacho statim in me non insurgant. Quamobrem? videte, Auditores, quantopere ipsa secum iniquitas pugnet. Theologiam volumus mente solâ & cogitatione rigidam, re benignam Theologiam volumus rigidam, sed quæ nihil exigat à nobis; quæ nullâ in re rationibus nostris officiat; quæ nullam naturæ vim inferat; Theologiam rigidam, sed arbitratu nostro, & pro libidine nostrâ rigidam. Theologiam, cujus decreta commodis nostris metiamur, cujus rigorem non nos ipsi, sed alii experiantur. Theologiam, quæ judicandi, loquendi, ridendi, cavillandi, mordendi, potestatem nobis permittat. Uno verbo Theologiam volumus rigidam, quæ rigidi nihil habeat. Hinc cum futili illo Theologiæ rigidioris studio, homines aliunde pij ac religiosi, conscientiam quotidie, qualem volunt, hoc est, falsam, sibi fingunt ac statuunt.

Sed, ut jam dixi, optimates, principésque viri huic malo præcipuè obnoxij sunt, & prohibet muneris mei ratio, zelúsque quo me incitari sentio, tantam rem silentio prætermittere. Dico, eos, ut optimates ac principes, ad conscien-

tiam sibi pro arbitrio constituendam, magis esse propensos. Quid ita? infinitas ob causas, quas non possunt secum ipsi satis reputare. Quoniam in excelso generis humani fastigio positi cùm sint, suis quibusdam utilitatibus serviunt, quæ difficilius conveniant cum divina lege, proindéque multorum esse solent errorum in eorum animis seges ac materia. Nonne utilitates illæ faciunt, ut de cœptis consiliisque suis DEum non nisi rarò consulant: ut rectæ conscientiæ legibus, humanæ sapientiæ leges sæpe apud ipsos præponderent; aut potius, ut ad profanam illam sapientiam, tanquam ad certam regulam exigantur præcipua illorum facta, dum in minimis tantùm negotijs conscientiæ vox auditur; ut suas utilitates ferè nunquam appendant in staterâ illâ formidabili, in qua & ipsi tamen aliquando appendendi sunt; quasi illas apud ipsos, pluris quàm eos ipsos, esse oporteat. Quasi humana sapientia contra divinum jus præscribat, & vulgares animas conscientiæ leges tantùm astringant. Dico eos, ut optimates ac principes, ad conscientiam sibi fingendam, magis esse propensos. Quamobrem? quia quæcumque eos circumstant, eam in rem conducunt. Nihil est, inquit Bernardus, fuco faciendo magis idoneum, quàm assidui plausus,

sus, laudes & obsequia; nihil magis corrumpit, quàm si neminem habeas, qui tibi adversetur ulla in re: neminem, cui non probentur facta tua omnia. Talis est autem fatalis illorum sors atque conditio, quos supra cæteros mortales DEUS evexit. Dico eos, ut optimates ac principes, ad conscientiam sibi fingendam magis esse propensos. Quamobrem? quia sæpe famulos nanciscuntur, quorum interest vel maximè, illos ut fallant, Famulos, quorum spes fortasse omnes, eorum cæcitate sunt subnixæ; qui, si eos habeant religiosiores, ægerrimè istuc ferant, adeóque id student unum, ut Dominos illos suos, apud quos sunt gratiosi, inducant in errorem, retineántque in eo, partim consiliorum, quæ dare illis, partim opinionum, quas eorum animis injicere solent, pravitate. Addidi, quod ad vos attinet magis propriè, malum hoc in mundi nobilioris parte, quam obtinetis, in Aulâ videlicet, magis esse vulgare, minúsque posse vitari; nec dubito, quîn, quæ sum dicturus, ita se habere, fateamini. Et verò vehementiores in Aulâ sunt appetitus animi, desideria ardentiora, acriora utilitatis studia, atque adeò oculatissimos ac religiosissimos quosque cæteris facilius cæcari ibi necesse est atque corrumpi. In Aulâ, illud profa-

norum hominum numen, fortuna, primò in eorum animum, mox in conscientiam ipsam, magis impotentem dominatum exercet. Ibi studium tuendi statum suum, sese altius efferendi ardor moræ impatiens, obstinata fortunæ melioris contentio, cupido adipiscendæ principis gratiæ, metus amittendæ, certas vivendi leges statuunt, quæ alio quovis loco monstri similes videantur, sed quæ ab usu ac consuetudine dum vim obtinent, quodam velut possessionis & authoritatis jure, valent inibi vigéntque. Aulici errores, nullo docente, solâ Aulæ frequentatione combibuntur. Quantumvis rectâ conscientiâ sores cum eò venisti, mutui usûs, sermoníque contagione, iniquitati sensim assuescis; non tam horrida videtur vitij species, &, quod vituperasti toties, totiésque damnasti, benigniore jam intueris vultu, imò, etiam pateris, etiam excusas. Ita videlicet nova paulatim conscientia existit; erroréque longius serpente, excusso Christi jugo, omnino profanos, ac penè paganos mores induis. Crederes, alia aulicis esse, quàm cæteris hominibus, Religionis principia; ac, quasi pro suo jure, conscientiam sibi eos fingere specie & qualitate diversam; ea est enim vulgaris de ijs opinio, tam rectè, imò tam infeliciter probata lon-

go-

go usu atque confirmata ; ita , inquam, de ijs fermè homines judicant , ita quotidie loquuntur ; cum Aulici viri conscientia agitur , illam sapienti meritò semper esse suspectam , eadémque nihilo fidendum magis , quàm privatæ ipsius utilitatis neglectu. Attamen tradit Apostolus, unum duntaxat DEUM, unam duntaxat fidem admittendam ; ac væ illi , qui DEUM hunc unum ita dividit , ut Aulicorum flagitijs eundem minus infensum esse doceat ; aut , qui fidem hanc unam ita distrahit , ut pro certo sumat , huic potius quàm illi vitæ conditioni eam esse indulgentiorem ! *Licet nos aut Angelus de cælo , inquit Apostolus , evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis , anathema sit.* Ita prorsus , Auditores , anathema illi à me dici convenit , qui vos alijs conscientiæ legibus teneri docuerit , quàm ex quibus mortalium viliſſimi sunt olim à DEO judicandi. Anathema illi , qui leges illas generales , non dixerit , eò vobis sanctiores esse oportere , quòd ad eas violandas propensiores estis , & in aulâ mali hujus periculo magis obnoxij. *Ad Galat. 1.*

Revertamur ad propositum , & primam hanc concionis nostræ partem concludamus. Sunt humana desideria ! sint humana-

manæ utilitates, pravarum conscientiarum, quibus mundus plenus est, fontes pessimi. Hinc triste illud, quod, ad mortales universim omnes pertinens, psaltes regius colligebat. *Omnes declinaverunt.* Omnes de via deflexerunt; omnes in erroris & mendacij semitam sunt ingressi. Omnes, pravas, imò abominandas conscientiæ leges sibi posuêre: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Quid ita? quia nemo non appetens, nemo non cupidus fuit, nemo suæ non servit utilitati. Fac, DEUS optime, ut salutarem hanc doctrinam ritè percipiamus: fac æternum hæreat, & animis nostris hæreat altissimè defixa. Quando desiderijs solemus nostris miserè cæcari, ne permittas nos desiderijs cordis nostri. Quando privatæ utilitatis studio vitiari solet humanum pectus atque corrumpi, ne permittas, ut privatis commodis nostris unquam servianus. Fac habeamus *Cor rectum* quod rationi ita obsequatur, ut cupiditates nostras omnes compescat ac frænet. Fac animo simus excelso, qui mortalia & commoda quæque generoso pede calcare jubeat. Hac ratione conscientia nostra, quæ via nobis quædam est, recta fiet, ex sancti Præcursoris præscripto. Dirigite viam Domini. Sed quàm facile est, falsam sibi ipsi con-

Psal. 13.

Ibid.

Psal. 72.

scien

scientiam fingere privatim, tam periculosum est habere illam vitæ magistram ac ducem.

PERICULOSUS est error omnis, præsertim cùm ad mores attinet: nullus tamen majorem perniciem importat, quàm qui fontem, ipsâmque adeò morum regulam, hoc est; conscientiam petit, *Lucerna corporis tui*, inquit Christus in Evangelio, *est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo*, addit Christus, *ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Nihil autem aliud est oculus ille, si proprium loci hujus sensum sequimur, quàm conscientia, quæ facem nobis præfert, quæ actiones nostras omnes moderatur ac regit. Si conscientia pura est, & erroris expers, lux est, qua actiones nostræ omnes collustrantur, aut potius actiones nostræ omnes luminosæ sunt, atque, ut Pauli verbis utar, *fructus lucis.* Quidquid agimus sanctum est, laudabile est, dignum est DEO. Contrà verò, si conscientia nostra quæ fax est ac lux quædam animi, crassis erroribus, quibus volentes occupari nos sinimus, fit *tenebræ*, tunc enimvero actiones nostræ omnes, opera fiunt tenebrosa; adeò ut nobis meritò accommodari possit illud

PARS II.

Luc. 11.

Eph. 5.

Chri-

Christi ; *Si lumen quod in te est, tenebræ*
Matth. 6. *sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt ?* sensus est; si quod conscientiam appellas, & rectum arbitraris, mendacium est, ac iniquitas mera, quid erit id ipsum quod conscientia damnat ? Quid erit, quod ipsemet flagitij habes & iniquitatis loco.

En scopulus, Christiani Auditores, nobis declinandus. Inde enim mala consequuntur eò dolenda magis, magísque stupenda, quòd longa eorum assuetudo, & stuporem adimit & sensum. Audite singula persequentem. Erit fortasse quidpiam quod vos afficiat. Inde sequitur, nihil non mali committi falsæ conscientiæ adminiculo ; audacter ac tranquillè peccari, & peccari absque ullâ emendationis spe. Quæ mala vitanda nobis, aut æternæ damnationis periculum incurramus necesse est.

Dixi, mali nihil esse quod falsæ conscientiæ adminiculo non committatur. Flagitium appellate, Auditores, quod illa autore non fiat & adjutrice ? hincque superioris enuntiati veritas sese magis aperiet. Ut rem vobis penè sub aspectum subjiciam, quò, quæso, non erumpat necesse est cæca & præfidens conscientia ? quod scelus non excusat tegítque, ubi semel illa sibi recta videri cœpit ? cum ambitio,

bitio, exempli gratiâ, pravas suas opiniones conscientiæ probavit, ut consilia sua perducat ad exitum, quænam officiorum jura non violat? quos humanitatis sensus non exuit? quas probitatis, quas æquitatis ac fidei leges non evertit? conscientia per me appelletur, quando ita lubet; at, ut est ambitionis tabo corrupta, quos maligni livoris motus non excitat? quos nefandi amoris ignes non fovet? quas fraudes non componit? quos clandestinæ proditionis cuniculos non adhibet? ubi conscientia cum cupiditate & avaritiâ conspirat, quod injustitiæ genus sibi illa non permittit? cui usuræ non favet? quam simoniam non velat? quam vexationem, quam vim, quam litem, quos fori inexplicabiles laqueos ac tricas non approbat? ubi conscientiam odium & iracundia effinxêre qualem volunt, quod acerbitatis virus, quæ simultates ratæ illi non sunt? quos vindictæ motus, quas inimicitias, etiam cum proximi offensione ac scandalo, non fovet? qui fastus, quæ ferocitas, qui contumeliarum aculei excusationem apud illam non habent? iterum dico, nihil moratur ejusmodi conscientiam. Ut jam est depravata, & aliunde quasdam recti insignitas notas præfert, nihil non audet illa, nihil non suscipit, nihil non molitur. *Operit illa peccatorum* etiam gravissi- 1. Petr. 4.

vissimorum *multitudinem*, non ut charitas, ea dum obliterat, sed ea dum tolerat, dum tuetur, dum defendit. Falsæ conscientiæ præsidio, quid non est actum à Judæis? impiam necem Christo Domino intulêre illi. En quò progredi poterat falsa hominum conscientia! En quò provecta est falsa populi conscientia! Populi, inquam, qui religiosus haberi volebat, verique gloriabatur Numinis cultu. Longè gravissimum scelus, DEI videlicet necem, in religionem vertit. Ita quotidie ex illo eodem fonte nasci videmus incruenta quidem, sed crudelissima homicidia. Falsæ videlicet conscientiæ gladio, proximus jugulatur; lethales illi plagæ clam imponuntur: famâ spoliatur, quæ vitâ ipsâ charior est: furtivis criminationibus gratia extinguitur, fortuna destruitur. Ne vos offendat Judæorum comparatio, est enim ad hodiernos hominum mores heu! nimis accommodata. Etenim Judæi, *Justi* sanguine contaminare manus non verebantur, ad eum effundendum inconditis clamoribus Pilatum incitantes, dum interea præposterè Religiosi, ejusdem Prætorium subire reformidabant, ne profanæ domûs ingressu pollutis, Pascha edere non liceret. Eidem prorsus conscientiæ Religione videas quotidie qui camelum gluviant conficiantque, in excolando cu-

Matth.27.

lice

ce anxiè diligentes atque solliciti. Nimirum cum falsâ conscientiâ acerrimis ac projectissimis cupiditatibus fræni laxantur, expletur odium, vindicantur offensæ, aliena bona usurpantur & retinentur injustè, *viduarum* ac pupillorum *domus devorantur*, spoliantur pauperes, & qui sunt à defensoribus nudi, dum Pharisæorum exemplo, leviora quædam criminum loco ac numero censentur. Minima & exteriora tantùm religionis munia studiosè, ut illis, & scrupulosè curantur, dum sacratissima quæque & maximè necessaria divinæ legis officia, justitia videlicet, misericordia, fidésque proculcantur ac ludibrio habentur. *Luc. 20. 47.*

Quid est falsa conscientia? inexhausta, inquit Bernardus, noxarum abyssus. *Conscientia hominis abyssus multa..... Conscientia hominis, est quasi mare magnum & spatiosum, ubi reptilia quorum non est numerus.* Cur reptilia? quoniam, addit Bernardus, *sicut reptile latenter repit, & sinuosis anfractibus huc illúcque deambulat*, ita peccatum eam in conscientiam, ad quam cupiditas & error aditum præbet, sensim occultéque illabitur. Cur *reptilia*, *quorum non est numerus*? quia, quemadmodum mare, partu mirè fœcundo, serpentibus scatet belluis, quarum species innumeras, & ex quavis specie innumeras *Bernard. Tract. 2. de Conscient. Psal. 103.*

pro-

progenerat, ita conscientia cæcata errore, infinitam scelerum multitudinem ex sese profert propagátque. In eâ quippe, pergit Bernardus, monstra gignuntur. *Illic reptilia.* Ibi invidiæ, ibi tetra ac virulenta odia foventur. Ibi acutæ & ingeniosæ obtrectationes, calumniæ integumentis involutæ, nocendi desideria, proditiones personatæ, ac per detestandam sapientiam summâ arte celatæ. Ibi libidinosæ cogitationes nutriuntur, non sine voluntario consensu, qui dignosci non potest. Secretæ necessitudines, sed vetitæ, à quibus non satis cavetur. Nascentes animi affectiones, sed brevi quia ijs non obsistitur, imperiosæ dominæ futuræ. Ibi superbia Christianæ demissionis, hypocrisis, pietatis velo obducta, delitescit. Ibi longè periculosissima libidinis species, exquisitam urbanitatem ac comitatem mentitur. Eò denique vitia certatim confluunt, quoniam ibi, velut in centro & nativa suâ sede permanent. *Illic reptilia quorum non est numerus.* Quibus vitijs obnoxius non est, quid non sibi permittit, qui conscientiam ducem sequitur peccato cæcatam? addo, falsâ conscientiâ adjutrice, peccari audacter ac tranquillè. Audacter, quia nihil habet in se peccator, quod peccato adversetur & repugnet. Tranquillè, quia sine ullo animi

mi morsu committitur ; conspirante tunc, ut ait Augustinus, cum peccatore conscientiâ, & in funestam ac veluti pactam peccandi possessionem mittente, circa ullam pacis solitæque tranquillitatis jacturam ; Pax autem & tranquillitas cum peccato, malorum est omnium maximum. Ita prorsus, Auditores ; peccatum si tranquillitas absit animi ac securitas, non est hominibus omnium maximè metuendum malum ; videríque possit eadem illa tranquillitas animi ac securitas, si peccatum absit, omnium nobis maximè optandum bonum. Sed, si utrumque unà adsit, tranquillitas videlicet & securitas animi cum peccato, nihil eo statu cogitari potest calamitosius, &, quod sit cum æternâ reprobatione magis conjunctum. En autem falsæ conscientiæ fructus, Auditores. Attendite quæso, ad id quod animadvertit Bernardus ; afferet istuc nonnullam lucem sententiæ superiori. Paritur is ac dividit universum conscientiæ genus in species quatuor. In rectam, sed tranquillam, ac pacatam. In rectam, sed anxiam ac turbatam. In malam, sed impacatam, ac sollicitam. In malam, sed pacatam ac tranquillam. Quo posito, audite jam quo pacto super eà re differat sanctissimus Abbas. Conscientia recta, si pacata sit ac tranquilla,

Serm. 112. de diverf. & Tract. de Conscient. Cap. 2.

est, inquit ille, anticipata haud dubiè Cœlitum felicitas. Recta coscientia, sed anxia ac sollicita, est veluti flamma lustralis, qua DEus hac in vitâ nonnunquam utitur ad probandos & periclitandos sanctissimos quosque homines. Mala conscientia, ad flagitiorum suorum conspectum turbata & agitata, temporale quoddam inferni genus videri meritò potest. Sed enim, addit Bernardus, est & aliquid inferno illo pejus ac tetrius. Conscientia videlicet mala, sed tranquilla ac pacata. Eóque tandem evadat ac trahat necesse est falsa conscientia. In pravâ quippe conscientiâ, sed quam turbat oculis assiduè observans scelerum species, quantumlibet horrendam illa objiciat imaginem inferni, lux quædam adhuc intermicat, adeòque superant nonnulla pœnitentiæ, frugisque melioris semina. Rebellat peccator in DEum, sed scit se rebellem; miseràmque rebellionis suæ sortem sentit ac pœnam. In eum cupiditates dominantur, & mancipant iniquitati; ac non probibent illæ, quin divinas norit leges, ac veritati submittat. Da hominem longè profligatissimum, & ad qnidvis audendum projectissimum; quandiu est conscientiâ rectâ, non planè à DEO deerrasse dicendus est. Quid ita? quoniam in medio illo cupiditatum æstu, fas

ne

nefasque internoscit, atque adeò potest ab uno avocatus, aliud amplecti. At verò in falsâ conscientiâ meræ tenebræ sunt; tenebræ inquam, interiores longé funestiores multò *tenebris illis exterioribus*, de quibus Christus in Evangelio. Fons si quidem illæ sunt ac principium obstinationis & indurata peccatoris malitiæ. Tenebræ interiores, quibus fit, ut in flagitiorum cœno sibi ipse placeat peccator, divinæ justitiæ securus sit, vanæ innocentiæ nomine sibi plaudat, dum à se DEUS rejicit reprobatque & vindicem in scelestum ejus caput gladium distringit. *Matth.* 22. & 25.

Atque hoc ipsum est quod volui, Auditores, cùm dixi, peccari ab eo qui falsæ conscientiæ ductum sequitur, absque ullâ emendationis spe. Est enim vero magnum peccatori refugium recta & sana conscientia, quæ etiam dum peccat, peccatum damnat, & peccatis annumerat. Hac viâ nos DEus revocat ad sese, hac nos urget, hac vim facit & veluti cogit recipere ad frugem, legique suæ docile collum submittere. Huc eâdem vitâ Augustini pectus debellavit victrix Christi gratia. Illud animi rectum, illa, ut ita dicam, conscientiæ integritas, quam servaverat media inter flagitia, & flagitiis medicinæ præsens fuit & salus. Hoc ipsum est, inquiebat is in humili illâ no-

xarum confessione quæ proponi à me potest ut absolutum pœnitentiæ specimen & exemplar, hoc ipsum est, Domine DEUS, quod mihi saluti fuit, quod me ex altâ eripuit iniquitatis voragine; conscientia videlicet mea pro te, & contra me apertè pugnans; conscientia, quæ tametsi nocens, acer animadversor erat & æquus sui ipsius judex; hoc, inquam ipsum à te longius aberrantem revocavit tandem in viam. Videtis, Auditores, cœlestis gratiæ, in convertendo Augustino rationem? illa conscientiæ nativa integritas, quam longa peccandi consuetudo corrumpere nequiverat, fuit veluti bene subactum solum ad lætam divinæ benignitatis sementem excipiendam. Ille nocentis conscientiæ angor, sed, etiam cum peccato ipso, divini legi consentaneæ, grâtia ultima fuit, unáque omnium efficaciſſima ac potentiſſima, quam sibi DEUS reservaverat ad rigidum Augustini pectus emolliendum. Quæ cogitatio quàm suavis est homini illi quem criminum conscientiæ dies noctésque stimulant! quandiu tortor animus crudele quidem, sed salubre flagellum quatit; quandiu flagitia exprobrat, non me planè deseruit DEus. Adhuc excubat vigil ad cordis ostium pulsátque: spes adhuc aliqua subest: est adhuc salus in manu meà, nondúmque exhau-

hauſtus eſt cœleſtis miſericordiæ theſaurus. Argumento ſunt acres illi ſtimuli quos animo ſubdit; his viam monſtrat, qua maturum ad ſe reditum patem. Et verò, Chriſtiani Auditores, ſi recta ſum conſcientiâ vitium nullum eſt, à quo tandem non abducar, quantumvis longè receſſerim à DEo. Docet iſtuc experientia quotidiana. Videre quippe licet innumeros, *in quibus DEus abundantes gratiæ ſuæ divitias*, ut loquitur, Apoſtolus Paulus, *oſtendere* amat; quique abominandis criminibus, atque omni dedecore infames poſtquam exitêre, ad frugem bonam emerſi, maximé ſplendida virtutum omnium præbent exempla. Contrà verò ubi depravata ſemel eſt conſcientia, lethali vulnere accepto, nullum relinquit medicinæ locum. Maximis ſceleribus longísque erroribus implicita mens, ſpem exitûs deſpondet. Corrigi ea atque emendari nullâ ratione poteſt. Fit in dies obſtinacior voluntas, & in malis obfirmatior. Deinque mors inopina pœnitentiam prævertit. Ex quo conſequens eſt, falſum conſcientiam, præcipué verò ſecuritatem illius ac pacem, peccatori, non ut pœnam ſolùm divinitus immiſſam, verum etiam ut maximè formidabile divini Numinis flagellum, & ut æternæ reprobationis initium metuendum eſſe. Hinc

Isaias, autore Chrysostomo cavete ne vobis excidat hæc observatio, non minus ad movendum pectus, quàm ad terrorem incutiendum accommodata) cùm divinæ gloriæ zelo succensus, ad plectendàm Judaici populi impietatem DEUM impellere velle videtur, hanc unam adhibet orationem, *excæca cor populi hujus.* Hoc est, excæca populi hujus conscientiam. Non dicit, frange intolerabilem populi hujus superbiam, ignominiis omnibus appete, obrue, opprime, funditus dele refractariam gentem. Cuncta hæc parva illi ac penè nulla videntur præ animi cæcitate; ad eam omnia, revocat. *Excæca cor.* Quasi dicat, injurias hac pæna, tuas abundè prorsus ulciscèris. Bellum, pestilentia, fames, cæteræque calamitates rebellibus illis levis tantùm animadversio fuerint & imperfecta castigatio. Eorum animis cæcam noctem offunde, iræque tuæ, ut & iniquitatis ipsorum mensuram impleveris. Sentiebat igitur Isaïas, falsæ conscientiæ cæcitatem, ultimam esse & formidolosissimam peccati pœnam. Isa. 6.

Atque ob id ipsum, mente & consilio planè diverso adductus, precationem hanc hodie instituo. Ah! Domine, populi hujus peccatis quantumvis iratus, noli cordi ipsius tenebras offundere.

Noli

Noli eorum animos, qui hîc adsunt, excæcare. Noli & hoc addere dolori meo, ut, vel invitus, consummatæ cæcitatis ipsorum, ac futuræ damnationis causa sim, quamquam innocens, si verbo illo tuo numerisque mei sanctitate abuti eos contigerit. Iram tuam effunde in reliqua, dum ipsorum conscientiæ parcas. Opes eorum ac fortunæ omes sunt in tua potestate. Fac illarum sentiant jacturam; ad faces illas cæleſtes; quas collucere oportet in virtutis semitâ, noli, quæso, ab iis auferre, Comprime, si vis, superbiam ipsorum: variis casibus ac pœnis eos exerce: re familiari comminue: nulli sint deinceps hominum opinione: verumtamen divinæ tuæ lucis radium, qui supersest ad regendam viam, ne penitus extingue. Quascumque libuerit pœnas injungere, ferent æquo animo: hanc unam ab iis bonus afferte, ut officia nec videant illi nec norint sua. Hæc quippe cæcitas, & officiorum ignoratio, cumulum addat ipsorum calamitati: deplorata sit eorum salus: in reproborum numero jam sint reponendi.

Sed jam finis sit. Facile est falsam sibi ipsi conscientiam fingere privatim & constituere. Periculosum est falsam conscientiam ducem sequi. Hæc ostendi-

mus. Falsa conscientia, futilis erit, & vana apud DEUM excusatio. Hoc restat ultimo loco demostrandum.

PARS. III. FATENDUM quod res est, Auditores; errores nostros crimini non vertat perèque misericors ac justus DEUS, si voluntarii illi non sint, nec affectati. Nemo non possit conscientiæ falsitatem obrendere peccatis suis, eandêmque DEO allegare legitimæ excusationis loco, si eam habeat falsa conscientia sinceritatis, quam dixi, ac bonæ fidei notam. Quæritur autem num illam semper, certè num sæpe habeat. Nec levioris est profectò momenti quæstio; continet enim gravissimam regulam, qua suas omnes actiones; ritè unumquemque metiri atque æstimare oportet. In eo igitur res vertitur, an illa bonæ fidei ac sinceritatis nota, in cæcam vulgò mundanorum hominum conscientiam cadat. Adeò ut cæca & erronea conscientia, idonea justaque illis vulgò esse possit apud DEum causa, culpam à se omnem removendi. Ah! utinam Auditores, utinam ita res habeat. Infinita peccata jam peccata non sint, & citra ullum gratiæ cælestis ac pœnitentiæ adjumentum criminibus levemur innumeris, quorum pondus ingens, gemitus fletúsque tam graves sanctis quibusque viris semper expressit.

At,

At, si res ita se habet, ait Bernardus, cur in beneficii loco postulat Regius psaltes, ut ignorantias suas DEus obliviscatur? eas quippe significat, quæ conscientiæ labem ac corruptelam intulerant suæ. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Nonne satius fuit dicere, memineris, Domine, ignorantias meas nec earum unquam obliviscaris? quoniam enim excusare me debent apud te, expedit mihi, eas ut semper in memoriâ habeas. Non ita Propheta sanctissimus. *Ignorantias, inquit, meas ne memineris*, dele illas ex libro formidabili, quem contra me es olim prolaturus, cùm rigidus omnium quæsitor sedebis ac judex. Ne tunc memineris, quæ sunt à me per imprudentiam peccata. Ea siquidem nota non habuisse, nota cùm esse oportuerit, flagitium est, cujus unius pœnas repetere, pro tuo jure, possis. *& ignorantias meas ne memineris.* Falsum igitur est, ignorantiam, atq; adeò falsam conscientiam, excusationem semper habere apud DEum. Amplius dico, illum enim conscientiæ errorem contendo nunquam excusabilem esse. Ac, qua vivimus ætate, maximè sutilem & vanum esse prætextum. Quamobrem? duplici ex causâ, quæ refelli non potest. 1. Quia *Psal. 24.*

ut

ut nunc sunt homines, hæc duo unà consistere nequeunt error ac bona fides 2. Quia nulla est falsa conscientia, quam DEUS falsi jam nunc convincat, per rectam aliam, quæ supereſt in nobis, aut quæ, quamvis extra nos sit posita, nos metipsps coarguit vel invitos. Paulùm adhuc attendite. & res patebit.

Sanè Auditores, hoc seculo nostro minimè profectò rudi ac imperito, non est existimandum, facilè reperiri, quorum conscientia, erronea sit eadem, innocens. Pauci sunt ejus generis. Imò affirmare ausim, nullos omnino tales hoc loco esse. Ne multa enim generatim amplectamur, vagéque feratur oratio, si tu, quem compello privatim, divinis auxiliis affatim datis respondisses; si usus esses præsidiis, quæ multa concesserat DEus, ad officia pervestiganda, penitúsque cognoscenda, nunquam errores illi, tot flagitiorum pessimi fontes, cæcassent animum, ac conscientiam depravassent. Sinite, Auditores, singula persequar, & exemplis confirmem quod dixi. Si priusquam te accingeres ad agendum, & gravissimis in rebus pronuntiares, tibi ipse fuisses judex in tuâ causâ suspectus; si amicum habuisses, & parare voluisses DEI ac veritatis cultorem, qui apertè, & citra assentationem ullam, rem

esset

esset elocutus; si liber ad te aditus patuisset iis, à quibus verum audire potuisses; si natura tua facilè irritabilis, & admonitionis impatiens, os illis non occlusisset; si solis adulatoribus locum non reliquisses; si ex sacris DEI ministris, quos tibi divinæ legis interpretes esse oportebat, eos adhibuisses in consilium, qui & habebantur, erant magis à doctrinâ parati & instructi; si pro his non addjisses consultores benignos, & in aliorum vitiis convenientes; si in ipso etiam pœnitentiæ tribunali commodo tua saluti non antepositisses tuæ, in fallces illas, quas deploramus, erroris tenebras nunquam incidisses. Debes igitur illas tibi ipsi imputare, ac naturæ tuæ, cælesti gratiæ divinisque consiliis semper repugnanti. Debes illas imputare diuturnæ officiorum negligentiæ, quorum investigationem in minimis curis posuisti. Debes imputare partim voluptati, cujus, lenocinio abreptus, partim futilibus seculi oblectamentis, quibus occupatus, partim infinitæ temporalium negotiorum multitudini, quorum mole libens ac volens obrutus, Christianæ religionis scientiam parum curasti. Debes imputare immoderato quietis, otii studio, quod hujus rei inquisitio diligens interpellasset, turbasset haud dubiè. Debes imputare imprudentiæ

dentiæ tuæ, qua in re ancipiti ac dubiâ, privatam sententiam tuam sequi maluisti, præsumptæ de te opinioni, quasi plus cæteris omnibus saperes, ex longâ consuetudine confisus. Debes imputare animo tuo intractabili, qui judicii sui tenacissimus, alieni contemptor, reprehensionis ac sententiæ, quæ cum suâ non consentiat, impatiens, pertinaciam suam semper in laude posuit, *Psal. 35.* &, ut sacræ paginæ loquuntur *noluit quicquam intelligere* ac scire, *ne bene ageret.* Mundano torrenti ita obsequendo, Christiani Auditores, conscientiam finxistis vestram ad libidinem, quam & cæca nox tandem est consequuta. Estne autem in vobis pars æquitatis ulla, si conscientiam his principiis nixam, excusare contenditis apud DEum? liceat hoc Ethnicis, qui in densis infidelitatis tenebris vitam trahunt. Liceat hoc fortasse nonnullis, quorum mens crassæ rusticitati veluti mancipata nascendi conditione, humani civilisque cultûs, ac pene institutionis omnis Christianæ sunt expertes. Vos verò, Auditores, qui in aliis omnibus videri vultis intelligentes ac limati judicii, vos, inquam, quos lux, si fas est ita loqui, undique convestit, quibus tam facile est verum penitus perspicere, planéque cognoscere, quo jure

jure tandem vestro dicatis, errore conscientiæ vos esse deceptos. Vana est ac futilis excusatio, Auditores, quæ eò tantùm valebit vestras ut noxas omnes augeat. Hoc nempe illud est *malitiæ velamen*, de quo Apostolus, quod cum criminibus obtenditis, ea amplificatis dum refunditis in DEUM, quæ vobis unius, non sine pudore, imputare vos par erat. *1. Petr. 2.*

Eo sumus magis à summo judice damnandi (istuc notate, quæso, diligenter, Auditores, hoc enim altero accusationis titulo contra nos DEUS utetur) eò sumus magis à summo judice damnandi, quod in supremo die non nos tantùm, ex conscientiæ nostræ erroribus spectatis in se, damnabit, sed ex erroribus conscientiæ cum purâ atque integrâ gentilium conscientiâ collatæ Ex erroribus conscientiæ nostræ compositæ cum integritate notionis quam habuimus boni ac mali, priusquàm peccati labes animos nostros cæcasset. Hæc enim omnia, inquit Augustinus, regulæ sunt totidem, quibus conscientia perspicax ac pura institui in nobis, certé restitui potest. Quoniam verò regulas illas negligimus, tot erunt ferendi in nos judicii ac futuræ damnationis capita. Non in magnâ felicitatis sit mihi parte ponendum,

dum, si à vobis impetrem, ut eas regulas vobis utiles ac necessarias reddatis?

Ethnicorum conscientiâ DEus utetur ad convincendos ac damnandos Christianorum errores. Et verò Tertullianus Christianas fœminas dum informat ad pietatem, easdem acrius objurgat, quod quibusdam rebus, immodesto præsertim vestium positu, & inverecundâ illâ nudandi corporis consuetudine, alios offendere religioni non habeant. An non, inquit, indignum est, fœminas Arabes, quarum mores & instituta novimus, ea semper velut quædam stupri & adulterii genera refugisse; vos verò in Christi schola institutas, eadem excusare velle, quasi recepta pravo quodam usu, quem proinde mundanæ vanitatis cultores frustra obtendunt; illum siquidem usum & horret DEus & damnat. Pro certo autem habetote, addit Tertullianus, fœminas illas, judices vestros olim fore. Non valde stupendum ac deplorandum est, inquio ego Tertulliani sententiâ præsentem ad rem accomodatâ, Christianos homines sibi tam multa velle permissa quæ paganos novimus in criminibus posuisse? in foro, exempli gratiâ, pudori non esse innumeras fraudes, inexplicabiles tricas ac dolos malos, quos Areopagi probitas nunquam tulisset; vigere in mercaturâ quædam ge-

ne

nera fœnoris, quæ nullæ non damnarunt veterum Romanorum leges; inter honesta, certè licita oblectamenta poni à Christianis certa spectacula, quæ, si Augustino fides, infames, qui ea exhiberent, apud Ethnicos faciebant; unde illi tam recti sensus? unde illa legum severitas, nisi ex naturali conscientiæ integritate? atque hæc ipsa Ethnicorum Conscientia reos nos peraget apud Christi tribunal. Etenim fide etiam constat, eosdem in nos, eo judicante, *surrecturos.* illa autem eorundem nobiscum, & nostri cum iis contentio atque collatio, divinæ objurgationis pars erit, & exprobrandæ cæcitatis longè acerbissima. *Luc. 11.*

Abeamus ab Ethnicis: ad nos ipsos veniamus, conscientiâ sumus admodum perspicaci: in quibus? in nostris. Conscientiâ sumus rectâ & anxiè etiam religiosâ, ubi res agitur aliena. Ubi nostra, conscientiâ sumus usque adeò commoda & indulgente, nihil ut nobis non permittamus. Quid aget DEUS? Conscientiam cum conscientiâ componet, alteram alterâ damnaturus. Fides enim docet, qua severitate alios judicaverimus, eâ nos esse judicandos, *& in qua mensurâ mensi fuerimas, nobis remetiendum.* *Matth. 7.*

Deinque revocabit nos DEus ad rectas illas sanctasque, quas olim habuimus, pec-

peccati notiones, priusquam illo esse. mus obcæcati. Quantumvis enim flagitiosè vivamus, felicem illum non sumus statum obliti, in quo morum innocentia juncta cum rationis nostræ integritate, seculi erroribus nos eximebat. Nondum animo exciderunt primitivæ illæ divinæ legis ideæ, ex quibus tam sanè & integrè de iis rebus quæ ad illam attinent judicabamus. Peccatum illud nunc tam leve judicio nostro, monstri simile tunc videbatur. Nascebatur ex conscientiâ sensus ille. Quonam abjit conscientia illa? unde ilius tam prodigiosa mutatio? erat illa fructus Christianæ institutionis; tot tamque sanis consiliis exculta erat atque perfecta. Quid olim loquebatur? Cur nunc non idem illius sermo? unde ista tam generalis, tamque fatalis depravatio profluxit? vix nosmet ipsi recognoscimus, ne dum alii. Quoniam, inquiet DEus, cupiditatibus aditum dedisti, quæ omnes in animâ tuâ virtutum satus suffocarunt. Esne autem veniâ ullâ dignus, qui tot bona principia, quæ tibi vivendi norma esse debuerant, non sedulò conservaris?

Hic ille est malorum gurges, Auditores, quem cavere vos, aut unde emergere vehementer optem. Quapropter habete, quæso, semper in memoriâ illa duo, quæ, ut sunt verissima, ita in illis ve-

vestra omnis vivendi ratio verti debet. Alterum quidem, *arctam esse viam quæ ducit ad cœlum*; alterum, nullam unquam esse posse arctæ & angustæ viæ cum laxâ conscientiâ proportionem & convenientiam. Primum, hac Christi sententiâ nititur; *Arcta via est quæ ducit ad vitam.* Alterum patet perspese; si tantillum fidei restat in nobis, hæc satis erunt ad solidæ veræque conversionis consilium capessendum. Cogitate, situm quidem esse in vobis, ut conscientiam, qualem vultis, constituatis; sed, ut salutis semitam laxetis, non item. Cogitate, cœlestem viam non esse accommodandam conscientiæ vestræ, sed conscientiam vestram cœlesti viæ, hoc autem nunquam fiet, quandiu conscientiam vestram ad remissas solutasque mundi leges fingetis. Debet illa aut justo metu, aut fideli obsequio restringi, ut eum attingat proportionis & convenientiæ gradum, sine quo, non potestis non reprobari à DEO. Si, prout habenas vobis ipsi laxatis, & desciscitis ab officio, ita laxaret se salutis semita, sinerem vos, Fratres, perlubenter, inquit Bernardus, imò juberem quodammodò, liberioris hujus vitæ commodis indormire, tantum abest ut de possessione illâ vos deturbem. Sit ita sanè; si quidem viam inveniistis & brevio- Matth.

rem, & æquè tutò ad Cœlum ducentem, eam audacter inite; ac jure vestro omni, si vultis, eâ super re utimini. Sed longè aliter se res habet. De latâ enim viâ illâ cœli, sacræ litteræ silent. Unica porta est, per quam ad illud patet aditus; docétque Christus, ut portâ illa introeamus, nobis esse magnopere contendendum. *Contendite intrare.* Generosam illam contentionem adhibeamus, Auditores, quam promissa cunctis gloria abundè pensabit. Amen.

Luc. 13.



IN

IN DOMINICA QUARTA ADVENTUS CONCIO.

De Pœnitentiæ severitate.

Factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto; & venit in omnem Regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc. 3.*

REX CHRISTIANISSIME,

TAM vim non habuit Joannis Baptismus, ut eorum peccata aboleret, quorum corpora abluebat. Fuit is tantùm præparatio quædam ad peccatorum re-

remissionem, quibus constrictus quisquis tenebatur, singularis Christi redemptionis beneficium participare non poterat. Ad postremum hoc, via & aditus erat pœnitentia, semper dicta à Christianis, Baptismus alter, ut Baptismus ipse à Priscis Patribus prima pœnitentia est nuncupatus. Inde est, quòd divinus ille Christi præco, tanto animi ardore, de pœnitentiæ Baptismo sermonem habet; &, quoniam instat solennis illa dies, qua Christi Domini celebrare nos oportet, Natalitium & Adventum, quem popularibus suis annuntiabat sanctissimus ipsius præcursor, idem mihi concionis tractandum venit argumentum. Baptismi hujus, sive Christianæ pœnitentiæ, de qua apud vos verba sum facturus, proprium hoc est, quemadmodnm docent omnes Ecclesiæ doctores, ut severius in sese peccator animadvertat. In eo enim, inquit Pacianus Episcopus Barcinonensis, à primo baptismate pœnitentia potissimùm differt. Argumentum grave, res scitu per necessaria, quam ne vobis perire sinatis, vehementer oro quæsópue. Nihil magis vulgare, & mirum videri debet, quàm reperire, qui ea etiam ipsa, quæ volentes arctè strinxerunt, pœnitentiæ vincula sensim laxent. Funestum hoc mali genus hodie impugnare aggredior, Auditores Chri-

Christiani,& quà possum compescere, si prius tamen, B. Virginis interventu, cœlestem opem imploravero. *Ave Maria.*

NON hodie primùm exortæ in Ecclesiâ sunt disceptationes circa pœnitentiæ severitatem, prout ad Sacerdotes attinet, quos DEUS sacramenti hujus dispensatores instituit & administros. Celebratissima est Annalium monumentis Novatianos inter & sectam illis contrariam eâ de re orta concertatio. Contendebant alij, facinoroſos quosvis homines indiscriminatim, alij nullos prorsus ad pœnitentiam esse admittendos. Pœnitentiam corrumpebant illi nimiâ indulgentiâ; usum illius omnem abolebant hi nimiâ severitate. Ecclesia, Sancti Spiritûs instinctu, mediam, ut solet, inter utrumque viam iniit, tale temperamentum sequuta, ut aliorum immodico rigore mitigando, nimiâ aliorum indulgentiâ emendatâ, pœnitentiam, aut potius pœnitentiæ administrationem, ad præscriptos à summo sacerdote Christo fines, revocaret.

Gravissima illa quæstio tanto partium studio tunc agitata, singulis fermè seculis renovata est; quin & ipsam hac ætate nostrâ excitari vidimus, non ijsdem quidem animorum motibus, nec tam funesto, (quod DEUS avertat) exitu, sed eâdem

tamen sententiarum ac disciplinæ diversitate. Alij severitatis partes amplexi sunt, sed immoderatæ. Placuit alijs mitior agendi ratio, sed quæ pœnitentiæ ministro periculosa æquè sit nonnunquam, ac pœnitentiam ipsam obeunti.

Non is sum, Auditores, qui in hanc controversiam hoc loco ingredi velim, judiciúmque meum interponere eâ super re, quæ & ad vos propriè non attinet, & nullam esset utilitatem allatura. Etenim vestra non permagni scire interest, quam rationem & modum tenere Sacerdotes debeant in pœnitentiæ tribunali, dum ignoratis vos ipsi, quo eam pacto agere debeatis. Adde quod experientiâ didicimus, controversias id genus agitatas è pulpito, & multitudinis judicio subjectas, fructum alium nullum habere, quàm ut contrarias in partes animi distrahantur, & ut plebs, quæ à Sacerdotibus est judicanda, Sacerdotum Judex ipsa existat. Eò enim sæpe res evadit.

De Sacerdotibus expostulant nonnulli, quòd multa peccent in Sacramento pœnitentiæ administrando, qui in eodem suscipiendo, quid ipsi, quantúmve peccent, parum sunt solliciti. Quidam accusant Sacerdotes quasi peccatis indulgentiores, & laxioris morum doctrinæ assectatores, qui, ne id quidem agunt, quod

ab

ab ijs exigat vel solutissima morum disciplina. Vellent illi in universum, Sacerdotes severitatis & zeli plenos, dum sibi ipsi privatim nihil non indulgent. Verum enimvero in peccatore residere potissimùm debet illa pœnitentiæ severitas, in quo residet peccati labes. Debent utique Sacerdotes severi esse, sed ut eorum severitas suppleat nostram. Quò enim Sacerdotum severitas omnis, quantumvis pura ac sancta, si nostra illam non comitetur, aut etiam prævertat? mittamus igitur de pœnitentiæ proloqui severitate, prout spectat ad Sacerdotes, quos DEUS in potestatis suæ partem vocavit; quos legatos suos esse jussit, & sui juris defensores ac vindices. Si quis fortè in sacro sancti ministerij exercitium abusus irrepserit, præsulum est ipsum abolere, & eorum qui Ecclesiasticæ Reipublicæ præsunt. De nobis tantùm solliciti simus, rationem de nobis tantùm reddituri.

Ajo itaque, pœnitentiæ nostræ valorem ac pretium ab ipsius severitate petendum esse. Severitas necessaria, severitas jucunda. Animum, quæso advertite, & percipite quid velim. Contendo pœnitentiam, quà spectat ad nos, severam esse oportere; atque id ipsum ostendam in primâ concionis hujus parte. Sed ne illa vos severitas deterreat à pœnitentiæ stu-

dio, addam, quo severior est pœnitentia, eò plus habere vel in ipsâ severitate jucunditatis. Severæ pœnitentiæ necessitas, hoc primum; severæ pœnitentiæ jucunditas hoc alterum concionis caput erit.

PARS I. QUANTUMVIS per peccatum soluti sint hominum mores, facile intelligitur, si modò nota tantùsper sit pœnitentiæ natura, qua parte ad peccatorem attinet, severam eam esse oportere. Cujus rei ratio quam affert Augustinus planè convincit. Quid enim est pœnitentia, inquit ille. Est judicium, sed omnino singulare. Etenim si me interroges, quis ei judex præsideat, respondeo eum ipsum, qui ut reus in illud sistitur, hoc est, peccatorem. *Ascendit homo adversum se tribunal mentis suæ.* Sibi ipse constituit tribunal in animo: se ipse vadatur & citat; in se ipse sit & accusator, & testis & judex. En vera & genuina pœnitentiæ Christianæ forma. Verùm, inquies, Augustinus alibi de divino judicio sermonem habens, solius DEI esse ait, in suâ causâ sedere judicem, sed ita tamen, ut è nullo alio pendeat, ut supremam habeat autoritatem, ut nullus sit appellationi locus. Longè dispar hominis conditio; dum se ipse

August. Lib. 50. Homil.

ipse judicat per pœnitentiam, judicat solum ut legatus, & DEI judicis summi locum tenens. Se ipse judicat, sed ut inferior judex è supremo pendens judice. Quæ discrimina haud levia sunt & ad rem quam probare sum aggressus, non parum accommodata; pœnitentiam videlicet nostram, rigidam & severam esse oportere. Accipite enim tria quæ ex illo principio à me ducuntur. In agendâ pœnitentiâ, DEI personam homo sustinet, dum se ipsum judicat; debet ergo in se ipsum, rigidum severum judicium exercere. In agendâ pœnitentiâ, homo sit, non alterius, sed sui ipsius judex; debet ergo adhibere in judicando severitatem. A judicio, quod in se homo Christianus pronunciat, appellari potest supremus judex DEUS; debet ergo maximam æquitatis rationem habere. Hæc tria dum evolvo, animis adeste.

Sic est ut dixi, Auditores; DEI personam homo sustinet, cùm in agendâ pœnitentiâ judicat se ipsum, atque hoc Tertullianus disertis verbis significat. Pœnitentia, inquit, est virtus, cujus est, justitiæ, iræque cælestis vices præstare. Justitiæ ad damnationem; iræ ad pœnam. Hanc enim vim habet præclara illa sententia. *Pœnitentia, DEI indignatione fungitur.* Virtus, cujus est, DEI *Tert. de Pœnit.*

cau-

causam, contra nos, tueri ac defendere: DEO illatas injurias resarcire in nobis: DEUM ulciſci & placare, etiam cum proprio noſtro incommodo: efficere, ut pro criminum noſtrorum ratione, DEI indignationem & odium ſentiamus: perfectum illud odium dico, quo peccatum ille proſequitur; indignationem illam ſanctam, quam in eo, quia DEUS eſt, non poteſt non movere peccatum adverſus peccatorem. Si pœnitentia rectæ rationi ſit conſentanea, hoc eſt, ſi talis ſit qualem eſſe oportet, habetis veram illius formam. An poteſt autem ejuſmodi forma in pœnitentiam convenire, niſi rigida ſit, & in nobis, contra noſmetipſos, illud ſeveritatis ſtudium excider, quod eſt illius adeò proprium.

Atque ut oratione utar ſimplice, maximéque remotâ ab oratoriâ exaggeratione, quam hac in re procul miſſam volo; dicite, quæſo, Auditores, ignava & mollis pœnitentia, habétne in ſe quidpiam, quod divinam exhibeat indignationem? habéntne mundani hominis pœnitentia, Deíque juſtitia vindex proportionem ullam & comparationem? aut potius cùm ſumma hujus ſeveritas, & pudenda illius laxamenta inter ſe diſtent tam prodigiosè, potéſtne altera

pro

pro alterâ subſtitui, aut tantumdem, ſi fas ita loqui, quantum altera, valere? quis hoc dixerit, Auditores? quis cogitet? ex his igitur conſequens eſt, pœnitentiam noſtram tunc non ſolùm non eſſe adeptam illum perfectionis gradum, unde divino Numini fieri poſſet longè acceptiſſimâ, verum etiam ſi propius & in ſuâ origine ſpectes, & ad eam normam exigas ad quam reſpondeat oportet, ne admittendam quidem eſſe. Quid ita? quia cum ſupremo ſuo exemplari nullâ ex parte eſt congruens, & illi Tertulliani regula nuſquam accommodari ad eam poteſt. *Pœnitentia, DEI indignatione fungitur.* Si ſolam rationem conſulam, ſic colligam neceſſe eſt. Excutiamus ſententiam hanc Tertulliani, & quoniam nihil ſibi aliud vera pœnitentia proponere debet, quàm ut peccatum damnet ac plectat, fingamus animo, inquit Auguſtinus, DEUM nos, quaſi ex inito pacto, ita compellare. Aut te ipſe judica, aut invitus judiceris neceſſe eſt. Te ipſe judica hac in vitâ, aut judicaberis invitus in morte. Utrum malis optio datur. Utrúmque vitari nequit. Peccatum enim quodvis judicio eſt obnoxium. Sed alterutrum mihi ſatis erit. In te igitur poſitum eſt, ut à me judiceris, nec ne. Si enim pœniten-

tentiam agendo te ipse judicas, jam mihi non es obnoxius. Jam te in judicium vocare nequeo. Contrà verò si te ipse non judicas, aut judicas perperam, jus meum manet in integro; &, quà DEUS, ex providentiæ meæ lege, retinere illud, quantum quantum est, debeo. Quo autem loco talem DEUS apponit conditionem? apud Prophetas omnes, sed expressius in Epistolâ ad Corinthios, ubi Paulus, dum fideles instituit, ita eos admonet. *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Habetote istuc, Fratres, pro certo, si nosmetipsos severè judicemus, nunquam à DEO esse judicandos. Hinc veteres Patres pœnitentiæ vim ac potestatem tot laudibus efferunt, dum illius esse docent, divinæ nos quasi subtrahere jurisdictioni. *Quàm bonum*, inquiebat Bernardus, *pœnitentiæ judicium, quod districto DEI judicio me subducit.* Volo addebat idem Sanctus Pater, volo, tametsi reus tametsi peccatis coopertus, tam formidoloso judicio sistere me, sed jam judicatum, ut nihil in me reperiat judicandum. Quoniam non ignoro, quod & ipse monuit, quod est judicatum ab eo semel, nunquam esse judicandum. *Volo vultui iræ judicatus præsentari*

1. Cor. 11.

tari non judicandus, quia bis non judicat in id ipsum. Bernard.

Quæ cùm ita sint, nonne meritò pronuntiatum à me est, peccatoris severitatem in seipsum omnino necessàriam esse pœnitentiæ conditionem; Quid enim ago, pergit Bernardus, atque hoc ipsum usurpare nostrum quisque debet, ut ad proximum festum ritè celebrandum nos comparemus; quid ago, seu cùm accedo ad sacrum pœnitentiæ tribunal, seu cum tacitè apud me hujus virtutis actus elicio? aut ago, aut agere me oportet illud ipsum, quod DEUS est olim acturus; quid autem est olim acturus? severum de me judicium pronunciabit, quod neque errore inobscurari, neque cupiditate ullâ frangi, neque muneribus corrumpi valeat. Judicium, in quo DEUS, ut sententias ferat irreprehensas, vim omnem mentis adhibebit, & sanctissimæ suæ voluntatis integritatem. *Ut vincas cum judicaris.* Psal. 10. Uno verbo, judicium, in quo DEUS, me invito ac renuente, noxas meas omnes nudabit, & ita nudabit, nullam ut prorsus remittat ac condonet; hac enim ratione ipsum judicaturum fides docet. Si velim igitur ritè pœnitentiam agere, tale quidpiam fieri à me necesse est. Atque ut tempus appetit quo mihi mecum *in judicium intrandum* Psal. 124.

dum est, ut me comparem ad Christi natalitia celebranda, imitari oportet, quantùm in me est, supremi Judicis in me judicando rationem; in omnes debeo conscientiæ partes descendere, singula & maximè abdita exploraturus & scrutaturus animi vulnera. Examen illud spectandum est, ut divini examinis supplementum, atque adeò ut gravissimum vitæ totius negotium, quódque potissimam à me cautionem & diligentiam requirat. Quapropter omnis ingenij acies intendenda mihi est, ut me non perfectè minus quàm DEUS ipse judicem; ut delicta mea perspiciam, discernámque eadem æquitate, eadem severitate coarguam, qua DEUS ipse. Ut hæc actio accepta DEO sit, non cupiditas adhibenda mihi est in consilium, non *prudentia carnis*, non profana sapientia, non aliorum exempla, non consuetudo, non vanus seculi sensus, non præjudicata opinio; conscientia, fides, Religio sola audienda. Sumenda in manus trutina, non ea, quæ mundanorum est; *mendaces enim filij hominum in stateris*; sed trutina illa sanctior, in qua, ut & infelix ille Babyloniorum Rex, sum olim examinandus. Aliam si sequor in obeundâ pœnitentiâ viam; si ad Sacerdotis etiam pedes abjectus; mihimet indulgere, si errata mea celare me ipsum,

Rom. 8.

Psal. 16.

ipſum, ſi conſpirare cum cupiditatibus, ſi innatam cauſari fragilitatem, ſi dilectis meis nomina quævis præponere lubet; ut alia partim excuſem, partim diſſimulationis integumentis alia involvam; his rectæ intentionis ſpeciem, iſtis fatalis cujusdam neceſſitatis rationem obtendam; ſi mihi cauſam ſemper adjudico; ſi cùm mens in dubio eſt quibusdam de rebus, quæ contra æquitatem fieri à me ſolent, habéntque duras ſibi leges annexas, ſemper abſolvor judice me, & moleſto ſatisfaciendi onere conſcientia levatur, adeò ut quamcunque ob injuriam, & damnum illatum à me, nihil proximo, ex meis decretis, debere me cenſeam; denique ſi, ne diligentior inveſtigatio moleſtiam mihi, ſed ſalutarem ac neceſſariam aſpergat, ſubito ac præcipiti examine ſum contentus, dubitationes ac ſcrupulos, ut ita loquar, ſopiens potius, quàm tollens; ſi ad eum, inquam, modum pœnitentiam ago, ficta eſt illa utique ac ſimulata, proindéque ſupremo Numini odioſa. Quid ita? quoniam non eſt, ut debet, DEI judicio conſentanea. Diverſis ambo utimur ponderibus ac menſuris, atque hoc ipſum, teſte ſcripturâ, iniquum eſt, Deóque abominatum.

Enimverò longè aliter eſt nobiſcum acturus ſupremus ille Judex. Mollis illa ac

ac remissa nostræ hujus pœnitentiæ ratio, valde diversa est ab eâ, quam est aliquando sequuturus. Frustra alioqui metus illius nobis injiceretur. Frustra sanctissimos quosque perterruisset olim, & perterreret etiamnum. Si posset enim DEI judicium cum nostrâ illâ lenitate, cum nostrâ illâ dissimulatione & indulgentiâ convenire, quid in eo tam formidandum inesset? &, quî dici possent DEI judicia ab hominum judicijs tam remota? sed, ne vanâ illâ spe nos pascamus, hæc duo semper fides intonat. Severissimum esse DEI judicium, & pœnitentiæ nostræ exemplar ac normam illud esse oportere. Unde colligamus necesse est vel inviti, falsam & inanem esse pœnitentiam nostram, nisi si comitem habeat severitatem illam, qua nosmetipsos, in nobis judicandis & condemnandis, uti oportet. Hinc illa Prophetæ sapientissima vox, qua DEUM precabatur, ut varias, quæ à Dæmone, ad noxas excusandas, ingeri solent, causas & prætextus amoliretur à sese. *Ne declines cor nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Ac quoniam experientiâ didicerat delabi in id vitium hominum pleróque, nec iniri numerum posse falsorum ejusmodi *Electorum*; sic enim eos appellat, qui etiam cùm agunt cum DEO, sibi semper extra culpam om-

Psal. 140.

omnem, ut videntur, aut esse se contendunt; ab eorundem societate abhorrere se significat Vates sanctissimus. Ita enim ille: *Cum hominibus operantibus inquitatem, & non communicabo cum electis eorum.* *Ibid.*

Sed qui sunt illi tandem *seculi electi*, quærit Augustinus, dum hæc ediserit psalmi verba; qui *sunt illi Electi seculi?* hi nimirum, inquit Augustinus, qui, ut Pharisæus ille Evangelicus, arcanâ quadam superbiâ tenentur: qui cùm sibi metipsi minus noti sint atque perfecti, de se semper bene existimant, probitate suâ plus satis confisi; quibus nec sui errores suspecti sunt, nec innatæ libidines; qui vitia sua ponunt in virtutibus; qui cupiditatibus cæcati, pro justitiâ vindictam, obtrectationem pro patrocinio veritatis, ambitionem pro officii habent ac numeris studio; qui se quidem ipsi mortalium deterrimos confitentur universè, sed nullius privatim errati convinci se patiuntur; uno verbo cuncta ut complectar, qui facta sua DEo semper excusant, & se, hominum judicio, irreprehensos arbitrantur. Tales Augustinus nobis illos describit. Unde intelligimus id genus homines nunquam defuisse. *Sæculi electi*, qui, cùm vitiis suis præsidium quærant, vel eo ipso ad ea deflenda parati non sunt, mul- *Augusti. in Psal. 140.*

tò minus ad ea deserenda, in quo tamen pœnitentia consistit. Ille, addit idem Sanctus Doctor, astris imputat flagitia sua, quasi verò Martis & Veneris sydera, ipsius crudelitatis causa sint atque spurcitiæ. *Venus in me adulterium fecit, sed non ego.* Iste Manichæorum errore imbutus, non se, sed gentem tenebrarum, peccare in se contendit. *Non ego peccavi, sed gens tenebrarum.* Talis tunc erat hæreticorum sermo, qui, ut est notatum ab Augustino, hominis superbiam fovebat & perseverantiam in peccatis, dum transferebat in DEum ipsum. Nec absimilis est hodiernus hominum sermo, alias quamvis adhibeant & simpliciores voces, hominum; inquam, qui sibi tantopere indulgent, & in agendâ pœnitentia adeò segnes sunt ac remissi. Quæro enim ex vobis, Auditores, cùm quis ad sacerdotis pedes abjectus, se cuipiam vitio obnoxium quidem fatetur, sed vitium illud addit, vituperatione minus quàm commiseratione dignum esse; tribuendum imbecillitati naturæ & constitutioni corporis, quæ non sit in suâ potestate; quæro, inquam, an qui ita loquitur, non incidat in eorum hæresim, qui cuncta tribuebant stellæ suæ fato, dicebántque, *Venus in me adulterium fecit, sed non ego.* Et, cùm alius quis-

August. ibid.

ibid.

quispiam, ut flagitia purget, agnoscit ea quidem primùm, dein subjungit, inesse quandam in mundo contagionem, quam vitare nequeant; hoc mundi fatum esse: qui eâ afflari nolit, ei utique discedendum e mundo; quid aliud est, ejus opinione, mundus, quàm gens illa tenebrarum, de qua Manichæus, *non ego peccavi, sed gens tenebrarum.* His se armis defendunt *sæculi Electi. Defensiones illæ sunt Electorum sæculi.* Quæ defensiones tam DEI sanctitati injuriosæ sunt, quàm ad hominum licentiam fovendam idoneæ. Quin potius, concludit Augustinus, severioris pœnitentiæ aculeos emittimus in nosmetipsos, ut DEO, dum nosmetipsi condemnamus, debita laus tribuatur. *Transi ad vituperationem tuam & DEum laudabis.* Dicamus DEO, regium psaltem æmulati, ex veræ ac sincer æ dimissionis affectu, *sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi* Pecavi, inquam, & peccatum illud, neque in naturam meam, neque in corporis constitutionem transferendum censeo. Liberam hujus potestatem habebam & frænabam utique inordinatos ejus motus, ad arbitrium & libidinem meam: cupiditas illa, cui contra voluntatem tuam sum obsecutus, nunquam à me quicquam impetravit, quod commodis meis officeret. Docilis erat & subjecta rationi cùm me-

Augustin. ibid.

Ibid.

Psal. 40

tuebem, ne evagata longius, in publicam erumperet offensionem; nec erat vis illius tanta, quam non comprimerem, ubi vel fama, vel fortuna mea agi videbatur. *Peccavi tibi.* Sed non possum istuc tribuere mundo, nisi injustè. Mundus enim ille, quantumvis malus, imperium in me non habuit, quàm quod illi libens permisi. Et verò ut mihimetipsi satisfacerem, centies illum contempsi, centies vànitati indulgens & innatæ levitati, jugum ipsius excussi, consuetudines ejusdem, legésque posthabui. Si te, DEUS optime, tantùm amassem, quantùm mundanam gloriam, quantùm fluxa & caduca bona, quantùm mortalem hanc vitam, nunquam profectò mundi me perversitas corrupisset. Tecum igitur non agam bonâ fide, si in flagitiosum hunc mundum flagitia mea refundam. Vides, inquit Augustinus, quantùm DEI gloriam amplifices, cùm te ipsum judicas, & severè judicas; dum arctos intra pœnitentiæ terminos te sponte concludis ac continues. *Vides quommodo sic pateat laus DEI in qua angustiabaris cùm te velles defendere.*

August. ibid.

Sed quid naturæ magis consentaneum, quàm ignoscere sibi ipsi? &, quoniam in agendâ pœnitentiâ, dum sustineo DEI personam, mei ipsius judicem ago, quid ve-

veniâ magis dignum, quàm si in me severius non animadvertam ? fateor equidem, Auditores, mihi magis esse secuudùm naturam, quàm ignoscere sibi ipsi. At ex eo ipso alterum peto argumentum, ad serverioris pœnitentiæ necessitatem comprobandam ex eo, inquam, ipso, quòd sunt homines naturê suâ tam sui amantes, tamque proclives ad sibi indulgendum ; necesse est enim ut pœnitentia amorem illum vincat insitum à narurâ, quod efficere non potest, nisi piæ severitatis adminiculto. Et verò si aliorum agatur causa, si pronunciandum de proximi factis, nihil sit opus ad severitatem vos adhortari. Neque enim me fugit, quantopere simus ad carpendos & damnandos aliorum mores, sponte & naturâ nostrâ, propensi. Sed cùm res nostra agitur, ut nobis blandimur suprâ modum, & indulgemus in omnibus ;, quid melius tutiùsque suadere vobis possim, quàm prudentem, sed rigidam & flecti nesciam severitatem ? quoties estis experti leviſſimas injurias, cum jis afficimur ; contumelias nobis videri longè graviſſimas ; contra verò contumelias longè graviſſimas ; cùm ad alios tantùm attinent, judicio nostro, penè nullas esse ? unde hoc autem, nisi & inordinato sui ipsius amore, quo cæcari vul-

gò homines solent ? quibus verò armis amor ille expugnari possit, nisi pœnitentiæ rigore ? tam splendidos heu ! colores vitiis nostris inducimus ; ea obtegimus & excusamus tam ingeniosè ; quod DEUS, quòd homines reprehendunt in nobis, in eo nos sæpe amamus, in eo nobis sæpe gratulamur ac plaudimus ; qualis igitur futura est pœnitentia nostra ? si pravam illam naturæ ptoclivitatem, normâ aliquâ rectiore; quamvis minus commodâ, non emendamus ? quos in errores incidemus ? quot peccata manebunt impunita ? quot damnabimus tantùm ex parte ? diffidamus nobismetipsis : nosmetipsos nunquam audiamus : hac etiam cautione adhibitâ, fieri non poterit, quin simus valde adhuc obnoxii laqueis & artibus subdoli hujus amoris, quem in omnes vitæ nostræ partes obrepentem, tam est operosum avertere.

Sed est & alia graviſſima ratio, quæ pœnitentiæ severitatem longè efficacius persuadeat, & integram sola concionem postulet. Videlicet, judicium illud, quod in nosmet pronuntiamus, supremum decretorium non esse, sed pendere ex alio ad quod appellari possit; judicium, cujus vitia & peccata, superioris alterius judicii, quod vitari nequit, materiam esse oportet. In illud enim formida-

midabile judicium sistendi omnes sumus, Christiani Auditores, & citra provocationem ullam judicandi. in illo DEUS, qui, ex supremâ suâ in homines potestate ac Dominio, judiciorum omnium est Judex., nostra omnia recognoscet & emendabit. *Cùm accepero tempus ego justitias judicabo.* Quid autem est in illo judicio acturus? qua in re est operam positurus potissimum? an in nostris criminibus judicandis? nequaquam, inquit Chrysostomus; sed præcipuum ipsius munus erit, quod & divini Numinis excellentiam supremámque potestatem magis ostendet, ut latas à nobis ipsis contra flagitia nostra sententias judicet; ut iniquirat in accusationes institutas à nobis; nostras damnet, ut ita loquar, damnationes; ob pœnas nobis inflictas, pœnas irroget; denique ut nostræ etiam pœnitentiæ nos agere pœnitentiam cogat, id enim propriè verba illa significant, *ego justitias judicabo.* Egregie, nos tectos ac munitos credimus falsæ hujus pœnitentiæ velo; sed nihil obtectum velo illo deprehendemus, præter dedecus & opprobrium nostrum. Illæ peccatorum confessiones, quas leviculæ pœnæ subsequuntur, justitiæ nunc totidem nobis videntur DEO acceptæ; verùm inter gravissimas injustitias fuisse illas nonnun-

quam numerandas, DEUS ostender; atque hæ falsæ justitiæ sunt, seu potius injustitiæ, quas est olim suos ad claculos vocaturus. Ah! quid proderit nobis usque adeo esse planditos? quid proderit tantopere nobis indulsisse? quid proderit inveniisse, & quæsisse sorrasis, indulgentes, & faciles Christi ministros? quid proderit, é divinorum mysteriorum dispensatoribus, feciisse molitiæ nostræ consortes ac socios? quid proderit illa ipsorum in nos indulgentia quid præpropera illa peccatorum solutio? an rata erit apud DEUM? an quodcumque Sacerdotes solverint in terris, DEI jura laxando, solutum propterea erit in cœlis? eóne usque pertinet potestas clavium illis concessa? negat istuc Angelicus Doctor. Est quidem pœnitentiæ tribunal, in quo illi sedent, misericordiæ, sensu quodam, tribunal, sed divinæ non ipsorum; non nostræ misericordiæ tribunal, sed multò adhuc minus nostræ. Si enim zeli defectu, ipsorum misericordia, aut mentis cæcitate, pœnitentiæ nostræ nostra inter se intermisceat misericordia, iterum dico, ac væ mihi, si vos ea de re opportunè, ut Apostolus Paulus loquitur, & importuné non monuero? ab illo divinæ misericordiæ tribunali, ad justitiæ, & misericordis Justitiæ, tribunal, nobis

nobis est transeundum. Hoc fundamentum ponendum à vobis est, Auditores Christiani, fundamentum, quo illa omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ vigebat olim, severitas nitebatur. Apud nos, inquiebant veteres illi Christiani, teste Tertulliano, *districtè judicatur, tanquam apud certos de divino judicio.* Severum in nos judicium exercemus, quia severum nos tribunal manere non ignoramus, imò semper illud ante oculos habemus. Et vero, subdit Chrysostomus, inferiorem judicem agere oportet summo jure: superioris est duntaxat dare legi laxamentum; unaque veniam impetrandi via, si sibi venia non tribuatur.

Est rationi consentanea severitas: sola enim hîc satis sit, ad nos planè convincendos, ratio nostra. Si florerent adhuc prima illa & fortunata ferventis Ecclesiæ sæcula, quibus noxa unica; exhis quas mollities nostra tam vulgaros fecit, piari solebat laboriosâ peræque ac probrosâ multorum annorum pœnitentiâ, nobis fortasse veniret in mentem, ultra modum egredi severiratem id genus, & meum esset, ut divini par est juris vindicem, illam, qua possem, tueri ac defendere. Docere vos meum esset, adeò non immoderatam fuisse Evangelicam illam

lam severitatem, ut potius persuasissimum haberent veteres illi Christiani, divini juris Numinis, quæ restitui pœnitentiâ necesse est, longè etiam ulterius proferri; sapientiorem disciplinam Ecclesiam nunquam tenuisse; si postremis temporibus leges illas paulùm laxare ac mitigare quodammodo coegit nimia Christianorum mollities, hoc ipsum utique leges easdem commendare, quòd videlicet tam rationi consentaneæ fuerint illæ primitus, quàm nos postmodum ab eâ videmur desciviſſe. In alia tempora ætas nostra incidit Auditores, neque jam fidei vestræ docilitas requiritur, & obsequium, ut hodiernam hanc pœnitentiæ severitatem approbetis. Severi nihil habet illa, quàm quod ratio nostra vobis ipsa præscribit; aut, ut accuratius loquar, quod jam inest in pœnitentiâ maximè severi, hoc ipsum est, quod ratio ipsa vobis præscribit.

Sic est, Auditores, ad insitæ rationis fines pœnitentia nos revocat; in eo consistit, sempèrque constitit ipsius ad salutem necessaria severitas: iis cancellis egredi nos si contingit, rursum includit invitos, cogitque vel contra nosmetipsos; & cum incommodo etiam nostro, ratoni esse obsequentes. Hoc ipsum enimverò maximè arduum in pœniten-

tiâ

tiâ, & longè difficillimum nobis videtur; sibi interdicere iis omnibus, quæ aut peccatum, aut peccati causam esse ratio monstraverit. Teneros illos affectus, quos & vitiosos ipsi, & peccati fontes esse judicamus, imo corde excutere. Jucunditates innumeras, quæ ad peccatum invitant, dimittere atque ablegare à sese; ea omnia arripere bonâ fide, quæ peccato necessaria esse novimus impedimenta. Tristia peccati damna contrariis operibus pensare; quo de argumento fusius fortasse alias dicemus; in eo, inquam, severa plus æquo pœnitentiæ nobis videtur; hæc si tollantur, nihil est quod non amplectamur: & modò id tantùm exigas, quod priscis canonibus est sancitum, haud gravatè eos omnes reduci, & restitui in integrum patiamur. Non indicta jejunia, non horrentis cilicii rigor, non aspersus capiti cinis, non corporis ad Sacerdotum pedes abjectio, molestiam ullam attulerint. Sed vindictæ apetitum comprimere, condonare injurias, malè parta bona restituere, sarcire ablatam famam, teneros amores extinguere, interdicere sibi periculosis congressibus, avellere se ab eo quod ametur; hoc enimvero illud est, quod naturæ vim infert, quod peccatoris animum excruciat; quod ab ipso tam ægrè impetres

petres tam rarò ; hoc illud est , in quo quotidie resistitis ministris Christi , & in quo repugnantia illa vestra , ipsorum aut enervat toties zelum , aut inutilem reddit.

Istuc tamen ipsum est in pœnitentiâ, quod rationi congruum esse dico , & reipsa tam congruum est , ut non possit à vobis non exigi ipsimet fateamini ; tam congruum rationi ; ut offensioni futurus vobis ille sit atque scandalo , qui id à vobis non exigat. Cætera fuerant ab hominibus instituta , hoc juris est naturalis ac divini. Cætera erant mutationi obnoxia ; hoc semper manebit, & tam immutabile est quodammodò , quàm DEUS ipse. Cætera pendebant ex Ecclesiæ arbitrio ; hoc neque penes Ecclesiam est , neque penes Ecclesiæ ministros ; ut nulla sit , vel terrestris , vel cælestis potestas , quæ ab eo servando reddere vos immunes queat.

Felices nos , Auditores Christiani , si doctrinam hanc non respuimus naturæ quantumlibet acerbam ! felices , si rectæ rationis, cui , velimus nolimus , subjicimur , ductum sequuti , pœnitentiæ rigorem quantus est , amplectimur ! Si dum cupimus , ut par est, DEUM in nobis ulciscì ipsius in nos iram omnem transmittimus , ut dicere liceat , quod Regius Psaltes ; *in me transierunt iræ tuæ.* *Psal. 64.*

Mira

Mira profectò, domine DEus, transmissio, & quasi transfusio valde stupenda facta est. Ubi primùm intellexi, peccati â me admissi gravitatem, & illius verè pœnituit, ira tua omnis à te transiit in meum pectus. *In me transierunt iræ tuæ.* Iram tuam dico, illa enim opus mihi erat, nec alia, quam tui, qui tantus es, peccatum, quod tantum est malum, exterminare potuit. Fuisset ira mea remissior: habet tua vim omnem ad tantum opus perficiendum, necessariam, ideò illam in meum pectus totam trajecisti, quia vim ejus omnem peccatum meum merebatur. Non satis erat pars ejus aliqua: eâ omni, quanta quanta est, opus mihi erat, ad detestanda & plectenda graviſſima peccata mea. *In me transierunt iræ tuæ.* In eo ipso, Domine, misericordiam tuam agnosco, in eo, inquam, quod à te in meum pectus iræ tuæ fluctus omnes transfudisti; si enim illa mansisset in te, at quid eadem contra me non impulisset? in me verò transmissa, placabilis facta est ac veluti humana. Neque tamen permisisti, DEus optime, ut à te in meum pectus rectà transiret. E tuo sinu egrediens fuisset illa ardentior, nec fuissem sustinendo, quo esset moderatior, fecisti ut primùm transiret in filii tui pectus, ubi illius ardor, dum piam in ipsius membris

& cru-

& crudelitatem exercet, penè refrinctus est, & quoniam Filii tui pectus beneficiorum fons est omnium atque origo, hausit ex illo veluti sanctitatis, & misericordiæ centro, vim quandam salutarem, qua mihi sanctimoniam impertiret. Ita nempe in me transit ira tua. Ita eam habui, ira retinere eam volo. *In me transierunt iræ tuæ.* Severam illa efficiet pœnitentiam meam, & quò severior erit, eò svavior vicissim ac jucundior est futura.

PARS II.

TERTULLIANI, de pœnitentiâ agentis, pronuntiatum est, non minus glorioſum DEO, quàm humanæ confidentiæ, superbiæque deprimendæ accommodatum. Quid agitur frater? ita ille peccatorem compellat. Scire aves utrum pœnitentia tua utilis tibi futura sit nec ne. Quid refert? jubet DEus ut pœnitentiam agas: an non satis est causæ, ut ipsi obtemperes? an non sola sufficit jubentis authoritas, seclusâ utilitatis spe? *Bonum tibi est pœnitere, an non, quid revoluis? DEus imperat? prior est authoritas imperantis, quam utilitas servientis.* Quod de pœnitentiâ generatim atque universè Tertullianus, de pœnitentiæ severitate dici meritò possit. Tametsi severitas illa nihil non haberet acerbi nobis atque austeri, tametsi talis esset, qualem vulgò eam sibi fingunt homines sui amantes, homines mundani;

Tertull. de pœnit.

juben-

jubente DEO, quid agendum nobis superesset nisi ut nos generosè ipsi submitteremus, animi nostri mollitiâ, divinis, ut par est, imperiis cedente. *Prior est authoritas imperantis, quàm utilitas servientis.* Atenim non agit nobiscum DEus pro imperio & jure suo summo, & bonitate se prorsus dignâ, sic res moderatur ac temperat, ut nos non modò non opprimat impositum onus, verum etiam leve videatur; & si omnes pœnitentiæ labores subire nos jubet, una satagit, ut quæ acerbitatem eorum mitigare & mollire possunt, nunquam desint. Rectè ergo Tertullianus; & quamvis de pœnitentiâ quædam senserit non satis moderatè loquitur tamen accuratè, cùm alicubi ait, in pœnitentiâ positam esse peccatoris felicitatem; *Pœnitentia hominis rei felicitas.* Qui non nosset hujus virtutis effectus, potius, qui eos nosset tantùm ex parte, paradoxa ei videatur hæc sententia. Quid enim minus in speciem humanæ felicitati accommodatum, quàm quod animum affligit, carnem castigat, cupiditates frangit, nosmetipsos denique *abnegare* compellit; quæ cuncta sunt Christianæ pœnitentiæ munia. Habendum tamen pro certo, Christiani Auditores, amissâ innocentiâ, nihil præter pœnitentiam hominem beatum efficere posse; beatum, in

Luc. 9.

inquam, vel in hac mortali vitâ. Quâ de re facilè vos mihi, ubi cætera audieritis, assensuros confido. Etenim peccatoris, vel in hac vitâ, felicitatem appello, post Tertullianum, quod ipsius conscientiam pacat, & tranquillam facit; quod animum replet cœlesti dulcedine: quod de supremo judicio, quoad fieri potest, securum reddit. Hæc autem omnia, naturâ suâ, pœnitentiam præstare, fides docet. Addo solius esse severioris pœnitentiæ, habere divinos illos effectus, hoc est, tranquillam ac pacatam reddere peccatoris conscientiam; infundere cælestem illam dulcedinem, illam supremi judicii securitatem, aut Christianam saltem fiduciam impertiri. Rectè ergo à me colligitur, nemini non dulcescere pœnitentiam, vel cùm est acerbè severa- Animum advertite; habent quippe quæ sum dicturus, adjunctum sibi fructum uberiorem, quàm formidolosissima quæque fidei Christianæ dogmara. Sic est; vera pœnitentia, atque adeò in qua peccator sibi nimus indulget, minúsque condonat, pacem affert. Hinc duo illa bona à Christo servatore simul accepit nobile illud generosissimæ pœnitentiæ exemplar, Magdalena, cùm dixit is peccata deflenti, *remittuntur tibi peccata tua; vade in pace, Pax illa DEI,* quemadmodum eam Paulus appellat, quia

Luc. 7.

DEI

DEI donum est præcellens, *Pax DEI*: pax illa, quam mundus, quia ipsius non est, largiri non valet; *quam mundus dare non potest pacem*; pax illa, quæ omnem sensum, omne bonum, omnem voluptatem longè multúmque superat; imò sine qua nullum in vitâ bonum, nulla voluptas esse possit; *Pax DEI quæ exuperat omnem sensum.* Pax illa, cujus est tranquillare pectus, turbidos illius motus componere, conscientiæ levare angoribus; pax, inquam, illa, primus fuit pœnitentiæ fructus, quem percepit ad Christi pedes accidens Magdalena. Hactenus DEO rebellis, suisque vitijs mancipata, ipsa secum assiduè pugnaverat. Hactenus abrepta cupiditatis æstu, simul & occulto pulsata rationis flagello, persensérat peccati stimulum, hoc est, pudoris, amaroris & mœstitiæ ex illo plus hausérat, quàm gustaverat voluptatis. Hactenus vixerat inquies, mordaci sollicitudine dies ac noctes pectus exedente. Optatâ tandem pace & tranquillitate frui cœpit, cùm primùm ipsius pœnitentia Numinis iram placavit. Tunc enim divinum illud inaudijt verbum, cujus & vim est experta, *vade in pace.* Quasi Christus, pro potestate quam habebat in Magdalenæ pectus, illud, quemadmodum ventos solebat & mare, jussisset esse tranquillum. *Imperavit*

Phil. 4. Oratio. Ecclesiæ.

Phil. 4.

Luc. 7.

Matth. 8.

vit, ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Ut ut est, contendo, Auditores, pro severitatis ratione, qua in nosmet animadvertimus, eandem nobis suavem ac jucundam accidere. Quod peccatrix Jerosolymitana experta est conversa ad DEUM, idem prorsus evperiri nos, DEO non secus ac illi interius, imò etiam exterius Sacerdotum ore, verbis ijsdem, pacem nobis significante; *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.*

Luc. 7.

Sed quî fieri potest, ut pœnitentia severior, quæ, autore Tertulliano, irati Numinis partes agit, pacem nihilominus asferat? in eo utique ipso positum est prodigium illud, quod à vobis observatum velim. Nimirum suâ illâ severitate DEum placat pœnitentia; DEUM exarmat; cum eo nos reconciliat; restituit in gratiam; ex irato, nihilque præter pœnas intentante, ac minante DEO, sanctâ quadam vi, velut conversum ac mutatum derepente, mansuetum fieri cogit, ac misericordem DEUM. DEUM, qui gloriæ ducit planè remittere quæ nobis ipsi non remittimus; qui offensas tantùm meminit, ut habeat quod condonet; qui eò judex est, ut se patrem nobis apertius ostendat; paterno tunc judicans affectu, cùm in supremo die sit nos judicaturus imperiosi Domini ritu. DEUM denique, qui omni posito iræ ac vin-

vindictæ sensu, nihil nisi misericordiam, pietatem, & pacem spirat. *Dicit Dominus; ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Jerem. 29.

En igitur, Auditores Christiani, mirabilis, quem dicebam, pœnitentiæ fructus. Agit illa quoniam severa est, cœlestis iræ partes, sed longè efficacius quàm ira cœlestis. Imò id agit in nobis quod ira ipsa cœlestis non valet. Quid ita? quoniam cùm ira cœlestis peccatum punit, non delet; pœnitentia & punit & delet. Quoniam ira cœlestis, sola, quascumque tandem ab homine pœnas exigat & sumat, facere nunquam potest, ut ijs æquales offensæ pœnas persolvat. Id cernere est apud inferos, ubi pœnarum æternitate nunquam satisfit DEO. Quoniam, ut ait Bernardus, una ibi Numinis ira sentitur. Contra verò pœnitentia, cœlestem iram, cujus vices gerit, misericordiâ, dum illam impetrat, beato miscens fœdere, DEO planè & cumulatè satisfacit. Ex quo illud efficitur, pœnitentiæ severioris esse, quod cum DEO, imò quòd nobiscum ipsi redeamus in gratiam. Quî enim fieri potest, ut bellantes cum DEO pacem habeamus? quid est autem & esse potest in vitâ dulcius & utilius geminâ illâ pace? quanto vis eam habeas pretio, carius ne unquam constabit? quantumvis rigida & austera

videatur, & sit, potest illa non amari, per quam licet cum Domino illo, è quo pendet felicitas nostra omnis, redire in gratiam? per quam pax illa, quæ est summum bonum in terris, & cum peccato stare nescit, nobis restituitur. Pergamus porro.

Ex interiore illâ pace, liquida quædam voluptas nascitur, quæ est alius severioris pœnitentiæ fructus; aliud sancti Spiritûs donum, quod ob id ipsum sancti Spiritûs gaudium ab Apostolo Paulo nuncupatur. *Gaudium in Spiritu sancto.* Quis illam verbis adumbret, Auditores? quis illam, ni senserit prius, cognitam habeat? quis intelligat, qua dulcedine perfundatur, pœnitentiæ studio dedita mens, postquam emersit é flagitiorum cœno, & generoso conatu, id à se tandem impetravit, unde pendebat reditus ad DEUM? postquam ejus causâ cupiditatem illam, cui miserè famulabatur, penitus excussit: postquam vinculis abruptis, eâ *libertate* frui cœpit, quæ est *filiorum* DEI propria, ut cum Prophetâ exclamare liceat; *dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ruptis, Domine, catenis, quibus religatus tenebar, asseruisti me in libertatem: pro quo tam insigni beneficio, laudes tuæ semper in ore meo versabuntur; grates tibi habebo & agam sempiternas. Eò ut perveniret, vim illa sibi aliquam in-

Rom. 14.

Rom. 8.

Psal. 115.

intulerit necesse est. Consilium illud de abdicandâ libidinosâ illâ Consuetudine ipsi tam noxiâ, susceptum, de eruendo sibi oculo, qui scandalo ipsi erat, de fugiendâ occasione tam damnosâ; consilium, inquam, illud religiosum quidem, sed ad suscipiendum tam difficile, & ad perficiendum multò difficilius, fuit illi mortis instar cujusdam, qua nihil habet acerbius pœnitentia. Sedenim ubi victima semel icta concidit, & operi suprema manus est admota, qua cælestis dulcedinis copiâ non perfunditur? impervium est mysterium illud homini depresso in carnem, & quasi in terram demerso. Hæc quia nunquam est expertus, neutiquam percipit. Verùm ob id ipsum quod nunquam est expertus inquit Chrysostomus, neque sibi ipsum super eâ re, neque alios ei credere oportet. Hæc quia nunquam est expertus, expertis credat necesse est.

Quid autem eorum experiri non solent qui seriò & bonâ fide flagitijs suis nuntium remittunt? qua gestientis animi effusione de his sermonem habent? *quàm suave mihi subitò factum est*, inquit Augustinus, dum stupet ad mirificam morum suorum mutationem, nec jam noxas commemorans suas, sed infinitam in se prædicans DEI misericordiam, *quàm suave mihi subitò factum est, carere suavi-*

tatibus nugarum, & quæ amittere metus fuerat, quale & quantum dimittere gaudium fuit. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior; magisque juvabat debellasse me ipsum, & suaviſſimo jugo tuo collum submisisse, quàm cæteræ perceptæ olim voluptates. Ita Augustini pœnitentia illam Christi Domini prædictionem comprobavit; *mundus gaudebit, vos autem contristabimini*; *sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Gaudio complebuntur homines mundani, vos mœstitiâ; sed mœstitiam hanc, hoc est, pœnitentiam vestram, quæ propriè & unicè salutaris est illa mœstitia, de qua Corinthijs Paulus gratulatur, voluptas excipiet, quæ spretas à vobis omnes mundi delicias & oblectamenta longè multúmque superabit.

Augusſ. Confeſ. 9. Cap. 1.

Joan. 16.

Illam pœnitentiæ jucunditatem præsta mihi, dicat è mundanis quispiam, & terrena omnia valere jam nunc jubeo. Promitte ac sponde, cælestem illam dulcedinem non defore, & nullas pœnitentiæ molestias refugio. Erras, inquit Bernardus, erras, & malè argumentaris. Qua es infidelitate & morum corruptelâ, frustrà istuc spondeam. Quæcumque à me dicantur, nullius sint apud te ponderis, earúmque rerum studio,

dio, quæ mores depravant tuos, inutilis reddatur sponsio illius boni, quod mente solâ cognitum, sensus tuos non admodum moveat. Si sit optio, in ijs malis immorari voluptatibus, quas jam percipis, quia præsentes sunt, & aliarum imago quædam ficta duntaxat, & caduca spes ostenditur. Ante omnia te ipsum vincas oportet. Suavitas quippe illa, qua de loquor, manna est absconditum, unis sui ipsorum victoribus reservatum. *Vincenti dabo manna absconditum.* Apoc. 2. Omnes pœnitentiæ acerbitates & cruciatus cùm eris expertus, res ipsa plura te docebit, & breviore aperiet via, quàm sermones longissimi. Quid pluribus opus est verbis? quid DEI promissa ab ipso iterata toties necesse est renovare hoc loco? credite pollicenti: neminem unquam fefellit: si magnanimi eritis, erit ipse fidelis,

Atenim quot videre est in ipsâ pœnitentiâ aridos atque jejunos, qui centuplum illud arcanæ ac liquidæ voluptatis nunquam attingant? nonne siccitatem illam suam agnoscunt ipsi, deplorantque identidem, quasi de DEO, quòd datam fidem non liberet, quodammodo expostulent. Videmus utique. Sed qui sunt illi vulgo? non illi profectò, inquit Bernardus, qui se generosè duris pœniten-

tiæ laboribus devoverunt ; ijs enim solita illa ac spiritalis jucunditas nunquam desit. Si sunt, quos sua spes in eo fefellit, gratia DEO peræque providenti ac justo, non illi certè qui nullum pœnitentiæ rigorem non amplectuntur : sed ij potius, qui eam quantum possunt, & plus quàm oportet, temperant ; qui illi se dedunt pro arbitrio ; qui laboris & acerbitatis quidquid inest, dum circumcidunt & amputant, nihil sibi præter larvam quandam retinent, & inane pœnitentiæ simulachrum. Denique ij, quorum pœnitentia, cum omni suâ pompâ, & externâ, quadam severitatis specie, mille modis fœdè soluta est, atque laxata. Si se quisque, ut par est, excuciat propiúsque spectet, mali hujus fontem, si modò cæci planè non erimus, facilè deprehendemus, &, quî fiat, ut illam Christianæ pœnitentiæ dulcedinem non percipiamus. Fatebimur istuc per nosmetipsos tantùm stare. Exclamabimus cum Prophetâ, *justus es, Domine,* [*Psal. 118.*] *&, justum judicium tuum.* Justus es, &, cùm in agendâ pœnitentiâ animo sim tam inerti, mirum videri non debet, in illius usu non gustari à me, quæ gustarunt & gustant quotidie tot fervidi Christi imitatores. Ubi aderit eadem animi excelsitas, idémque pietatis fervor, eandem

dem sentiam & ipse in obeundâ pœnitentiâ suavitatem.

Erramus igitur, Auditores, & valde erramus, cùm pœnitentiæ severitatem in pœnitentiæ ipsius obicem vertimus; & est vulgaris, maximéque metuenda Dæmonis fraus, qua, ut in peccatis homines obfirmet, & à salutis itinere transversos agat, pœnitentiam ipsis aspero vultu, formâque terribili, quæ odium & horrorem injiciat sui, solet ostendere. Quin & quosdam amare credas, talem sibi illam cogitatione depingere, ut eandem omittant quasi pro suo jure. Quoniam autem reperias inter Christi ministros & gregis ipsius pastores, nonnullos zelo calentes, *sed non secundùm scientiam*; qui modum tenere nesciant ullâ in re; qui ne pœnitentiæ usum faciliorem reddant, eam impossibilem faciunt; qui sermonem de eâ nunquam habent nisi verbis ad terrorem compositis; qui eam duriter & asperè proponunt, illoque omni, quo condiri debet, amoris ac fiduciæ temperamento destitutam? qui operam à se præclarè positam arbitrantur, cùm errantem non dico reduxêre in viam, sed cùm timidum per sese ac perplexum in gravissimas perturbationes ac molestias conjecêre. Qui in ipso veluti limine & principio dum offendunt & peccant, DEUM nunquam ostendunt, nisi

Rom. 10.

nisi truci ac minace vultu, quasi DEO periculosum quodammodo credant, benignum nobis & amabilem videri, optentque ipsi, ut ad clementiam & misericordiam minus propendeat; quoniam inquam, reperias homines opinionibus ejusmodi occupatos, multòque magis certos & obstinatos illarum pravitate alios inficere; quid fit? ijs abutuntur homines impij, infirmi offenduntur: triumphant videlicet impij ac gaudent, cùm res audiunt exaggerari verbis, ut habeant aliquid causæ, cur illis vel fidem abrogent, vel planè omittant; vel nimiam causentur difficultatem, atque adeò speciosum aliquod nomen effrænatæ suæ licentiæ obtendant. Ex varijs quippe illis pœnitentiæ plus justo rigidioris formis, quas videntur tamen nonnihili facere, & falsis etiam laudibus interdum aspergunt, hoc efficiunt unum, ut Christianâ pœnitentiâ procul, eodem flagitiorum cœno sibi manendum putent; est enim hæc eorum hominum, qui solutiorem hac ætate nostrâ vitam exigunt, ars quædam subtilior; pœnitentiam volunt, cujus acerbitas moderati nihil habeat; quæ mitigationis expers sit & illecebræ, quia nullam prorsus pœnitentiam volunt. Si eam acturi essemus, inquiunt illi, nollemus minus austeram. Hærent tamen ibi desides, & sibi

bi ipsi tacitè gratulantur illud, si superis placet, agendæ pœnitentiæ studium, si eam essent acturi, quamvis operi manum nunquam admoveant. Aut rigoris, inquiunt, quidquid in eâ subest amplectamur, aut nihil; cùm fixum nihilominus ac ratum illis sit, de vitæ liberioris curriculo non deflectere. Ea est flagitiosorum hominum ratio. Contrà infirmi & imbecilles animum despondêre; dedêre se languoribus; saluti desperare; pœnitentiam supra vires credere; non posse diu continuari; tanto utique oneri succumbendum; Judaïcum illud crebris sermonibus usurpare; *quis nostrum valet ad cœlum ascendere!* ecquis mortalium eò perveniat? ecquis sibi consistat; sic enim mundanis ertoribus abutitur ignavia nostra, ad DEI jugum excutiendum. Itáne verò, DEUS immortalis, tam erasâ arte nobis illudi, nobis ad perniciem nostram fucum fieri permittemus? semperne ignorantia nostra eâ in re nobis excusationis erit loco? non ita. Quandiu enim sacrum illud verbi tui depositum fidei meæ concreditum erit, hæc duo semper & conjunctim annuntiabo; te in judicijs tuis terribilem; *Te patrem esse misericordiarum, & totius consolationis DEUM.* Nunquam eò temeritatis prorumpam, ut de summâ benignitate tuâ verba quoties faciam, justitiæ tuæ men-

Deut. 30.

2. Cor. 1.

mentio à me non fiat ? scio enim, quàm periculosas inde consecutiones deductura esset impiorum hominum natio. Sedenim Religioni haberem, si in justitiæ tuæ severitate annuntiandâ, de admirabili naturæ tuæ lenitate ac misericordiâ reticerem ; fides enim, te ipso revelante, docet, peccatorum salutem, misericordiæ tuæ acceptam referri oportere. Justitiam verò tuam non posse solam, nisi æternis supplicijs eosdem addicere. Igitur alterum ab altero nunquam sejungam, ut mihi semper dicere liceat, *misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Quamvis autem profani seculi amatores, inexhaustâ illâ tuâ misericordiâ abusuri essent, non cessabo tamen eam ubique & propalam anuntiare, ut pro eo qui es, hoc est, pro DEO æquo justo ac bono habeare ab omnibus, & impiorum etiam querelæ & obtrectationi, cùm de eorum sceleribus sententiam feres, nullus relinquatur locus. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.*

Psal. 100.

Psal. 50.

Dicam populo tuo, peccati labe, infinitum æs alienum contrahi à nobis. Sed simul monebo, quia ipse, unde tibi solvamus, suppeditas, facilè nos eo levari posse. Dicam, ne se infelici confidentiâ perditum eat, pœnitentiam rigi-

dam

dam esse oportere. Verùm ne in funestam, ut fit, salutis desperationem prolabatur, hoc illi solatij loco proponam, nullam adeò rigidam esse pœnitentiam, quæ cælesti sibi adjunctâ unctione, non dulcescat. Neque alias. ad faciendam fidem, probationes adhibebo, quàm promissa tua, quàm inconcussa scripturæ tuæ oracula. Dicam, ne in errorem inducatur, illam pœnitentiæ severitatem, jugum quidem esse; sed, ut animos addam, non omittam commemorare, jugum illud tutum esse, téque ad illud nobiscum ferendum, fidem tuam, obligasse; spiritum tuum, ut Apostolus tuus loquitur, flere in nobis, in nobis gemere, in nobis, si fas est ita loqui, pœnitentiam agere, quoniam opitulante ipso, & operam, pœnitentiæ damus, & ut demus, naturæ reluctantis cuncta superat in nobis impedimenta. Has regulas sequutus, nihil erit quod metuam. Vel coram ipsis Regibus de legis tuæ observatione fidenter, quemadmodum Propheta, sermonem habebo. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* *Psal. 118.*

Apud Regem, Domine, omnium maximum verba facio; quis enim unquam verbi tui præco talem ac tantum principem auditorem habuit? est is non Regum

gum modò, quot quot sunt in orbe terrarum, longè maximus ; sed, quod illum mihi multò augustiorum reddit, Regum omnium religiosissimus. Est Ecclesiæ tuæ tutor ac patronus potentissimus in terris, incredibilique flagrans avitæ religionis studio. Est apertus impietatis hostis : nec patietur unquam effrenatam impiorum hominum licentiam in te aràsque tuas insurgere atque impunè grassari. Est veritatis amans, ut de ipso meritò dixerim quod de Theodosio olim Ambrosius, magis fuisse probatum illi, qui vitia emendaret arguendo, quàm qui foveret adulando. *Qui magis arguentem probat, quàm adulantem.* Quæ laus in excelsas tantùm mentes cadere potest, & easdem alijs secernere. Talis est princeps invictissimus, qui mihi dicenti aures præbet. Verumenimvero tametsi habenda oratio esset apud barbaros & divino tuo nomini infensissimos Reges, docerem nihilo secius non minore confidentiâ, quàm debiti regiæ majestati honoris significatione, quæ sint illis tradita à te vivendi præcepta. Docerem, tibi, ut par est DEO, cultum ab ipsis esse tribuendum ; supremo tuo Numini obedientes & subjectos eos esse oportere ; & quoniam peccatis, ut cæteri mortales, obnoxij sunt, pœniten-

tiæ

tiæ labores, ut & cæteris mortalibus, illis, ex officio, subeundos. *Loquebar de testimonijs tuis, &c.*

En quæ Joannes olim in Judæâ. Quibus autem? non imperitæ & simplici duntaxat plebeculæ, sed optimatibus, sed palatinis hominibus, qui ad ejus conciones audiendas & ipsi passim ventitabant; imò his potius quàm aliis, utpote qui pœnitentiâ magis indigerent. Ut ad Joannem confluebant illi suopte nutu, nihil necesse erat ad eos divinis præceptis imbuendos, ut relictâ eremo, in urbem concederet. Nunc quoniam Evangelici præcones coguntur, omissâ ad tempus solitudine, Regum adire palatia, ut Aulicos instituant ad pietatem, hæc ego, licet virtute valde inferior quàm Joannes Baptista, sed ejusdem Numinis impulsu, vobis annuntianda duxi? *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cælorum.* *Matth. 3.*

Est utique in propinquo, Auditores, cæleste illud Regnum; quoniam magnum illud Redemptionis mysterium attigimus; sed sensu diverso, propius abest fortasse quàm putatis. Fatalis ille vitæ terminus, hora illa ineluctabilis, judicium illud formidabile, quod cujúsque mortem excipit, sexcentis scripturæ locis, eâ Regni cælestis proximitate signi-

significatur ; & eo sensu quot inter auditores hos meos , quibus est proximum ? quot inter eos ipsos , qui se ab eo maximè remotos arbitrantur ? Si nunc mihi DEUS illos sigillatim designaret , singulósque ex hoc ipso compellans sugestu , dicerem , tu , qui aliud agis , tu , inquam , ipse , conscientiæ tuæ consulere debes , cras enim morieris , atque hæc est ultima summè patientis DEI admonitio. Si eos ita compellarem & haberent exploratum , hæc esse mihi cognita divinitus , nemo ex illis non resipisceret continuò ; nemo vincla non abrumperet , quibus constrictus tenetur ; nemo pœnas non subiret quantumvis graves , quæ illi pœnitentiæ nomine , injungi à me possent. Quid ita ? quoniam cùm exploratum esset illis , supremam appetere vitæ diem , reliquum tempus sibi perire nollent. Ah ! quidni facitis , Auditores , quod hi facturi essent ; & cur ipsi nunc non faciunt , quod tunc essent facturi ? habemúsne qui incertos vitæ casus , qui fatalem horam præstare valeat ? liquet ne nobis nec spatium , nec facultatem defuturam , ad id efficiendum , & ritè efficiendum , quod nunc possumus utiliter , & effectum nolumus ? an est qui vobis DEum , an est vel vos ipsos qui vobis præstet ? annon exempla eorum , quos mors oppressit inopina , exem-

pla

là præsenria, exempla domestica metum vobis incutiunt ? jamne illa animo excidére ? si uni cuipiam datum est, ut resipisceret in morte, qui quoad vixit, noluît ad id ipsum oblatâ uti opportunitate temporis ; nonne centenos reperias, quibus, istuc est negatum ? & è centenis quibus facultas ad pœnitentiam suppeditat, nonne verè à me dicatur, vix unum esse, qui eam rité peragat ? *pœnitentiam agite.* In eam igitur incumbamus, Auditores Christiani, & citò, & sine indulgentiâ ; ut illa nos reconciliet cum DEO ; restituat in gratiam ; cælóque tandem asserat, æterna, quam vobis adprecor, felicitate beandos, Amen.



IN NATALI CHRISTI DOMINI DIE CONCIO.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium DEUM, & dicentium, gloria, in Altissimis DEO & in terrâ pax hominibus *Luc. 2.*

REX CHRISTIANISSIME

DUOBUS his comprehenduntur verbis, gemini Nativitatis Christi fructus: *Gloria DEO, pax hominibus.* Gloria DEO, cui debetur ex justitiâ; pax hominibus, qui-

quibus à DEO datur ex gratia. Gloria DEO, qui ea fruitur, ut bono proprio ac suo. Pax hominibus, qui eam exoptant, ut rem votis suis longé dignissimam. Gloria DEO, qui eam solus meretur, quia solus est per sese magnus. Pax hominibus, qui eam ut impetrent, nihil non ei debent posthabere. Distributio illa, inquit Bernardus, rationi vel maximè consentanea est, hominibúsque ipsis utilissima. Videas tamen, addit idem Bernardus, quibus illa vix probetur. In jis sunt ambitiosus & superbus. Et verò quia superbiâ & ambitione laborant, quantumvis fructuosa sit & utilis illis distributio, minimè tamen sunt ea contenti. *Non placet ei Angelica distributio, dans gloriam DEO, & pacem hominibus.* Injusta videlicet supra cæteros mortales se attollendi cupiditate cæcatis, pax, non satis est, nisi & gloria circumfluant; ac quamvis DEUS in sacris litteris tam disertè significet, se gloriam suam non daturum alteri, *gloriam meam alteri non dabo*, eò temeritatis prorumpunt homines vesani, ut hæc tacitè secum agitent; ad eam ipsi per nos grassabimur, non expectabimus donec impertias; illam nobis ipsi vindicabimus; *& ego, inquit superbus, mihi illam, licet non dederis, usurpabo.*

Bernard.

Isai. 24.

Sit procul à nobis tam dira mens, Auditores; cùm melius cognitum ac perspectum habeamus, quod est magis è re nostrâ, stemus oblatâ in Evangelio partitione. Majores habet illa utilitates sibi adjunctas, quàm ut alia à nobis expetatur: usurpemus Davidicum illud. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Indebitam nobis, Domine, gloriam ne dederis; totam tibi illam reserva, quæ tota tibi debetur. Sed salutarem illam, quam Angeli tui sperare nos jubent, & tuus secum Filius affert in terras, pacem ne nega. Sic Christianum hominem loqui convenit. Augustissimum igitur mysterium, quod hodiernâ die celebramus, cùm sit nobis, ex æternis DEI consiliis, pacis mysterium, sub unâ illâ formâ & imagine spectare nos illud oportet; eò cogitationes nostras omnes dirigere; sanctissimisque præceptionibus, quas de pravissimo illo argumento DEI Hominis facti nativitas suppeditat, immorari. Sed prius Virginem omnium puriſſimam & castissimam salutemus. Virginem illam incomparabilem, quæ in audito hactenus prodigio, Virgo permanens, DEI sui mater est effecta. Insignem hunc ipsi Matris titulum cum Ecclesiâ gratulemur.

Psal. 113.

Ave Maria.

Par

PARS I.

PARVULUS *natus est nobis*, inquiebat Isaias, multò ante prænuntians, quod futurum erat, cùm *venisset plenitudo temporis*. *Et vocabitur* Parvulus ille, subjicit idem Propheta, *admirabilis*, *DEUS*, *fortis*, *Pater futuri seculi*, *Princeps pacis*. Hodie videmus, Christiani Auditores, re comprobatum oraculum. Hodie JEsus infans, in præsepi dum flet & vagit, vaticinationem illam, quæ de nullo alio intelligi potest, complet in sese & ab ipsis incunabulis, singulari quadam & præcipua ratione ac modo pacis se principem ostendit. *Princeps pacis.* Quoniam videlicet in hodierno mysterio, & sequestrum agere incipit, & arbitrum pacis. Quoniam eo consilio visus est in terris, vera ut pacis semina jaceret; quoniam Angelorum ministerio est usus, ad annuntiandum Electis suis pacis Evangelium. Pax enim, teste Apostolo, beatus Legationis ipsius terminus & præcipuus finis fuit. *Veniens Evangelizavit pacem.*

Isai. 9.
Galat. 4.
Isai. ibid.
Ephes. 2.

Quia nascebatur, ut pacis Regnum sanciret (notate Chrisostomi sententiam, quæ lucem est allatura superiori sententiæ) ad ejus executionem consilii, cuncta conspirare oportebat, ac re ipsa singulari DEI providentia, eam in rem nihil non conspiravit. Hinc nasci divinus infans voluit Augusti Cæsaris principatu, quo nul-

lus usquam pacatior fuit. Fruebatur universus orbis, hoc est Romanum Imperium, summa pace, ut vel eo comprobaretur, quod de Messia fuerat sacris literis consignatum, uberrimam ipso nascente, pacis copiam fore. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.* Psal. 71.

Verumenimvero pax illa exterior & temporaria, quæ regnabat in terris, erat tantùm velut via ac præparatio quædam ad aliam potiorem multò sanctioremque pacem, quam nobis unigenitus DEI filius afferebat é cœlo. Atque hoc loco ingredior ad aperiendum quod est in hodierno mysterio magis absconditum. Sequimini, quæso, præeuntem, Auditores. Planum facio quid velim. Pacem conciliare & coagmentare inter discrepantes moribus nationes, restincto, quo absumuntur, bellorum incendio, erat utique opus generalis illius, qua mundus administratur, providentiæ. Ad pacem conciliare DEUM inter & homines; docere quî secum homo, quî cùm proximo certam æternamque pacem habere ac retinere valeat, hoc utique fuit, & esse oportuit, singularis, admirandæque sapientiæ DEI hominis fructus.

Igitur sanctissimo suo ortu, & jis omnibus, quæ huic comitantur, facit, pacem ut habeamus cum DEO, nobiscum,

cum

cum fratribus. Pacem cum DEO, dum in Bethleemitico stabulo, jam, nostrâ causa, pœnitentiam agit; hoc primum. Pacem nobiscum dum ad animi nos demissionem hortatur; ac terrestrium bonorum contemptum olidum præsepe sibi in cunas eligendo hoc alterum. Pacem cum fratribus, mansuetudine, aut potius tenerrimâ charitate, cujus ipse in ortu suo vivum & maximè efficax documentum est, absolutissimúmque exemplar. Hæc totius erit concionis clausula. *Veniens evangelizavit pacem.* Sed quibuscum? iterum dico; cum DEO, dum se nobis victimam præbet, ad peccati labem omnem eluendam. Nobiscum, dum geminos cupiditatum omnium fontes, superbiam & cupiditatem extinguit. Cum fratribus, dum morum asperitatem ac duritiem, tam naturale hominibus, certè tam vulgare malum, mitigat, & benignitatem suo nobis persuadet exemplo. *Evangelizavit pacem.* Itaque vel in ipso ortu suo, tergeminæ hujus, tam optandæ, támque nobis necessàriæ pacis nuntius, præco fuit. Pacis cum DEO, dum, quo ille pacto sit à nobis placandus; pacis nobiscum, dum nos & humiles esse, & *pauperes spiritu*; pacis cum proximo, dum nos mites esse & humanos, docet. En argumentum & concionis hodiernæ partitio.

tio. Aures atque animos, quæso vos, advertite.

Est Christianæ fidei dogma, quod nemini fas est vocare in dubium, Adami
Ephes. 2. posteros, ut peccati reos, nasci *filios iræ*, eóque nomine, non DEI solùm inimicos, sed & tales, ut per se ipsi, non valeant redire cum DEO in gratiam. Igitur sequester illis opus erat, qui legitimâ authoritate munitus, & instructus, homines inter & DEUM, pacem illam tam necessariam constitueret. Sequester, qui salutis nostræ perinde ac divini honoris studiosus defensor, homines cum DEO, in suâ personâ, reconciliaret. Sequester, in quo DEUS debitæ sibi satisfactionis, homines veniæ ac misericordiæ, qua egebant, abundantiam & copiam reperirent. Sequester, qui duobus his inter se conjunctis. *Pacificaret sive quæ in terris, sive*
Coloss. 1. *quæ in cœlis sunt*, ut loquitur Paulus Apostolus, & pretiosi cruoris impensâ, citra ullum divini juris damnum, cum Deo nos restitueret in gratiam. Hoc ipsum autem est quod fides docet, Auditores, & in hodierno mysterio completur. Quid enim videmus in Bethleemitico specu? percipite quod sum dicturus, in eo quippe tanquam in cardine vertitur fides nostra. Videmus in infante DEO divinam misericordiam humanâ carne vestitam, simúlque,

quod

quod prodigium est stupendum vel maximè, divinam justitiam, ipsius offensis ritè expiatis, abundè cumulatéque expletam & satiatam. Misericordia ac justitia, geminæ DEI proprietates, quarum fœdus & concordia DEUM inter & homines pacem conciliare debuit, atque in verbi incarnati personâ tam intimo nexu jungi ac copulari tantùm poterant. Res patebit attendenti.

Dixi in infante DEO misericordiam humanâ carne circumdatam spectari: atque hoc ipsum se nobis statim ostendit in sanctissimo ipsius ortu, cujus mysterium omne, uno Paulus verbo complectitur, cùm ait, tunc primùm DEI Servatoris gratiam apparuisse, & ita apparuisse, ut quod nulla intelligentiâ, & ratione comprehendi poterat, palpari jam nobis & sentiri cœperit. *Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri.* Jam à multis sæculis DEUS, inquit Chrysostomus, dum hunc locum edisserit, quamvis offensus, longioris tamen belli pertæsus, de ineundo cum hominibus fœdere cogitabat; quam in rem omnes gratiæ, omnes misericordiæ suæ thesauros reservaverat. Jam à multis sæculis *dicebat, ego cogito cogitationes pacis.* Verùm cogitationes illæ pacificæ, addit Chrysostomus, inclusæ erant in DEI mente. Meræ cogitationes, mera Consilia,

quæ cùm foras non erumperent, effectu carebant suo. Iis fæta cogitationibus erat divina mens; sed nondum advenerat tempus, quo eas aperire constituerat atque proferre. Ut infinitè misericors, *cogitabat cogitationes pacis*; nihilominus tamen impressa passim ubique spectares rigidioris ipsius justitiæ vestigia. Hodie cogitationes illæ suspensæ tandiu, divino sinu tandiu inclusæ, jam se palam profundunt atque ejiciunt universæ. Quid ita? quoniam Christus Deus & homo, hoc est, ipsamet gratia, ipsamet misericordia, se videndam hominibus præbet. *Apparuit gratia DEI.* Non jam steriles divina mens pacis cogitationes volvit, sed consummatum pacis opus, sed miraculum, sed prodigium profert in lucem. Non jam dicit DEUS, mens mea concipit, ego meditor, ego cogito; sed datam hominibus fidem libero, promissa compleo. Sic nimirum intelligi voluit à nobis, cùm verbum suum, carne indutum, terris ostendit, Cùm mundo obtulit dedítque redemptorem.

Atenim cùm Redemptorem hunc dedit, num est oblitus sui? cùm viam illam iniit tam stupendam: qua cogitationes pacis expromeret, num pacem nobiscum minus commodam sibi, minúsque honorificam pepigit? en, Christiani Audi-

tores, en, quod satis admirari non valemus. Atque hoc loco, æquum est, ut fidei lumine colluſtrati, divini Numinis sapientiam veneremur. Cùm viam hanc & rationem iniit, sui non est oblitus DEUS, inquit Chrysostomus; cujus rei expedita est & aperta probatio. Dum enim in infante & recens nato DEO, divinam misericordiam intueor latentem fragili carne, divinam utiqne, in ejusdem personâ, justitiam aspicio, cui abundé est satisfactum. Dum in infante DEO gratiam contemplor, & peccati veniam oblatam homini, in ejusdem infantis personâ, propitiationis victimam, in delictis expiationem, DEO oblatam, video. Ut est peccatum unica fatalis belli & odii causa, quod DEUS adversus hominem gerit, Servatorem in præsepi jam mactatum intueor, ut viventem hostiam, in noxæ, quæ nos à DEO sejunxit, piaculum. Ut est pœnitentia, prima ac præcipua, pacis cum DEO faciendæ, conditio, cerno ibi Hominem DEUM jam loco nostro pœnitentiam agentem, & exemplo suo docentem, quo eam pacto agere nos oporteat.

Venerabile pacis mysterium, quod significare multò ante voluerat Psaltes regius his verbis; *misericordia & veritas*, hoc est misericordia & justitia, *obviave-*

runt

Psal. 14. *runt sibi.* Quo autem loco, quærit Bernandus? in stabulo, quod Christum nascentem excipit; imò potius in Christo ipso. Ad id usque tempus planè diversum iter tenuerant, nec erat quicquam à misericordia magis remotum & alienum, quàm justitia. Accedunt ad sese invicem hodiernâ die, & altera alteri obvium procedit. *Obviaverunt sibi.* Ad id usque tempus altera visa erat alteri contraria; justitiæ quippe erat, nocentes punire; misericordiæ, parcere. Hic venia & pœna in unum coeunt: cum pœna, qua innocens afficitur, hoc est, incommoda quibus Christus conflictatur in præsepi, veniam homini nocenti, mereatur veniáque, quam impetrat homo nocens, Christi crucitatibus ac pœnâ quam subit, & libenter subit innocens, ex æternis DEI decretis, nixa tantùm sit atque fundata. Ex quo consequitur id quod subjungit Propheta, orationem adhibens non minus insolentem; justitiam & pacem, sororum ritu, mutua veniisse ad oscula. *Justitia & pax osculatæ sunt.* Quæ verba idem Bernardus ad Christi accomodat natale. Et meritò; siquidem constat, pacis nostræ cum DEO initæ fundamentum esse, vindicem illam justitiam, quam DEUS, pro jure suo omni, unigenitum filium, nostrâ cau-

causâ, dum tradit; in peccatum exercet. Non jam autem vel ab hac ipsa die, tradere illum incipit? &, an potest apertius tradere, quàm cùm præsepe illi in cunas assignat? quam igitur hujus mysterii formam habere nos in animo oportet? accipite, Auditores, qualem habuit Apostolus; iisdem, quibus eam expressit verbis. *DEus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. Jacebat in præsepio Christus, & latebat in Christo sibi homines reconcilians, DEus. Sententia sublimis & Paulo prorsus digna! quæ rectè ut evoluatur, integram poscat concionem. Latebat in Christo DEus, sibi homines, séque ipsum vicissim hominibus reconcilians. Sensus est, erat in Christo DEus, oblatas sibi â Christo, *pro totius mundi peccatis*, 1. Joan. 2. satisfactiones accipiens, & earundem causâ, quæ à Christo proficiscebantur, obliterans, condonans, delens, funditúsque abolens cuncta mortalium omnium crimina. Excutiamus hæc Pauli verba. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. Jacebat Christus in præsepio, DEO, ut novæ, legis Sacerdos, Sacrosanctam *Humanitatem* suam immolans: *DEus erat in Christo*, Tit. 3. sacrificium illud accipiens in futuræ cujusvis impietatis, blasphemiæ, sacrilegii, & profanationis expiationem. *DEUS erat in Christo*, gloriæ suæ, aut jam

jam attentatæ à ſuperbis mortalibus, aut attentandæ poſtmodum, damna reſarciens; actiones omnes injuſtas, flagitia, maláque omnia, quæ partim effrenatam eorum ambitionem; partim inſanam vanitatem, partim malignam invidiam in orbem terrarum invehere neceſſe erat. *DEUS erat in Chriſto.* Jacebat Chriſtus in præſepio, immenſæ hujus obedientiæ, quæ ad *mortem uſque crucis* extendenda erat, primitias patri offerens. *DEUS erat in Chriſto*, hac ratione futurum legis ſuæ contempum ritè vindicans, & quidquid hominibus jugi impatiens licentia, quidquid impietatis inſolentia, quidquid ſolutioris vitæ amor, contra DEI mandata & debitam ei ſubmiſſionem, ſuaſurus tandem erat. *DEUS erat in Chriſto.* Jacebat Chriſtus in præſepio, virgineam carnem immolans, per ſummæ paupertatis, quas patiebatur, ærumnas. *DEUS erat in Chriſto* ſibi ipſe ſatisfaciens, eam ob corruptelam, quam fluxa ſenſuum titillatio, quam ſoluta animi mollities, quam luxurioſus corporis cultus, quam voluptatis amor, quam commodorum & deliciarum abuſus, in hominum mores illaturus erat; hoc eſt, ob tetras illas libidines, ob vitia illa abominanda, quæ vel nominari Paulus Apoſtolus vetat. Ob portentoſa illa flagitia, quæ

Philipp. 2.

quæ labem inurunt hominum generi, & ad belluarum deprimunt fœdam sortem ac conditionem. *DEUS erat in Christo.* Uno verbo, Christus in præsepio jacebat, loco nostro pœnitentiam agens, *erátque DEUS in Christo*, illam Pœnitentiæ asperitatem habens acceptam, unáque eandem nobis in specimen, & exemplum proponens; quasi dixisset omnibus: Inspicite atque istuc ipsum, quod oculis vestris subjicitur, æmulamini? *inspice & fac secundùm exemplar.* Hac, inquam, conditione *DEUS erat in Christo* nos reconcilians sibi, séque vicissim pro suâ summâ charitate nobis reconcilians. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians, sibi.* Tametsi enim peccatis nostris iratus, quî fieri possit, inquit Bernardus, ut non flectatur amantissimi filii pœnitentiâ? filii, inquam, de quo dicere vel tunc potuit, quod multis post annis. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Filii, qui, quamvis peccatoris, in ortu suo, præferat speciem, est non modò *Sanctus Sanctorum*, sed & sanctitas ipsa. Filii, qui, quamvis in cunis *exinanitus*, est illi potestate, & citra *rapinam* ullam, haud diversus ab ipso DEUS; quî, inquam pœnitentiam illam actam à DEO, acceptam, non habeat? qui despiciat nostram, DEO, per pœnitentiam, ipsi satisfaciente?

Exod. 36.

Math. 3.

Dan. 9.

Philipp. 2.

Is

Is est igitur, Auditores, pretiosus nativitatis Christi fructus, Pax cum DEO inita, pœnitentiæ adminiculo. Sed ut abducamur in errorem, atque ut istuc ipsum ad vivum resecemus, cùm dico pœnitentiæ adminiculo, pœnitentiam intelligo sinceram, solidam, efficacem: pœnitentiam intelligo fervidam, accuratam severam, hæc enim una reconcilare nos cum DEO, hæc una pacare vere conscientiam nostram valet; quia hæc una cum DEI hominis pœnitentiâ congruit. Imperfecta, tepida languida, remissa pœnitentia, in qua se ipsum audit peccator, sibi ipse parcit, sibi ipse indulget; pœnitentia commoda, quæ nullas respuit vitæ jucunditates; pœnitentia, quæ carnem non castigat, nec pravos animi motus comprimit, pœnitentia sterilis & bonorum operum egena est vacua, & inanis pœnitentia. Ejusmodi pœnitentia DEUM irritat & exacerbat, tantùm abest ipsum ut mitiget, Conscientiam stimulat ac pungit acerrimisque lacerandam tradit angoribus, tantùm abest ut ejus abigat anxietates. Pœnitentia nobis opus est, inquit Chrysostomus, quæ cum Christi pœnitentiâ jungi, & Christi pœnitentiæ, supplementum esse possit. Pœnitentia, quam peccator meritò credat ejus esse naturæ, ut, quem-

admodum loquitur Apostolus, *adimpleat ea quæ desunt passionum Christi.* Atque ut talis sit pœnitentia nostra, dotes illas omnes, quas dixi, sinceritatem videlicet, soliditatem, integritatem, severitatem habere eam oportet. Sic Christi pœnitentiæ, per omnia, similis illa erit. *Coloss. 1.*

Si pœnitentia vestra. Christiani Auditores, ejus generis fuit: si veræ hujus pœnitentiæ spiritu animati, accessistis ad sacrosancta mysteria, hoc utique maximi vobis solatij, mihi gratulationis non prætermittendæ argumentum haud leve esse debet. Habetis enim pacem cum DEO. *Invenistis gratiam in ejus conspectu.* Ratam ille in cælis habet latam in terris à Sacerdote absolutionis sententiam. Unicuique vestrum, ut paralytico illi, dictum est, *ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Ne re præterita sollicitum habeant. Remissa sunt omnia. Beata sors! sors fortunis omnibus anteferenda! pax est mihi cum DEO! mihi infensus erat DEUS, ego illi. DEO tandem sum reconciliatus, ac vicissim ille mihi. *Pax DEI*, quam scriptura comparat lautissimo convivio, adeò copiosâ & liquidâ animum perfundit voluptate. *Pax DEI*, peccatori summopere optanda; per eam siquidem in integrum restitutus, pristinæ innocentiæ, ac primigeniæ sanctitatis jura cuncta recuperat. *Gen. 32.* *Joan. 5.* *Philip. 4.*

Quod si pœnitentia vestra, Auditores Christiani, imperfecta fuit; si post peractam pœnitentiam, in peccatorum adhuc cœno miserè jacetis, audite quæ vobis annuntio, ac quantumvis calamitosus sit status ille vester, istuc humilem ac generosam fiduciam addere vobis debet. *Convertere ad Dominum DEUM tuum.* Redite in viam. Pœnitentiam agite; eandémque Christi infantis pœnitentiæ similem efficite. Pœnitentiam vestram conjungite cum infantis Christi pœnitentiâ. Intimo tacti peccatorum vestrorum dolore, quorum expiatio tanto ei stetit, eadem, ut ille, detestamini. Eadem ut ille deflete. Lacrimetis cum lacrimante; doleatis cum dolente, Deíque nomine, promptam vobis cum illo reconcilationem promitto ac spondeo. En Beneficium quod vobis hodiernâ die offertur. Quis tam cæcus, tam insanus, tam perditus, illud ut respuat? Verumtamen præter pacem, in quam restituimur cum DEO, docet etiam nascentis Christi mysterium, pacem, ut nobiscum retineamus.

Lament.

PARS II. JAM ab ipso mundi exordio tam deplorandum in statum homines devenerant, ut, absque ullâ spe pacis, per seipsos recuperandæ, assiduum quotidianúmque bellum secum gerere cogerentur; &, quod

quòd mirum videatur, sequestro non minus indigebant ad pacem secum, quàm cum DEO, constituendam. Hinc etiam colligo, Christum, eandem illam ob causam, principem adhuc, & pacis DEUM esse. *Princeps pacis*; in hoc siquidem nativitatis suæ mysterio, & exemplis docet nos, & documentis suis, qua pacem arte nobiscum servare ac retinere valeamus. Ars inæstimabilis, quam nosse, tantopere nostra interest, Deique nascentis tantùm erat enuntiare. Et verò divinam illam artem ad id usque tempus homines ignoraverant; fascinante enim & excœcante sæculi DEO, sibi in animum falsò induxerant, faciliorem & expeditiorem habendæ pacis viam esse nullam, quàm suis desiderijs indulgere, explere ambitionem, cupiditatem exsaturare, eam in rem coli, secerni populo, accumulare opes, in rerum omnium abundantiâ vivere, facere sibi aditum ad honores, evehere se altius, statum suum amplificare. In eâ fuerant & erant opinione plerique mortalium. Ex qua non in errorem solùm, teste scripturâ, sed & in summam calamitatem ac miseriam sunt prolapsi. *Contritio & infelicitas in vijs eorum.* Quid ita? quoniam ita sentientibus via pacis adipiscendæ ignota erat. *Et viam pacis non cognoverunt.* Pro eâ animi tranquil-

Isai. 9.

Rom. 18.

Psal. 13.

litate, quam ſibi fingebant in ſuâ illâ rerum omnium affluentiâ & honorum poſſeſſione, aſſidui illorum comites erant perturbatio, anxietas, ægritudo. *Contritio & infelicitas.* Ea tum erat mortalium ſors. Atque utinam, Auditores, non ſit hæc veſtra! quid egit Chriſtus? ut pacis adipiſcendæ viam ac rationem, à nobis fruſtra quæſitam, oſtenderet, humanam carnem aſſumpſit. Qui ſe ipſe in Evangelio viam

Joan. 14. dixit, *Ego ſum via*, comitis obit & ducis partes, ut ſemitam illam nobis oſtendat, qua ad Beatæ hujus pacis terminum certò perveniamus. Qui

Ibid. ſe veritatem dixit, & eſt reipſa, *ego ſum veritas*, eò carnem induit, ut errores, qui, circa pacem illam, mentes noſtras occupaverant, ipſe depelleret. Qui ſe vitam dixit, *ego ſum vita*, eò car-

Ibid. nem induit, ut id, per quod unum in pacis, illius poſſeſſionem venire poſſumus, guſtandum nobis daret. Qua autem ratione hæc omnia? hinc geminos in hoc myſterio pacis hujus verósque fontes dum nobis aperit, humilitatem videlicet ac paupertatem. Indè maximos tam optatæ, támque raræ pacis obices, hoc

Eph. 2. eſt, ſuperbiam & avaritiam, dum removet à nobis. *Veniens evangelizavit pacem.*

Sic

Sic est, Auditores, DEUS infans factus, & inter homines vagiens, exemplo nos docet suo, quod, ut Evangelicæ doctrinæ fundamentum, ponere postmodum debuit. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Quo ex oraculo, inquit Augustinus, non sanctitatem solùm nostram, sed & felicitatem ipsam temporalem, pendere necesse erat. Liquet enim pretiosam illam animæ requiem, & sine qua bona alia quævis supervacanea sint, haud aliâ re magis impediri quàm adversante ac repugnante, cum Christianâ demissione, hominum naturâ. Istuc utique malum DEO nos confiteri par est, & privatim deplorare. Quòd pax corde nostro tam sæpe excutitur, quòd retinere ipsam non valemus ad breve tempus, in causâ est innata illa superbia. quæ animos nostros inflat; superbia, qua tam crebrò nobis persuademus, nostræ dignitati meritisque nostris non sat ab alijs tribui. Hinc ægritudo, anxietas, desperatio, simultas, iracundia, quæ dies noctêsque mentem occupant & torquent. Ægritudo, cùm malè nos haberi, desperatio, cùm contemni, iracundia, cùm insultari & aperté illudi nobis videmur, gaudente DEO, inquit Chrysostomus, superbiam nostram nostrâ eâdem superbiâ mulctare, & vitiosum no-

Matth. 11.

stri ipsorum amorem, ad nos ipsos exercendos, adhibente, cum præ nimiâ animi molitie & impatientiâ, cujus superbia fons est, asperum naturæ ac molestum quidquid occurit, recusamus. *Humiles* efficiamur, *& humiles corde*, aberúntque continuò à nobis cunctæ illæ ægritudines. Faciet nos humilitas Christiana inter adversa tranquillos. Quæ nobis cunque injuria possit inferri, & inferatur reipsa, malis nostris medicinam afferet humilitas Christiana, confirmabit humilitas Christiana, procellas illas avertet humilitas Christiana, turbidos illos motus, qui mentem susdéque vertunt & concitant tam vehementer, humilitas Christiana componet. Gravissimum hoc caput, Auditores Christiani, diu multúmque cum animis vestris considerate. Excutiat se quisque vestrum & interroget, quid sit causæ, cur tam facilè perturbetur; cur ex perlevi contemptûs, sæpe imaginarij, suspicione, tam graviter offendatur? cur ad verbum jactatum in se imprudenter ac temerè, dolore, odio, iracundia efferatur. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.* His se verbis interrogabat Propheta, quæ & superbus quivis in horas singulas usurpet jure multo potiore. *Quare tristis es anima mea?* haud aliam perturbationis causam reperiemus, quàm innatam

Psal. 41.

natam illam penitúsque insitam superbiam, cui alimenta submini stramus, tantum abest eam ut extirpemus. En, profani mundi cultores, quod facit, ut pacis illius, quæ tamen, vestra confessione, secundùm æternam felicitatem, summum hominis bonum est, expertes vivatis. Hanc cæteris omnibus præoptatis, cætera quando eum tantùm in finem desideratis. Quam si nunquam assequimini, debetis istuc vobis imputare, & huic ambitioni, cui vos totos dedistis, totos mancipastis; ambitioni, quæ vos non sinit, tametsi bonis cumulatos à DEO, vestrâ vivere sortè contentos, alienæ semper invidere jubet. Ambitioni, quæ facit, ut collata à DEO beneficia nihili ducatis, in ejus providentiam summè ingrati: ad ea quæ absunt semper aspiretis, vosmetipsos eam in rem dies & noctes torqueatis; ambitioni; quæ in animo vestro tot fœdi & abjecti livoris motus excitat; quæ ex aliorum prosperitatibus rebúsque secundis, tam amaram dolori vestro materiam trahit; quæ vos ficubi consilijs susceptísque vestris obsistitur, nunc tam cæco furore, nunc tam atroci odio pectus vestrum inflammat. Iterum dico, quod satis inculcari nequit, & in quo resideat, & unde manat exitiale malum.

Cùm semel cupiditatem hanc dominam habebitis; cùm vos intra eos fines, quos

quos DEUS fortunæ vestræ circumdedit, ut Christianos & sapientes viros decet, continebitis; cùm agnoscetis, quod nunquam hactenus, ut æquum erat, agnovistis, DEUM in vos largum nimis ac munificum extitisse; tunc nimirum, tunc incipietis, pacem, pretiosum illum thesaurum, frustra tandiu quæsitum, quia quæsivistis ubi non erat, habere penes vos. Tunc forte vestrâ contenti, alienæ non invidi, justissimas DEO grates persolvetis. Tunc divinæ voluntati planè subjecti, id unum studebitis, ut salutem vestram, pro suâ quisque vitæ conditione, ponatis in tuto, haud amplius intenti, captando fugaci simulachro, in quo summum vobis bonum fingitis, sed cujus spes evanida, nihil nisi molestiam & ægritudinem creare solet. Tunc fortunâ vestrâ contenti, placidè illam, nec sine gratiarum actione, qualiscumque illa tandem fuerit, feretis; unum hoc curabitis, ut illâ bene utamini, nihil magis metuentes quàm ne acceptis facultatibus malè vos uti contingat. Tunc liberis aucti, eos ut locetis in matrimonium, adhibitâ ad id, quæ Christianum decet, diligentiâ, fiduciam vestram in suavissimâ Numinis providentiâ defigetis, cujus in sinum *sollicitudinem nostram omnem*; ex Apostoli Petri præscripto, *projicere*

jicere nos oportet; ac pro certo habebitis, si ei non defuerimus, nobis vicissim illam non defore. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum.* Tunc ruptâ mundanæ servitutis compede, nihil non à DEO expectabitis. Fiduciam vestram omnem collocabitis in eo: asseretis vos in sanctam ac beatam *libertatem filiorum DEI*: evanescent continuò nebulæ tristes; procellis ac tempestatibus malacia tranquillitásque succedet, & arcanæ pacis illius, quam superbia vestra toties turbavit, ustura brevis, falsa ea commoda, quò spectabat, & inanes spes vestras, quæ tot molestias ac labores adjunctos habebant, abundè pensabit. Eam ob causam ita vos hodie Christus servator compellat. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

1. Pet. 5.

Rom. 8.

Math. 11.

Neque verò Christianam hanc demissionem existimemus abjecti animi vitium esse. Fuit illa DEI propria virtus; fuit magnanimorum; fuit sapientium; fuit cordatorum hominum, &, super omnia, DEI electorum virtus. Discite ergo illam à me (audite adhuc cælestis Magistri vocem) à me, inquam, cujus unius est doctrinam tradere, quam & profana ignoravit Philosophia. Discite illam à me, qui eò tantum descendi in terras, eam ut vos edocerem & me ad infima quæque, volens

lens ac libens, demisi & abjeci, quò doctrina hæc mea in animos vestros, exemplo meo, facilius influeret. Quasi dicat, discite à me, pacem & superbiam consistere unà non posse; pectus vestrum, quidquid tandem aut colligatis ipsi, aut conferat mundus, quandiu vanitas, quandiu ambitio, quandiu fluxæ fragilisque gloriæ amor in eo regnabit, nunquam esse satiandum; atque adeò ut ad humanæ felicitatis centrum perveniatis; ut illam animæ pacem, quæ per excellentiam, DEI donum dicitur, habeatis, sincerè & verè humiles vos esse oportere. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Hoc ipsum enim est, inquit Bernardus, quod DEI incarnati sapientia in augustissimo hoc mysterio declaratum voluit. Quoniam sumus demersi carne, atque adeò non nisi concretis & terrestribus percipiendis assueti, carnem assumpsit æternum DEI Verbum, nos ut viâ & ratione quadam apertâ, atque ut loquitur idem Bernardus, *in carne doceret*, Christianam demissionem, viam unicam esse ad salutarem illam cordis tranquillitatem, imò ad salutem ipsam adipiscendam, adeò necessariam. Igitur, vel nostrâ ipsorum causâ, concludit Bernardus, sitientes ho-

hodiernâ die Servatoris præceptis ac monitis aures admoveamus, & saltem carne induto DEI verbo, dum nos erudit, auscultemus. *Quia nihil præter carnem audire poteras, ecce verbum caro factum est; audias illud vel in carne.* Neque hoc satis est. Dat nobis, Auditores, & aliud, haud levioris momenti, præceptum. Unde enim pugnæ illæ interiores, unde intestina illa bella, quæ nos tam crudeliter dilacerant, nisi ex cupiditate, ex ardore habendi, ex sacro & execrabili terrestrium bonorum studio? in ijs ponitis vitæ jucunditatem; & inextinctæ cupiditatis sitis, quæ vos urit, eadem vertit in supplicium. Et verò quàm acres in parandis opibus curæ! qui labores in tuendis ac tenendis! qui metus ne amittantur! quæ augendi in expleta libido! qui dolor, si non supperant aut non necessarijs, aut superfluis sumptibus! qui mœror, qui gemitus, quæ consternatio, cùm invito elabuntur è manibus, & infortunio aliquo, aut inopino casu eripiuntur! qui pudor, cùm vivendum in egestate ac probro! quæ mœstitia ex præteritis! quæ anxietas ex præsentibus! quæ sollicitudo ex futuris; inter tot turbines procellásque passim obvias, inter tot rerum vicissitudines adversósque casus, qui in oculos incur- *Bernard.*

incurrunt, aut quibus vita solet in singulos dies esse proposita!

Tot malis est medicina præsens, paupertas Evangelica. Da hominem *pauperem*
Matth. 5. *spiritu.* Nulla illum res conturbaverit. Da hominem minimè cupidum, cui terrena cuncta sordeant, quocunque DEUS calamitatis genere constantiam ipsius periclitari volet, in adversâ perinde ac prosperâ fortunâ, in egestate rerúmque omnium abundantia, placidissima semper
1. Cor. 7. in ejus animo pax regnabit. Bonis *utens* adeptis, *tanquam non utens*, eáque, authore Paulo, possidens, *tanquam non possidens*, ad omnem ijs erit paratus eventum. Pacato, ceu Jobus alter, & impavido stabit pectore, inter sævientes mundi procellas, hac eadem se sustentans cogitatione, qua viri longè sanctis-
Job. 2. simi mens erat in tranquillo. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* in adversis casibus & bonorum jacturâ paratus omnia perpeti, in illa cum ipso verba, semper æquabilis, prorumpet. *Dominus dedit, Dominus*
Job. 1. *abstulit.* Largitus erat has fortunas rerum autor & procreator omnium DEUS; idem qui dederat abstulit; nihil præter ejusdem optatum contigit. *Sit nomen Domi-*
Ibid. *ni benedictum.* Beata sors! solidum ac firmum

firmum præsidium! apertus semper portus, tutúmpue turbidis rebus perfugium!

Hoc nimirum hodiernâ die docet Christus, & exemplo docet, ad animos vestros permovendos, planéque convincendos, magis accommodato, quàm sit Jobi exemplum. *Hoc nobis prædicat stabulum, inquit Bernardus, hoc clamat præsepe, hoc panni evangelizant.* Docet ille beatos esse *pauperes spiritu*, imò solos hac in vitâ, beatos eos esse reipsa, & esse posse. *Beati pauperes spiritu*; atque adeò felicitatis nostræ, in hac vitâ, partem, & partem maximè necessariam esse, animo vivere expedito, libero, ac soluto cunctis fortunæ donis; nec doctrinam illam tradere tantùm incipit, sed & hominibus persuadere. Et verò vix ille prodijt publicam in lucem pannis obsitus, cæterísque paupertatis insignibus spectandus, cùm ad ejus cunas pauperes astare video, Pastores videlicet, qui non divinæ tantùm acquiescant voluntati, sed DEO etiam, unâ voce, in suâ illâ egestate gratulentur. Pauperes, qui Bethlemitico spectaculo commoti, rusticas casas & mapalia repetunt, rusticas casas & mapalia repetunt, lætitijs omnibus, quamquam pauperes, læti. Pauperes suâ sorte contentos, quícque eximiam suæ sortis felicitatem quoniam agnoscunt in divino infante, suas Jerosolymi- *Matth. 5.*

lymitanis civibus gazas non valde jam invideant. *Reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes DEUM.* Vix in ſtabulo ſeſe oſtendit, cùm divites conſpicio, qui, ad ejus pedes, opes abjiciunt ſuas, tantùm abeſt ut ijs ſint addicti; qui honori ducunt, eas in ejus oculis exuere, abdicare, calcare. Felices hi & illi, quòd pauperi DEO facti ſimiles, optatum pacis iter tandem ingrediuntur. Sacrum Servatoris præſepe, tu facis, ut Evangelicam illam paupertatem, quam ſum jam olim amplexus, etiam hodie guſtem. Tu mihi abditas illius opes reſeras: tu pretioſam illam mihi reddis & maximè venerandam. Tu facis, ut divitias illi, fortunásque omnes libens poſtponam. Nihil eſt, Domine DEUS, nihil eſt quod deprecer ac recuſem, ſi ſenſus hi nobiles, ſoli te digni, ſoli ſtatu meo digni, ad vitam demum tranquillè degendam, tam neceſſarij ſenſus, animo unquam & pectore labantur. Hos mihi tu ſenſus injeciſti, foviſti, ſervaſti; augebis, uti confido, fovebis, & ſervabis ad finem. Attamen pax illa quam habemus nobiſcum, quamquam valde utilis & opportuna ſit, non ſufficit ſola, ni pax accedat conſtituta cum proximo, quod tertium eſt, á Chriſto naſcente datum hominibus, documentum.

Luc. 2.

Pax,

PAx, quæ habetur cum proximo, est fructus charitatis; charitas verò, ex Apostoli doctrinâ, summa legis Christianæ. Mirum igitur videri non debet, pacis cum omnibus colendæ studium, ut præcipuam Christianorum notam, ac veluti characterem, ab eodem Paulo proferri; omnes siquidem, proximi nomine, significari liquet. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* *Si fieri potest*, inquiebat is, in Epist. ad Romanos, quos fide Christianâ informabat, si fieri potest, & quantum est in vobis, cum omnibus pacem & concordiam retinete. En Christianæ Religionis insigne & peculiaris nota, qua dignoscantur discipuli illius, qui, ab ipsis incunabulis, & Princeps, & DEUS pacis videri voluit. Pauli sententiam, haud cassam sensu, diligenter expendamus. *Si fieri potest.* Sola rei impossibilitas, inquit Chrysostomus, excusare nos potest apud DEUM, si cum fratribus non vivamus concorditer. Alia quævis excusatio, vanum nomen erit, quo culpam prætexemus, & pudorem incutiet nobis apud supremum judicem. *Quod ex vobis est.* Quantum est in vobis; adeò ut sincerè possimus, atque ex animo, DEUM & conscientiam contestari, nunquam fuisse in nobis situm, nunquam per nos stetisse, quin solidam illam,

PARS III.

Cap. 12.

illam, quæ charitatis fructus est, pacem cum fratribus haberemus; cùm semper à nobis ardenter concupita, semper quæsita haud segniter fuerit: atque ita fuerimus semper comparati, nullam ut illius adipiscendæ rationem prætermitteremus. *Cum omnibus.* Pax cum omnibus nullo excepto. Unius exceptio, satis est ad culpam. Satis est ad pœnas paratas ijs, qui pacem aut perturbant, aut abrumpunt, accersendas. Pacem cum uno aliquo non retinere, tam capitale est, judice DEO, quàm mandatum unum aliquod violare. Igitur pacem cum omnibus habere uno excepto, inutile fit ad salutem bonum. Atque ille unus exceptus à nobis, surget in supremo die, & vindicem Numinis iram in nos excitabit. *Cum omnibus hominibus.* Pax cum omnibus, etiam cum ijs qui sunt ab ea magis alieni; adeò ut cogamus illos, exemplo nostro, illam ambire, & Davidicæ mansuetudinis æmuli, cum pacis osoribus pacem retineamus. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Nam, ut addit Chrysostomus, cum pacificis, moderatis, & societatis amantibus ingenijs pacificè vivere, vix Philosopho sit & pagano digna virtus, ne dum Christiana ac divina. In eo excellentia charitatis, imò munus positum est, ut pax & concordia vel inter morosos, difficiles, & iracundos

Psal. 119.

dos homines servetur. Quid ita? quoniam fieri potest, & fit quotidie; ut cum iis ipsis, qui magis iracundi, magis morosi, magis difficiles ac tetrici sunt, à quibus, ob arctiora conjunctionis vincula, minus secedere licet, majorem vitæ societatem habere cogámur. Necesse est igitur, inquit idem Chrysostomus, ut talium etiam hominum causâ, principium nobis suppetat, in quo mutui usûs, & societatis tranquillitas, quam fovere Christianæ charitatis est, niti firmiter ac fundari queat. Quodnam autem illud est? perfecta cum Christo nascente similitudo. Subeamus itaque sanctissimum ipsius pectus; hauriamus ab ipso sensus ejus omnes; assumamus affectus eosdem; stabulum contemplemur; accedamus propius ad præsepe. Cœlestem illam lucem, qua mortalium mentes perfundit, toto pectore admittamus & hæc duo potissimum percepta & comprehensa teneamus, infantem illum, DEum esse, qui ut suam in homines charitatem ostendat, *debitum illis omne* nascendo *dimittit.* DEum illum, ut amorem nostrum sibi conciliet, *prævenire nos*, ut Propheta loquitur, *in benedictionibus dulcedinis suæ.* Eò usque suo in nos àmori indulgere, ut, quantus est, humanitatem nostram induat; imò (atque id ad propositum nostrum magis facit) ut no-

Matth. 1.

Psal. 20.

nostrâ causâ, benignitas & humanitas ipsa, quemadmodum Paulus Apostolus
Tit. 3. loquitur, fiat. *Apparuit benignitas & humanitas.* Quæ duo fraternæ charitatis perpetua nobis præsidia â Christo proponuntur, mansuetudo videlicet & propriæ utilitatis contempus. Omittamus fratrum causâ certas quasdam utilitates, quibus inseruimus plus æquo; simus in eos mites & humani; nulla tunc inimicitiæ, nullæ simultates existent. Pax florebit, & vigebit æterna. Quanta mihi ponendum esset in felicitatis parte, Auditores; quot vobis commoditates impertiret, si hæc duo Christianæ Religioni antiquissima, & in omni vitæ conditione perneccessaria officia, vobis persuadere possem! novam res hæc animadversionem & attentionem postulat. DEUS, inquam, nostrâ causâ, & pro immensâ suâ in homines charitate, jus omne suum illis remittit; qui, cùm sit omnium Dominus, fit obediens, parvus è magno, è divite e-
2. Cor. 8. genus. *Quoniam propter vos egenus factus est cùm esset dives.* Hunc autem propriæ utilitatis neglectum, contendo faciillimum, certissimùmque fraternæ concordiæ, solidæque pacis vinculum esse. Nam, ut Bernardus disserit, velle concordem cum fratribus vitam agere, nihil illis concedendo, nunquam decedendo

de

de suo jure; nihil eorum gratiâ perpetiendo; nihil illis de voluntate remittendo; tacitè sibi gratulari Christianam illam charitatem, quæ pacis vinculum est, & ostendere se nihilominus tam acrem juris, honorisque defensorem, nihil de eo prorsus cedere obstinatum, sibi suisque commodis æque indulgentem, error est, Auditores; non istuc docuit ille pacis autor DEUS. Ad hoc utique nihil necesse erat ut nasceretur & se nobis proponeret ad immitandum. Charitatis hujusce, suis commodis & utilitatibus servientis, non deerant exempla. Nihil necesse erat ut homo ille idem & DEUS, novum mandatum nobis imponeret. Ab ipsis mundi incunabulis, eo se invicem amore prosequuti homines erant; istaque, si superis placet, charitatis, huic rerum est universitati coæva. Sed etsim homines cum charitate illâ nec fuerant pacati unquam, nec esse poterant. Humani generis conjunctionem, propriæ dirimit utilitatis studium. *Cesset voluntas propria, ajebat olim Bernardus, & infernus non erit.* Cesset propria utilitas, inquio ego, aut potius, propriæ utilitatis acrius studium, & nulla jam erunt inter homines dissidia, rixæ nullæ, nullæ lites, nullæ, privatis in domibus, discordiæ, turbæ in utriúsque

sextûs cœtibus nullæ, nullæ inter populos factiones existent. Pax unà cum charitate regnabit ubique terrarum. Regnabit inter te & affinem illum; inter te, & fratrem, & sororem illam; inter te & amicum, vicinum, & rivalem illum. Ubi primùm tibi in animum induxeris, omittere illius causâ, hanc & illam utilitatem, quæ illum malè habet, pax erit inter vos. Quin & sæpe pax illa, si humano judicio pensetur, longè potior erit, quàm utilitatis illius fructus, de quo lis movebatur, & quem omittis. Nulla nos ducat utilitas, nullus rixæ, nullus iræ, nullus simultati locus relinquetur. Suaviſſimos humanæ societatis fructus decerpemus; puræ ac sinceræ charitatis, percipiemus commoditates, sanctiſſimisque illis nascentis Ecclesiæ fidelibus haud absimiles, concordi in pace & firmâ voluntatum ac studiorum consensione, anticipatâ fruemur Beatitate, ac veluti præcepto sempiternæ felicitatis gustu.

Possumus autem in Christi conspectu de his aliter sentire? si verè Christiani sumus, an alius judex, quàm ille hominum Servator, an tribunal aliud, quàm præsepe, in quo natus est, nobis adeundum, ad controversias & lites nostras om-

omnes finiendas? eritne, qui tam suave mysterium secum attentè meditatus, judicem alium appellet? eritne, qui suas utilitates omnes animo libenti ac prolixo non permittat DEO, ut pacem nobis afferat, carnem assumenti, hoc ipsum est Christiane Auditor, quod à te, ipsius nomine, peto quæsóque. Si quod Fratri daturus es, & est sæpe momenti res perlevis, non est meritus frater, at est meritus Christus. Si iniquia postulat frater, nec est æquum ut ei cædas, at æquum certè ut cedas Christo. Quod alteri negas, alteri concede. Quod fratri tribuere recusas, hoc charitati, hoc JESU Christo largire. Hoc pretio & quidem levi, pacem mercabere, ac mercatam servabis.

Sed fortasse alia res agitur te inter & proximum fortasse, utilitate omni semotâ, illum abs te ferocitas tua abalienavit, iritavit iracundia, verbum asperius pupugit, dura offendit, & fastosa agendi ratio. Quod si ita est, fac, ut te facili, & mansueto utatur; fac, alicujus videatur apud te pretii; fac, à te illi non desint certa quædam officia; cessantem beneficiis ultro provoca, & illum tibi placatum, tibi in omne tempus addictum habebis atque devinctum. At nequeo, inquies, inexpugnabili naturâ reluctante, nunquam id à me impe-

trabo. Rursum subeas Christiane Auditor, rursum subeas Bethleemiticum stabulum. Ibi conspicies autorem pacis DEUM, humanâ carne vestitum, mansuefactum, aut potius, benignitatem ipsam circumdatam corpore, ipsam DEI, mansuetam factam, Majestatem. Iterum dico, ibi DEUM conspicies, qui ut te pelliceret ad sese, prior ad te accedere non est dedignatus; qui divinâ quadam amoris inclinatione ac bonitate, honori veluti duxit, officio prævertere restitantem. Sic exspectasset donec tu peccator, tu ipsius hostis, & hostis apertus, prior ad se accederes, quo res tuæ loco futuræ fuissent? quod salutis perfugium restaret atque præsidium? habes tamen dedecori, contra Christi exemplum, officiis fratrem prævertere, ut illum tecum in gratiam reducas. Conrra charitatis legem, in ipsum, quamvis à te lacessitum odium exerces publicum & immortale. Nonne, hac agendi ratione, cuncta evertis Christianæ fidei principia, & formidolosa divini Numinis anathemata in caput tuum accersis? DEUM ibi conspicies qui, ut te lucrifaciat, cumulat te dulcedinis suæ bonis; qui ut amabiliot fiat, omnem exuit Majestatis splendorum, & eò usque se demittit, ut non solùm videatur,

deatur - sed & fiat nobis persimilis homo ; DEUM , qui infantili specie , vestræ , non suæ , indolet calamitati , vestras luget miserias , non suas. *Sic enim nasci voluit* , ut ait Chrysologus , *qui voluit amari.* Potuisset nasci , & per eum utique tantùm sterit quominus in pompâ nascereturr , regali luxu & splendore spectandus ; verumenimvero tali in ortu ipsum homines coluissent, reveriti essent , metuissent, *& voluit amari.* Ut autem amaretur , necesse erat ut sese ad nos demitteret ; ut nobis esset similis ; ut , quemadmodum & nos , ita is pati posset. Inde est , quòd cùm fragili & abjecto corpore , quale nobis hoc mysterium exhibet , nasci voluit- *Sic nasci voluit , qui voluit amari.* I nunc , & in alios fastidiosus & arrogans videri ama. Habe ipsos mancipiorum loco ; imperiosè ac duriter , non ut fratres ; hoc est, amicè & benignè , tracta. Eorum precibus & quærelis aures occlude. Quid est Christianam Religionem abnegare , humanitatis jura violare si hoc non est ? sed hæc hactenus ; infinitus enim sim , si , quæ in eam sententiam dici possunt , persequi velim hoc loco.

Utut est Auditores Christiani , hæc illa pax est , sancta planè ac divina , quam

ante omnia exoptare nos oportet, & minore semper stabit pretio, quo quo illa tandem fuerit à vobis coëmpta. Pax cum fratribus, & citra ullam exceptionem, cum omnibus omnino hominibus. *Cum omnibus hominibus pacem habentes.* Sed, quæ cæcitas nostra est; & ampla valde pudoris seges dum nos immissis bellis, castigat DEUS, pacem ab eò poscimus, de longè gravissimâ pace paranda atque constituenda, parum soliciti. Nimirum pacem à DEO petimus, quæ non est in potestate nostrâ; quæ juris non est nostri; ad quam componendam nihil possumus: de eâ conciliandâ, quæ est in manibus nostris, cujus arbitri & & sequestri sumus, quam procurare nos & præstare DEUS jubet, minimè cogitamus. Superos omnes votis fatigamus, ut redeant in concordiam Principes Christiani; ut à DEO pacem impetremus, quæ propter innumeras ac penè insuperabiles difficultates, videtur fieri nunquam posse; nolumus leves finire controversias, quæ sunt arbitrii nostri, quæ facilem exitum invenire possunt, quas sola fovet inflexibilis animi nostri obstinatio; ac sæpe inter Principes illos, tam implacabiles, facilius convenit, quàm iræ & discordiæ nostræ inter nos placantur. Pax illa facilius multò conficitur inter-

Rom. 12.

flagran-

flagrantes bello populos, quàm, quæ certam familiæ perniciem importat, lis componatur. *Fidelis* ah! Domine, non sim verbi tui Præco si die Christianis omnibus adeò solemni, quàque Angeli tui pacem nobis & annuntiant & spondent, eorum omnium, qui hîc adsunt, nomine, pacem illam tam optatam, quæ orbi Christiano tranquillitatem est allatura, non postulem; pacem, inquam, illam, è qua tot gentium felicitas pendet. Pacem quam meritò reducem optat Ecclesia tua: pacem, quæ tuæ deinceps singularis providentiæ munus, quæ supremæ tuæ tantùm fuerit potestatis opus. Eo zelo non sim instructus, quem inesse oportet Evangelico præconi, si Prophetarum exemplo non dicam hodiernâ die, da pacem, *Domine; sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Populo tuo pacem impertias, ne ad placandam iram tuam videatur à nobis frustra impulsus. pacem illi impertias; inter humanas si quidem prosperitates, quas ei sperare licet, pacem primum à te scimus, ac potissimum proficisci, & ad gloriam tuam amplificandam posse magis conferre. Sed enim Evangelico, quo fungor, ministerio longè sim indignior, si præ illa pace, tametsi perneceſſariâ mihi, iisque omnibus quos hîc intueor, à te pacem illam

Coloss. 1.

Eccles. 36.

illam non precer, quæ nos tibi, quæ nos nobis, quæ nos fratribus noſtris reconciliare debeat. Pacem, qua tibi ſumus reconciliandi, generoſæ, ſanctæque pœnitentiæ beneficio. Pacem, qua nos, vero terreſtrium bonorum contemptu & ſincerâ animi demiſſione, ſumus nobis ipſis reconciliandi. Pacem, qua ſumus fratribus noſtris reconciliandi, tenerâ miniméque fucatâ charitate. Colligamus uno verbo, quæ ad hoc myſterium attinent, & peroremus. Eo conſilio naſcitur *Dominus exercituum*, homo factus, ut pacem hominibus impertiat, Regisque pacifici nomine celebretur ubique terrarum. *Magnificatus eſt Rex pacificus ſuper faciem univerſæ terræ.*

Jerem. 23.

Offic. Eccleſiæ.

En, Rex Chriſtianiſſime, quod hodiernâ die ſacris ſuis cantibus miſcet Eccleſia. En quod celebrat. Mirabile prorſus exemplar, dignum Majeſtatis tuæ oculis, eóque fidentius à me propoſitum ipſi ad imitandum, quò Majeſtatem tuam ſponte jam ſuâ non dubitem, mores ad illud ſuos, vitámque omnem dirigere. Etenim haud oblitus ſacri mei muneris, neque veritus, ne Majeſtatis tuæ auribus ſervire videar, DEO, ut Evangelicum oratorem decet, gratulari debeo, cùm te Regem invictum coram intueor, imò Regum invictiſſimum, qui in ſuâ ponit maximâ

ximâ laude, Regem pacificum haberi se ab omnibus, atque hoc titulo cæteris Regibus secerni amat ac distingui. Solennes in tam nobili Christianorum conventu, DEO grates agere me oportet, cùm & victorem aspicio, & invictum Regem, cujus studium, cura & ambitio omnis, eò tantùm spectat, Europam pacatam ut reddat atque ttanquillam. Quique, vel eo nomine, illius est imago aspectabilis in terris, cujus hoc est peculiare ac proprium, ut *exercituum* juxta *& pacis DEUS* habeatur. Pax illa, cœleste donum est, multòque nunc magis agnoscimus, profani mundi hujus, eam ut det, opis non esse. Verùm magnopere confidimus, Rex Christianissime, mundo etiam invito, Majestatis tuæ sapientiâ, intelligentiâ, sinceritate, excelsitate animi, propriæ utilitatis contemptu, DEum usurum esse, ad pacem illam Europæ redonandam. Hac nos cogitatione consolamur, quòd Majestas tua, ex Christianæ fidei legibus, bellum tantummodò gerit, ut commodiorem suis, utiliorémque pacem constituat. Hoc nos sustentat ac reficit, quòd eò bellica ipsius consilia, eò felices pugnarum exitus, eò urbium arces, quas molitur, eò victoriarum omnium cursus, eò triumphi ejus omnes spectent, ut tutiore, ad eam pacem,

Jerem. 25.

1. Thess. 5.

cem, promptioréque viâ, perveniat. Hoc ſpes noſtras alit, ſimúlque noſtram in Majeſtatem tuam reverentiam auget ac ſtudium, quòd non dubitemus, quin ſummæ in Gallos ſuos charitatis rationem ſemper habeat potiorem, quàm commodi & utilitatis privatæ, atque adeò nihil ſit, quod huic paci non libenter poſtponat. Ita, Rex Chriſtianiſſime, verus DEI exercituum ac pacis æmulator, & hoc addes titulis ingentibus, ut orbis Chriſtiani cum jam Heros agnoſcaris, ejuſdem adhuc pacificator habeare. Nimirum opere illo tuo, maximus ad heroicos tuos labores cumulus accedet. Nobilitabitur imperium, glorioſiſſimæ forti tuæ velut faſtigium imponetur. Annue votis noſtris, DEUS optime, maxime, aut potius, tam conſentanea tuis, pacifici hujus ac victoris Regis, conſilia, felicem ad exitum promove. Paçem, quam hodie per Angelos tuos promittis, fac per illum habeamus; ac ſi nobis es adhuc iratus, ſi peccata noſtra cœleſtibus flagellis ſunt rurſum caſtiganda, fas mihi ſit idem orare quod Propheta olim, eodémque Spiritu animato dicere; *diſſipa gentes quæ bella volunt.* Pervicaces illos & pacis oſores populos diſperde; disjice conſilia illorum omnia; fœdera abrumpe; infringe conatus; conſilia miſce. Patere

Pſal. 67.

ut

ut cum eodem Propheta subjungam; *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in Regna quæ Nomen tuum non invocaverunt.* Si aliquo erumpat necesse est iracundia tua, effunde illam, quæso, eas in gentes quæ te non norunt. In ea regna, quæ nomen non invocant tuum; in eas gentes, quibus ignota est vera Religio. In ea regna, ubi cultûs tui integritatem hæresis sustulit, penitúsque delevit. Contrà verò misericordiæ tuæ thesauros effunde in Christianum hoc Regnum; ubi Numinis tui cultus purior viget, ubi tibi servitur *in Spiritu & veritate.* Effunde illos eum in regem, qui mihi dicenti auscultat; & tuæ magis, quàm suæ, gloriæ studiosus, tuos ad pedes, non sceptrum modò ac Regium diadema, sed & victrices lauros omnes abjicit, pietatis ac Religionis in te suæ ut pacificum Numen, perenne monumentum; qui Ecclesiæ tuæ utilitati serviens, pacem illam Imperii sui anteponit incremento; mediásque inter armorum prosperitates, non ægrè, illius causâ, de suo jure decedit. Ita effectus Princeps quid à te, Domine, non speret? quam tutelæ in ipsum tuæ vim, aut potius miracula, spondere meritò atque expectare non possumus? *Est hic utique vir dexteræ tuæ. Fiat manus tua super illum.* Comple divino tuo Spiritu no-

Psal. 78.

Joan. 4.

Psal. 79.

nobile pectus. Cœlestis sapientiæ luce animum ejus colluſtra. Gratiæ tuæ præsidio semper illum tutare. Tam charum caput quandiu proteges, non fœderati in eum, & conjurati orbis universi Principes, ullam calamitatis partem ipsi unquam, ipsiúsque Regno importabunt. Denique non dubitamus, DEUS optime, quin, ope tua subnixi, salutarem illam pacem impetremus, quam & exposcimus à te, ut unum è fructibus, Christi Servatoris ortu, partis; ut beatæ ac sempiternæ, qua Cœlites fruuntur, pacis adipiscendæ; futurum nobis adjumentum.

Amen.



ALIÆ

ALIÆ CONCIONES HABITÆ PER ADVENTUM CORAM REGE CHRISTIANISSIMO LUDOVICO XIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CONCIONUM QUÆ SEQUUNTUR.

IN Festo Sanctorũ omnium:
De Sanctitate.
In Dominicâ I. Adventûs:
De Judicio extremo.
In Dominicâ II. Adventûs:
De vano hominum Respectu.
In Dominicâ III. Adventûs:
De Severitate Evangelicâ.
In Dominicâ IV. Adventûs:
De Pœnitentiâ.
In Natali Christi Domini Die.

IN

IN FESTO SANCTORUM OMNIUM CONCIO.

De Christiana Sanctitate.

Mirabilis DEUS in sanctis suis. *Psal. 76.*

REX CHRISTIANISSIME.

SI DEUS per se, suáque naturâ spectetur, quoniam longè multúmque superat humanæ mentis aciem, in ipsius intelligentiam & admirationem per se, suáque naturâ non cadit. Ut ex ejus operibus, eundem tantùm agnoscimus in terris, ita ijsdem ex operibus, nobis propriè in

terris suspiciendus est atque admirandus. Sunt autem Sancti præstantissimum DEI opus, atque adeò in ijs est, quod Propheta testatur, nostrâ potissimùm admiratione dignus. *Mirabilis DEUS in Sanctis suis.* Et verò quoquo tandem modo beatos illos supernæ Civitatis incolas contemplemur, prorsus mirabilis in ijs DEUS meritò nobis videatur, ac si in hodiernâ consistimus Evangelij lectione, quid admirabilius, quàm per longas paupertatis ærumnas, homines mitti in Regni possessionem? Vocari per lachrymas, adversósque casus ad solatium gaudiúmque perrenne? ad summum gloriæ apicem evehi per abjectiones & opprobria, atque ut Ambrosius significat, per miserias & calamitates ipsas, beatos effici. Ea sunt quippe divina illa, si fas est ita loqui, paradoxa, quæ Spiritus Sanctus hodie nobis aperit; quorum sensum percipere nunquam potuissemus, nisi exemplo, illi ipsi, quos colimus, suo, ea luculentè comprobarent. En miracula, quæ in electis suis DEUS edidit. *Mirabilis DEUS in Sanctis suis.* Addo aliud quiddam cum Leone Papâ, quod ut ad Christianos propriè attinet, ita apud nos vim movendi majorem habere necesse est. DEUS, inquit ille, in Sanctis suis est præcipuè mirabilis, quòd, cum æternâ

ternâ eos felicitate donavit, potenti nos voluit præsidio muniri, nobilique virtutum exemplo, ad vitæ sanctimoniam inflamare. *Mirabilis DEUS in sanctis suis, in quibus, & præsidium nobis constituit, & exemplum.* *Leo in Natali S. Laurent.*

In hoc hæreo Sanctorum exemplo, Christiani Auditores, ad dogmata illa, quæ vobis exponenda sumpsi, validè firmanda; atque omisso, quod expectare ab illis possumus, & sentimus reipsa, præsidio, divinæ sapientiæ in proponendis ad imitandum Cœlitibus illis, quorum sanctimonia, tam acer virtutis stimulus esse debet, admirationem in animis vestris excitare constitui. Virgo sanctissima, eadem & Sanctorum Regina præpotens, quando à te editus in lucem est *Sanctus Sanctorum*, tu, in qua se DEUS summè mirabilem ostendit, quoniam in te, & per te nobis similis factus mortales artus induit, fac ille me præsenti juvet auxilio, dum his, qui dicenti aures & animos adhibent, studium ardens adipiscendæ sanctitatis conor injicere; sanctitatis, inquam, ad salutem tam necessariæ, & apud mundanos homines tam fastiditæ, tam ignotæ, tam obsoletæ. Non potest concio non succedere ex sententiâ, si modò opem, quam ex more solenni sup- *Dan. 3.*

plex postulo, dignaris afferre. *Ave Maria.*

SEU divinæ gloriæ, seu propriæ utilitatis cura nos ulla solicitat, triplicem justissimi doloris causam, tribus verbis, mihi complexus videor, cùm dixi sanctitatem ad salutem tam necessariam, apud homines esse mundanos valde fastiditam, ignotam, obsoletam. Sed & animos vestros erigere ac recreare consilium est, Auditores, cùm subjungo, DEUM, tribus his maximis malis, dum electorum suorum sanctitatem nobis ob oculos ponit, eosdémque, ut ab ijs virtutum exempla petamus, prædestinat ad salutem, sapienter, ut solet, medicinam parasse. Accipite quid velim.

Illa vitæ sanctimonia, quam DEUS hominibus imperat, unde & pendet æterna ipsorum salus, tristi quodam fato; tres humanâ in mente obices reperit haud facile superandos. Vitæ nequioris licentiam, ignorationem, socordiam. Apertè & simpliciter rem ipsam eloquamur. Triplex hominum genus, partim cæcante peccato, partim sæculi corruptelâ, malè sunt erga sanctitatem animati. Homines nequam, & ad omne flagitium projecti eam vellicant & infamare studeant. Qui eam ignorant, de

de eâ judicant perperam, & in vitâ degendâ falsam illius formam ac speciem sibi fingunt. Denique socordes & ignavi, vires eam suas superare arbitrantur, atque adeò adipisci desperant. Priores, ut maligni sunt, & ad carpendum quidlibet propensi, eam, qua possunt, in odium vocant. Hinc plerumque est illa in fastidio. Alteri, in terrestria abjecta, carnéque demersi, eam ex veritate non æstimant, sed ex opinione ac sensu suo. Hinc est cognita perpaucis. Postremi animo imbecilles, obvijs difficultatibus deterriti, consistunt illico, pedémque referunt. Hinc sanctitas, bonum est in terris admodum infrequens. En scopuli, tres, in salutis semitâ vitandi; quos & facile vitabimus, oblatis sanctorum exemplis uti si libeat. Contendo enim, atque hoc est concionis hujus partitio, contendo, inquam, Sanctorum exempla, argumentum omnium validissimum esse, ad retundendam flagitiosorum hominum malignitatem, & veram adversus ipsorum obtrectationes, sanctitatem statuendam. Contendo in sanctorum exemplis demonstrationis inesse, genus quoddam apertissimum, ad revincendos Christianos illos, qui in errore versantur, falsâ sanctitatis opinione decepti, & ad veram

illius formam effigendam accommodatum. Contendo, in sanctorum exemplis tepidum quemvis & inertem Christianum, habere maximum ad æmulandam virtutem, & ad sanctitatem comparandam incitamentum. Ex quibus nonne jure ac meritò colligi potest, DEUM in Sanctis suis, cùm nobis illos imitandos proponit, esse omninò mirabilem. *Mirabilis DEUS in sanctis suis.* Igitur triplex hominum genus hodie instituendum habeo, quorum opiniones circa sanctitatem reformandæ. Homines flagitiosos, qui eam impugnant; rudes & ignaros, qui eam non norunt. Inertes & ignavos, qui ad eam aspirare graventur; atque omissâ quavis aliâ ratiocinatione, prioribus ostendo, posito sanctorum exemplo, licentiorem ipsorum vitam non posse defendi. Alteris, ipsorum ignorantiam excusabilem non esse. Postremis, ipsorum inertiæ nullas posse veras causas obtendi. Hæc tria dum expedio, quæso vos, attendite.

PARS I.

NON hodie primùm Christiana Sanctitas, eáque fuco ab omni & simulatione remotissima, flagitiosorum hominum malignitati obnoxia est, & censuræ proposita. Hi nunquam non bellum ei indixêre, velut acerrimi ejusdem hostes, proindéque sibi & aliis persuadere sem-

per

per conati sunt, veram in terris sanctitatem nullam esse; certè, cum falsâ sanctitate dum eam deditâ operâ, confundunt passim infamare, geminæ artes, quas adhibent, ad tuendam, aut etiam, si fas, ad suam illam morum licentiam cæteris mortalibus, explosâ sanctitate, approbandam. Sed frustra sunt conatus eorum omnes. Hæc enim semper pravos ipsorum mores damnavit, damnabitque, non DEO solum judice, sed & hominibus ipsis. Duas illas artes omnino solerter detexit Hieronymus in epistolâ quadam suâ. *Lacerant*, inquit, *sanctum propositum*, *& nequitiæ suæ remedium arbitrantur; si nemo sit sanctus: si turba sit pereuntium, si omnibus detrahatur.* Certos quosdam homines nominatim exagitat S. Doctor, mentis robore ac firmitate, ut quidem habebantur, præcellentes, qui Paulæ temerè & impudenter detrahebant, quòd Româ relictâ, avitisque fascibus generosè calçatis, in Bethleemiticam sese solitudinem & claustra monastica condidisset, salutem in tuto positura. Notatu digna sententia est, & eò ponderanda magis, quod ea continet, quæ oculis quotidie nostris obversantur. *Lacerant sanctum propositum.* Quoniam sapiunt, inquit Hieronymus, ad mundi nequioris normam, dicteriis, maledictisque suis lacerant

Lib. 1. Ep. 45. Editi. Canisi.

cerant opera quæque sanctissima. *Et nequitiæ suæ remedium arbitrantur, si nemo sit sanctus.* Nimirum septa egregiè flagitia sua, ac munita arbitrantur, cùm audacter pronuntiant, nullum in terris sanctum existere. Qui tales habentur, suis & ipsos cupiditatibus vitiisque laborare etiam fœdis; justitiæ ac probitatis famâ commendatissimos quosque, viam secum insistere deterrimam; de universis, nec injuriâ, dici posse, neminem esse unum, qui communi vitiorum tabe non sit infectus. Rem ita se habere, non suspicantur illi modò, verùm etiam affirmant. Quo posito, non insanè minus, quàm malignè, se ipsi consolantur. Quasi verò; quam de universo hominum genere imbiberunt, opinio, ipsorum excuset iniquitatem, & eximere possit scrupulorum aculeos, qui se dies noctésque compungant haud dubiè, si homines extent verè sancti, quorum mores, ipsorum improbitatem & flagitia apertè condemnent. *Et nequitiæ suæ remedium arbitrantur, si detrahatur omnibus.* Percipite, quæso, S. Doctoris mentem.

Primum injuriæ genus, quam Christianæ sanctitati faciunt homines nequam & improbi, in eo consistit, quod eã agnoscere nolint con-

contendantque, id quod sanctitas appellatur, nihil minus, quàm sanctitatem in hominibus esse. Vanitatem utique in alijs singularitatem; stomachum in his ac morositatem; in illis tenuitatem & imbecillitatem mentis; in multis, quidquid in contrarium species externa præferat, mendacium & meram hypocrisim dicendum. Tale est de Christianâ sanctitate mundi, sed Aulici præsertim, judicium. Mundi, inquam, illius nobilioris, cujus pars estis maxima, Auditores, &, quem mundi, non immeritò, compendium appellem. Mundi profani, cujus malignitatem eam esse scitis, nullam ut veram virtutem, nulla vera bona admittat. Ut existimet, qui bonis operibus insistit, aliò collimare. Neminem ad bonam se frugem recipere, unicè ut bonus sit ac frugi. Neminem famulari DEO, unicè DEO ut famuletur. Ut sanctitatis exemplum nullum conspiciat, quod paratus non sit revocare in dubium. Ut cuncta notet ac vellicet, cunctaque notando sæpius, reliquum sibi nihil faciat, unde possit excitari ad virtutem. Malignitatis species, inquit Hieronymus, injuriosa DEO, hominibus pernicioſa. Injuriosa DEO, quoniam debitâ ipsum gloriâ fraudat, dum facinora, quorum est autor, refundit in aliud quidvis, quemadmodum

Pharisæos facere solitos, Evangelistæ docent. Quid enim illi? magicæ arti miracula tribuebant edita à Christo. Ajebant, humanis eum corporibus dæmones exturbare, authoritate Principis tenebrarum. Ecquid autem aliud Aulicis hominibus usu venire dixero? volunt illi omnia, idque indiscriminatim, pietatis ac Religionis opera, omnia vitæ sanctioris, aut ineundæ consilia, aut jam initæ, officia, quasvis morum mutationes, arcano cuidam privatæ utilitatis studio deberi. Servilem & abjectam politicæ calliditatis rationem, eorum omnium fontem esse ac scopum. Sicubi occurrit, quem gratia cœlestis in virtutis egit semitam, & mores incipit seriò emendare, in novæ dictitant vitæ instituto subesse aliquid mysterii; mutationem illam, scenici spectaculi genus esse quoddam, cujus pars perexigua DEUM autorem agnoscat. Quid autem est inter illa duo non simile; &, si blasphemi extitêre in Christum Pharisæi, an minus injusta, minúsque damnanda est profani hominis, ita judicantis, ita pronuntiantis, oratio?

Dixi, malignitatem illam hominum generi pernicioſam esse. His enim adimit ad molliendum, & in salutis semitam flectendum pectus, adjumentum valde potens, & in prædestinationis dispositione

ne

ne per quam efficax, virtutis videlicet, & vitæ purioris exemplum; aut potius, cœlestem illam boni exempli facem, quantùm in ipsâ est, subducit, extinguítque. Illæ morum mutationes, quarum est testis homo profligatus, & proponuntur ipsi ad imitandum, eò tantum valent, illum ut impellant in varias ancipitésque cogitationes, in suspiciones & judicia temerè ac leviter fundata; ut locum præbeant sanctissima quæque mordacissimo sale, imò sermonibus maximè impiis, sæpe violandi; DEO utique id permittente, & ipsius superbiam, qua in sanctitatem ipsam adeò rigidam censuram exercet, puniente. Inde fit, ut non modò vitam ipsius non mutent virtutis exempla posita in ejus conspectu, verùm etiam animum obfirment in malo; ut pectus indurescat, hæreat obstinatè in vitiorum cœno; & à pœnitentiæ portu magis ac magis sese avertat. Contra verò fideles Christiani, monstratas salutis vias semel ingressi, easdem simpliciter insistunt. Fructum aliquem decerpunt quovis ex bono, quod tale esse libenter credunt, etiam cum erroris periculo. Virtutes, tametsi ancipites ac dubias, si modò virtutis speciem præferunt, æmulari student; exempla etiam illa, de quorum integritate non satis constat, velut regulas arripiunt, ad

quas

quas vitam & mores dirigere ipsos oportet ; in magnâ numerant felicitatis parte, quòd extare adhuc videant ejusmodi exempla ; DEO Optimo , Maximo , à quo , ad nominis sui gloriam , ad electorum utilitatem & flagitiosorum hominum pudorem & ignominiam eduntur , impensè gratulantes ; jam enim dictum est à me , Auditores Christiani , & iterum dicendum , sit quantumvis confidens & audax mundana licentia , nunquam consistet ; nunquam habebit quod opponat illustribus quibusdam exemplis , quæ DEUS , singulis ætatibus , os ut illi protervum comprimat, semper objecit , objiciétque. Illa *testium nubes* , de qua Paulus Apostolus , ingens illa Cœlitum multitudo, quos publico , solenníque cultu prosequimur , argumentum sanctitatis est firmius & apertius , quàm ut ullâ unquam sæculi impietate infirmari queat atque convelli. Impostores & hypocritas esse non inficior , & eo fortassis numero, qui cogitari à me etiam non possit, sine maximo doloris sensu. Verumenimvero potéstne mundana impietas ex hypocrisi & simulatione virtutis , tam mendosè ac periculosè colligere , nullam in terris veram existere sanctitatem. Imò , ut argutè respondet Augustinus , ex eo ipso , quòd multa occurrunt sanctitatis simulachra ,

Hebr. 12.

effi-

efficere & concludere debet impietas, veram aliquam sanctitatem reperiri. Ratio autem, qua id probat planè convincit. Quia videlicet falsa sanctitas, aliud nihil est, quàm veræ sanctitatis imitatio, quemadmodum simulatio, est imitatio veritatis. Etenim præter DEI factum est voluntatem, veræ ut virtutes, dum ijs homines abutuntur imitando, falsas & adumbratas ex sese proferrent. Mendacij quippe parens diabolus, opera DEI omnia imitari semper adnixus, &, quantùm in ipso est, effingere, Christianam humilitatem, evanidis mille humilitatis formis, zelotypiâ verum divinæ gloriæ ardorem, Evangelicam severitatem, personatâ hæreticorum severitate, veram Religionem, superstitione & idololatriâ, assimulare studet atque ementiri. Quod argumento est, eóque evidenti, inquit Augustinus, veram aliquam Religionem, verum zelum, veram morum severitatem, veram humilitatem, uno verbo cuncta ut complectar, veram aliquam sanctitatem in terris extare. Fieri siquidem non potest, ut imitetur quis quod nusquam existit; & archetypum aliquod esse, exempla quamvis falsa, & adulterina, convincunt. Hoc autem posito, veram in terris existere sanctitatem, jacet exarmata, vel nocentissima quævis mundanorum

rum

rum hominum impietas. Illa morum sanctimonia pura & labis expers, ut rara sit, & in pauciſſimis eluceat, nihilo propterea melior erit flagitioſorum hominum cauſa. Unicum extet ſanctitatis exemplum, ſatis hoc erit ad eos condemnandos. Et verò ex admirabilis providentiæ ſuæ legibus, res humanas ita diſpenſare DEUS ſolet, ut exemplum illud, ſi vultis unicum, nunquam deſit; &, rumpatur licet iniquitas, aliquod ſemper ſuppeditet, quod ipſi etiam mundi amatores recognoſcant.

Ita prorſus, Chriſtiani Auditores, ſi ex infelici eorum eſtis numero, quos hic inſector, unicus ille vir bonus & frugi, unicus ille, in quo expreſſam veræ ſanctitatis formam agnoſcitis; de quo non dubitetis ſponſionem facere; unicus; inquam, ille, in formidabili DEI judicio vos accuſabit. Unus ex omnibus mutos & elingues vos reddet. Illum DEUs in conſpectum veſtrum tantùm producat, & hoc ſatis erit ad prodigioſos errores veſtros, velitis nolitis, convincendos: ad prodendam univerſis gentibus impietatis veſtræ vanitatem, imbecillitatem atque licentiam. Fruſtra opponetis tot Chriſtianorum hypocriſim. Fuerint impoſtores & hypocritæ, inquiet DEUS, non propterea impietatem profiteri debuiſtis. Si

cul-

cultûs mei sanctitate abusi sunt complures, in vitium aliud planè diversum delabi vos non oportuit, pravisque cupiditatibus habenas laxare. Vobis necessitas injuncta non erat alterutrum eligendi: inter hypocrisim & flagitiosam vitam, via media est, media sors, eáque honorifica, Lex videlicet Christiana. Vobis illa amplectenda fuit, vobis sincerè atque ex animo servanda. Plani fuerint & impostores nec ne, quos tales existimastis, statuere meum erit, & in judicio meo pronuntiare. Sed enim causâ vestra, quæ commune nihil habet cum illis, nihilo inde melior effici potui. Fuerint personatæ, fuerint suspectæ ac dubiæ pietatis homines, quantovis numero, adest tamen præsens unus, quem recusare non potestis. Unus, qui vobis locum omnem præcludit excusationi, vestróque vos gladio ac confessione jugulat. Justum enim illum, quem ipsimet coluistis; in quo, vobis etiam judicibus, omnes sinceræ ac solidæ pietatis notæ insignitæ erant, cur non estis imitati? cur ab illo vitæ sanctioris exempla non petiistis? satis hoc, inquam, sit, ad os impietati obstruendum. Satis sint homines illi sancti, quamvis infrequentes, & singularis exempli, qui se nobis ostendunt in terris. Homines illi sancti, qui DEO non solùm serviunt, sed

&

& illi dum serviunt, nemini non probantur. Homines illi Sancti, quorum vita tam constans, tam simplex, tam casta, tam apertè, tam omnium ore commendata, ut revereri ipsos & colere, vel profligatissimus quisque cogatur. Existunt enimvero, existunt ejusmodi; &, quantacumque sit mundi perversitas, spectantur nihilominus inter vos; facilè illos internoscitis ac probè. Plus aliquid dico, pro uno, cujus exemplum satis sit, ad causam, quam tueor, obtinendam, innumerabiles hodie DEUS ostendit, totidem mihi testes suppeditans, totidem contra vos argumenta. Referat adyta cœlestis Aulæ, & terris tantisper erepto, beatas illas demonstrat Electorum turmas, quas probata, quas purgata perdiu, quas consummata sanctitas ad vitæ immortalis gloriam evexit. Demonstrat homines, inquit Chrysostomus, quorum sanctitatis ratio, posita non fuit in certâ corporis constitutione; in eâ siquidem emendandâ, mutandâ, destruendâ toti fuerunt. Non in animi naturâ & affectione, sancti siquidem effecti sunt eam assiduè domando, comprimendo, vincendo. Non quæ ex politicæ artis legibus, aut ex privatâ esset suspensa utilitate, ea siquidem fecit, ut & utilitates proprias, & ea cuncta, queis

queis profani duci homines solent, despicerent illi, ac pro nihilo putarent. Non quæ fluxâ & inani gloriâ niteretur, eò siquidem usque totâ se vitâ demisêre, ut nulli quodammodo hominum oculis viderentur; & eorum plerique, solitudini, latebrísque, quas sedulò captârunt, sanctitatis suæ excellentiam debeant. Non quæ morositatis fructus quidam esset atque mœstitiæ, mundo siquidem nuntium remiserunt illi, quo tempore, fortunâ blandius ridente; ad mundi bona, voluptatésque perfruendas, tempestas erat magis opportuna. Non quæ animi mentisque tenuitati tribui posset, ad consilia siquidem perpulit non generosè minus inchoata ab illis, quàm constanter ad exitum perducta; & Dei causâ perpessi quidlibet, lacerati, mactati, magnanimatatem quandam ostenderunt, quæ vel Ethnicis ipsis stupori fuit & admirationi. Non quæ fucata & personata esset, in id si quidem unum incubuêre studio omni, ut quod erant non viderentur, tantum abest, ut, quod non erant, videri vellent. Homines in Ecclesiæ sinu ficti atque formati, quorum sanctitas tanto superat intervallo, quæ Philosophia, non dico gessit, sed docuit, sed, finxit, sed fingere voluit; ut, Augustini opinione, invictissimi Heroes illi quos solenni cultu

veneramur, exemplo suo validissimè comprobent, Religionem, & Religionis authorem DEUM, cœlestémque actionum nostrarum adjutricem gratiam existere. Quid ita? quoniam tam excellens támque perfecta sanctitas habere ortum non potest ab homine usque adeò per peccatum vitiato. Quoniam neque Philosophia, neque humana ratio, solæ eò assurgere valeant. Quoniam unius gratiæ est, partæ per Christum, homines erigere supra adversantem ac reluctantem ipsorum naturam; atque adeò consequens est, sanctitatem illam, supremo Numini, velut authori suo, esse tribuendam. En quod Ecclesia militans celebrat hodierna die, cujus augustam solennitatem Ecclesiæ consecravit triumphanti. En quibus plena refertaque est Aula Cœlestis. Exempla ad memoriam insignia, quæ nulla unquam inobscuret & obliteret impietas. Exempla, quibus cedat necesse est effrænata sæculi licentia: cujus superbiam nunquam Illa non frangent, nunquam non oppriment. Sunt hæc utique, DEus optime, gratiæ tuæ miracula totidem, quæ hoc loco adhibentur à me, ad injiciendum in Aula Christianissimi Regum, veræ saltem pietati ac sanctitati debitum honorem ac reverentiam. Felix, si ex eâ exterminare valeam mundanum illum spiritum, cul-

to-

toribus tuis, aut potius ipsimet cultui tuo, apertè semper adversantem! felix, si ejicere illum ex omnium animis; si detrahere deturi eorum errorem, apud quos verba facio, & persuadere tandem illis, quantùm præjudicatæ illæ opiniones, quæ non minus injustè, quàm facilè hominum mentes occupant, & in quibus amant sese, ad eos à te avertendos habeant momenti, quantùm reipsa avertant!

Alterum injuriæ genus, quam sanctitati Christianæ faciunt homines flagitiosi non in eo jam est positum, ullam ut esse negent, sed ut eam verbis elevent & vocent in odium, vitia quædam illi commentitia dum tribuunt, quibus ipsius obscurent & inquinent splendorem. Nam, ut animadvertit doctissimus Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius Gersonus, vir inter alios omnes admodum perspicax, & morum disciplinâ apprimè eruditus, non est sanctitatis, illorum culpas omnes, qui eam profitentur, præstare. Si suis vitiis ac cupiditatibus laboratis, qui divino cultui præcipuè deditus est, humanæ istuc infirmitati, non pietati tribuendum. Ea illi vitia pietas imprimis exprobrat, nec finem ullum facit ea coarguendi tantum abest ut aut foveat, aut probet. Si pravæ cupiditates vincunt nonnunquam, culpa

omnis hæret in nobis, non in illa. Præterea, an æquum est, exigere à verâ pietate, ut, quia perfecta ac divina est, perfectos continuò nos reddat. Quoniam hoc sibi non sumit, ut in hac vitâ sanctos efficiat prorsus impeccabiles; ita tribuendum non est illi, si jis qui sanctiores sunt vias ingressi, aliquid humanitus acciderit. Homines erigere post lapsum, ingenitos factus comprimere, objectâ illis miserâ, & calamitosâ sorte, facere ut vel in suis cupiditatibus materiam inveniant & amplam segetem meritorum, in id ipsum utique incumbit; hoc recipit in se; non verò peccata ut cuncta prorsus resecet; hæc enim est Cœlitum sors duntaxat, & beata conditio.

Est autem hic mundanæ malignitatis effectus alter. Concessit quispiam in castra pietatis, Christi militiam secuturus; jam nihil illi condonatur. Stat in eo quidvis culpare. Jam non licet illi habere nævos ullos; ullas sentire animi appetitiones. Volunt esse illum ab omni reprehensione procul; sin minus, pietas ipsa culpatur. Malignitatis genus, inquit Hieronymus, omnium iniquissimæ. Etenim si mundanæ censuræ obnoxiam pietatem esse oportet, debet illa servare æquitatis leges, &, si minus indulgentem,

tem, saltem æquum huic judicem se præstare. Cur ille igitur adversus pietatem præoccupatæ opiniones? cur vitia illa, quæ pietati, tanquam illius propria tribuuntur, tametsi eadem rejiciat & improbet ut damnanda? cur arcanum illud odium in eos qui ei se dediderunt? cur illa ad eos vellicandos, mordendos, & deprimendos proclivitas? ad facta & consilia eorum vel maximè honesta uc recta interpretanda in deteriorem partem? ad eorum virtutes extenuandas, & vitia, si quæ occurrunt, exageranda. An censores nos experiuntur tam rigidos, mortales cæteri? habétne pietas peculiare quidpiam unde in odium & contempum venire debeat? hæc sufficiant ad procacem impiis linguam occludendam. Verùm ulterius Ecclesia progreditur. Ostendit illis ad firmiorem magisque perspicuam probationem, homines cœlesti Regno jam receptos, quales animo informabat Apostolus, & quales sunt visi reapse, ad formam, in Pauli mente signatam, fictos & expressos: ostendit illustria virtutum exempla, in quæ nemo non intueri olim posset. Homines, in quibus pietas inerat non præsidens, non fastosa, non acerba, non mordax, non præfracta, non recta, non livida, non inconstans, non dominationis appetens,

non se negotiis implicans omnibus. Hi sunt quos impietati opponit Ecclesia. Beati illi Cœlites publice veneration hodie proposiri, ji ipsi sunt homines numeris omnibus absoluti, quos nobis ob occulos ponit. Vitiis omnibus, quæ mortale genus infestate solent, cùm essent suapte naturâ subjecti, ea aut vitarunt illi sedulò, aut emendarunt, christianarum studio, & exercitatione virtutum. Unde consequens est, ut eorum sanctimonia, dum suum pietati decus asserit, flagitiosis hominibus, qui eam in contemptum adducere student, æternum dedecus & ignomniam imponat: eorum ætas quantumvis perversa, tales eos esse agnovit ac prædicavit, quales illos vobis effingo. Sanctorum fastis consequentia sæcula eos etiam ut sanctos ascripsêre. Concordi orbis universi testimonio, tam solennes illis honores hodie largimur. Usque adeòne injusti erimus, suam ut ipsis sanctitatem una, & gloriam detrahere tentemus. At, eóne etiam cæcitas nostra progrediatur, summam ut impietatis imbecillitatem non agnoscamus? revertamur ad propositum. Christianam impugnant sanctitatem homines nequam, & improbi, ostendimus autem sanctorum exempla, omnem illis intercludere improbitatis ac ne-

nequitiæ suæ defensionem. De Christiana sanctitate perperam judicant, qui eam ignorant, ipsorum ignorantiam sanctorum exemplis inexcusabilem reddi, proximum est ut ostendam.

PARS. II.

DUBIUM non est, Auditores Christiani, quin ad Timotheum discipulum Paulus Apostolus scribens, venturas ætates & nostram hanc nominatim, animo prospexerit, cùm inter abusus, quos arguit, & succrescere jam tum videbat in Ecclesiæ sinu, quorundam præsertim hominum cæcitatem deploret, qui in errorem abducti, assiduam Religioni operam dabant, nullo proventu. Qui Evangelicas leges ac præcepta addiscebant quotidie, nec in quo sita illa sint, satis intelligebant. Qui, ut ea penitus cognoscerent, se ipsos longâ, sed inani, conficiebant meditatione, quoniam operi nunquam manum admovebant. Uno verbo cuncta ut complectar, qui ad cæleste Regnum capessendum cùm semper animo viderentur intento, quia rem sequebantur, sibi ignotam, assequi nequibant; à verâ germanâque pietate longè semper disjuncti, quia genuinam illius imaginem ac speciem certâ nunquam cogitatione perceperant. *Semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Malum 1. Tim. 8.

istuc ex illis unum est profectò, quæ Paulus Ecclesiæ prænuntiabat. Quid autem aliud videas hoc sæculo nostro? Quantumvis acuti haberi velimus, & natis non obesæ, fateamur necesse est, Auditores, non in minimis malis nostris numerandum hoc esse, quòd erroribus, circa veram pietatem, & Christianam sanctitatem admodum fœdis, occupari nos sinamus. Haud alios hujus rei testes quàm vosmetipsos velim; quos & mihi tacitè jam assentiri pro certo habeo. Alii vitæ sanctitatem constituunt in iis, quæ privatæ sententiæ & opinioni consonant. Alii in iis, quæ naturæ congruunt & genio suo. Alii in rebus, quæ ordinem excedunt & modum. In iis illi quæ spectantium oculos vertunt in sese. Hi, in iis, quæ alios avocant ab eâ ac deterrent. Quidam illam comminiscuntur extra suæ sortis ac conditionis metas. Nonnuli, vires ultra & acceptam à naturâ facultatem. Sunt, qui eandem decoro contrariam informent, & receptis mundi politioris legibus. Sunt, qui speciem illius quandam sibi proponant antiquissimis etiam officiis, publicisque necessitudinibus, quibus impliciti sunt, omninò adversam. Non desunt, qui eam in certis quibusdam ponant sanctitatis adjumentis, in quibus hærent

hærent defixi, dum finem & rem ipsam negligunt. Reperias, qui eam formâ quadam circumscribant multiplice ac vagâ, qua sese ipsi pascunt inertes & otiosi, dum adjumenta ipsa prætermittunt ac respuunt. Quantum ista omnia, Auditores, meditationi nostræ campum aperiunt!

Aio igitur, Cœlitum exemplis errores hos omnes convelli. Demonstrari, idque perspicué, hominis sanctitatem in jis omnibus haud positam esse; non pendére ab iis omnibus; nihil minus, imò aliquid melius & rationi covenientius illam esse. Quam obrem? quoniam Cœlites hodierno die exemplis suis rem docent, afficiendis movendis & excitandis hominum mentibus ad virtutem, omnino accommodatam. Nimirum, citra privatam cujusque opinionem ac sententiam, citra quorumdam seu fulgorem seu facinorum asperitatem, non prætergressis datæ sortis & conditionis limitibus; non petitis aliunde peculiaribus adjumentis, nec proposito sibi alio fine, quàm qui est pro præsentis vitæ ratione constitutus, Christianam verámque sanctitatem positam esse in officiis ritè & ex DEI nutu obeundis; adeò ut planè perfectéque simus quos esse nos oportet, atque

atque ex DEI præscripto; dignósque eo statu nos præstemus, ad quem sumus à DEO vocati. Cujus veritatis ea vis est, ut ei se statim humana ratio submittat; ut qui eam percipit, eam ultro amplectatur; quæ quidem passim traditur in sacris libris, sed Sanctorum, quorum hodie festa recolimus, fit exemplis longè testatior. In his quippe semoto errore, fallaciaque omni, liquido ac destinctè perspicio, quid rei sit sanctitas; perspicio, inquàm, absque ullâ animi contentione, absque ulla ambage verborum ac præceptorum, quasi se ipsa mihi videndam sanctitas ac palpandam præbeat. Et, quoniam nihil est extra DEUM excellentius, nihil divinius ejusmodi sanctitate fundatâ officiis, officiis temperatâ, officiis circumscriptâ, ubi primum ipsam sub eâ specie datur intueri, ab officiis sim quantumvis aversus, de eâ cogor bene existimare, & ex illa bona existimatione, secretus quidam illius amor innascitur, quem sustinere & cohibere multò minus valeam. En, inquio, quem esse me oporteat, & quia is non sum, nullum ratio, nullum conscientia, nullum Religio pungendi & exprobrandi finem faciunt. Hæc ego mecum; & confessio illa mea, testimonio mihi est minimè fallaci, eâ in re unâ Christianam positam esse sanctitatem. Sic

Sic est, Auditores; beati illi Cœlites, quos solenni cultu veneramur, excelsum hunc sanctitatis apicem non sunt adepti ob splendida duntaxat & prodigiosa facta. Si qua memorantur eorum in fastis, inquit Bernardus, profluxêre illa fortassis ex ipsorum sanctitate; verum hæc ex illis metienda nunquam fuit atque æstimanda. Opera illa admiranda edidêre, si vultis, quia sancti erant; at iidem nunquam sancti, quia illa edebant, sunt effecti. Et verò absque operibus illis poterant pervenire ad illam vitæ sanctimoniam, quemadmodum iis editis, poterant venire in reproborum numerum. Dixi, potuisse sanctimoniam adipisci absque operibus illis; quot enim nunc cælesti gloriâ placidè fruuntur, quorum facta nihil habuêre unquam quod homines traduceret in sui admirationem; nihil quod ipsos mortalium vulgo secerneret. Poterant, patratis etiam operibus, illis, sancti non esse. Quot reprobi, vindictæ Cælestis infelices nunc victimæ, opera quædam pia ediderunt, quæ hominum sunt excepta plausu, dum eosdem interea DEUS condemnabat, & fortasse ob ea ipsa opera rejiciebat à se. Poterant absque illis splendidè piis operibus sanctitatem adipisci. Ita eam adepti sunt innumerabiles Electi, quorum

rum sunt in cælis scripta nomina, tametsi ignoti in Ecclesia ipsa? intra vitæ communis terminos, inquit Augustinus, eorum sanctitati DEUS allaboravit, & cùm ipsos in regnum intromisit suum, non dixit, *intrate servi fideles*, quoniam meâ causâ magna & illustria facinora edidistis, sed quoniam in minimis enituit
Matth. 25. fides vestra. *Quia super pauca fuisti fidelis.* Cum his operibus nihil minus quam Sancti, imò reprobi esse potuerunt. Ita continget infortunatis illis qui sunt olim Christo dicturi, *Domine; nonne in nomine tuo prophetavimus? nonne demonia*
Matth. 7. *ejecimus?* Sed quibus responsurus est Christus, nec vos unquam novi, nec jam nosco. Prophetiæ & miraculorum dono quantumlibet insignes fueritis, ex rebus istis, qui mei sunt, non secerno à malis, ac seligo.

Adeò istuc verum est quod loquor, Auditores Christiani, ut nemo sit cujus miracula Evangelistæ minore referant numero, quàm Deiparæ Virginis, mortalium omnium sanctissimæ. Quid dico? an, vel unius, mentionem illi faciunt? an, vel unum, memorant à Christi præcursore patratum? & tamen glorioſum hoc ei testimonium perhibet Christus ipse, neminem
Matth. 11. inter natos mulierum *surrexisse*, qui coram

DEO

DEO & coram hominibus aut major esset, aut sanctior. Idem dicamus oportet de rebus innumeris, cum quibus quotidie sanctitas confunditur. Idem de voluntariis carnis cruciatibus, quos vulgus suspicit atque admiratur, sintque, ut rectè Episcopus Gebennensis animadvertit, adjumenta sanctitatis ad summum, non sanctitas ipsa. Sunt inter Cœlites, qui nec solitariæ, nec austerioris vitæ genus professi sunt in terris. Ipse *Sanctus Sanctorum* Christus servator, Deique filius, nec solitarius fuit, nec austerus, neuter certè videri voluit: & fortasse torquentur apud inferos Anachoritæ, & rigidioris disciplinæ sectatores magno numero, quos superbia eò sua detrusit.

Fr. S. Salesius.

Dan. 9.

Qua igitur viâ & ratione sancti effecti sunt, qui eo nomine coluntur, & qua in re propriè sita est eorum sanctimonia? hoc loco, Auditores, ubi vestra utilitas agitur, attentos vos potissimùm volo; habent quippe quæ sum dicturus, & quod erudiat ignaros, & quod jacentes excitet & in spem inducat.

Sancti ideò tantùm effecti sunt, quia implevêre officia sua, & ea implevêre quia sancti. Quæ duo vincta inter sese, atque copulata, speciem & veluti characterem quemdam rationis ac veritatis præferunt, quem nemo non percipiat. San-

Cti

cti effecti sunt, quia implevêre officia; hoc est, quia sciverunt illi cum vitæ conditione Religionem conciliare; ita tamen ut Religio, norma semper esset conditionis, non Religionis, conditio. Sancti effecti sunt, quoniam cuique sedulò tribuerunt quod erat suum; *cui honorem* debebant *honorem*; *cui vectigal*; *vectigal*; cui obedientiam, obedientiam; obsequium jis, quos sibi devincire, auxilium jis, quibus opitulari, vigiles jis curas, quorum saluti invigilare ipsos oportebat; justitiam & charitatem, quia debetur omnibus, omnibus præstantes. Sancti effecti sunt, quia sibi impositis ministeriis, quia dignitatibus, ad quas fuerant evecti, quia excelsis gradibus, in quibus fuerant à DEO collocati, honori & ornamento fuit ipsorum agendi ratio. Quia otio, valetudini, imò vitæ ipsi antetulere commissa sibi munera, labores, molestias, anxietates, tædia devoranda. Sancti, quoniam prætulêre in omnibus animam utilitati, fortunæ probitatem, & veritatem adulationi: quia veraces in sermonibus, sinceri in factis, æqui in judiciis, fidi in commerciis extitêre. Sancti, quoniam suâ voluntate divinæ ordinationi accommodatâ, statum illum, quem DEUS imperabat, tenuêre; non aspirantes ad majora, non se in aliena inferentes, non sol-

Rom. 13.

sollicitì, non queruli, sed suâ semper sorte contenti ; non molesti aliis , non invidi, amicis fidi , generosi erga inimicos , beneficiorum memores , immemores injuriarum , patientes in adversis , infirmorum tolerantes ; hæc enim omnia & officiorum finibus continebantur , & erant ipsis, ad sanctitatem consequendam , necessaria.

Addo , quoniam Sancti erant implevisse officia illa omnia ; atque hoc aliud est ptincipium , quo longè certissima veritas nititur. Etenim una sanctitas potuit in jis esse præparatio quædam generalis & efficax , ad ea cuncta, quæ diximus, perfectè observanda. Si his sanctitas defuisset , humanis tentationibus millies succubuissent. Infinitis in locis lubricis , probitas illos & æquitas sua defeciſſet ; officium quoddam obeundo, aliud violassent. At qnoniam Sancti , non discessêre unquam à legis præscripto ; *implevêre justitiam omnem.* Quia Sancti , sociarunt in se ipsis, res , ut videbantur , maximè disjunctas , & quarum concordia difficillima erât ; authoritatem cum charitate ; cum sinceritate prudentiam; honores cum Christianâ animi demissione ; cum pietate attentionem ad negotia. Quia Sancti , tutati sunt quos obtinebant fortunæ gradus , sed modestè ; jura sua defenderunt, sed

Matth. 3.

sed nullo commodi respectu ; famæ suæ consuluerunt, sed cum verâ despicientiâ & abnegatione sui ipsorum. Quoniam Sancti, humiles extitêre, at non fœdè abjecti ; positi in excelso loco, at non elati ; sinceri, at non inconsulti ; prudentes, at non subdoli ; divini honoris studio flagrantes, at non violenti ; magnanimi, at non temerarii ; mites & pacifici, sed animo non pusillo ac remisso. Quoniam sancti, æquabilitatem tenuêre, aut potius sibi ipsis diffisi, prospero fortunæ flatu sunt usi moderatè ; spem in DEO locarunt suam, in adversis fides illis, ac religio, perfugium præsens & portus fuit. Nullum finem inveniat oratio, si susius ista persequi velim.

Ut ut est, Auditores, eò tantùm beati sunt, illi Regni Cœlestis incolæ, quòd sanctitatem ab officiis suis nunquam sejunxerunt, aut potius quòd ad aliam sanctitatem nunquam aspirarunt, quàm quæ in studio posita erat & officiorum observantiâ. Cur exempli causâ, S. Ludovicus in Cœlestes illos repositus est, quos vocamus in vota ? quoniam Rex cùm esset is, nulla non digné obivit Regis munia. Quoniam Sanctum in omnibus se præstitit ac Religiosum Regem. Evolvite, si placet, Annales nostros, atque hoc à me quàm verè dicatur, cognoscetis. Quod autem

dixi

dixi de Sanctissimo illo Principe, de aliis pariter sanctis affirmari potest, ad cujusque statum accommodatè. Haud aliud ipsorum fuit beatitatis & gloriæ, qua fruuntur, fundamentum. Illa officiorum Religio, in qua perfecti ut evaderent, abscindebant sibi rerum omnium respectum, hoc ipsum est, quod remunerat DEUS in justis quos elegit. Nec mirum; hoc enim, propriè molestum illis ac difficile; hoc victoriarum, quas de seipsis toties reportarunt, materia fuit. Ut enim non desis ulli ex his officiis domandæ sæpius cupiditates, vis sibi inferenda, renuntiandum sibi ipsi. Sanctitas alia quævis, Sanctis nihil arduum habuisset ac difficile, proindéque paratâ illis à DEO gloriâ, digna neutiquam fuisset, atque hoc ipsum est, Auditores, quod intelligere nolumus. Sanctitatem volumus ad rationem, ad normam nostram, ad vota nostra fictam & compositam; hoc est, sanctitatem parabilem ac facilem. Sanctitas enim id genus, quantumvis rigida & aspera videatur, aut si aliunde, non magno utique paretur impendio. Sed nimirum ita est constitutum à DEO, ut sanctitas nostra sita sit in officiis nostris, erúntque illa semper observatu difficilia. Extra officia quidquid sanctitatis speciem præfert, inane est sanctitatis simulachrum,

quod neque DEO gloriam ullam afferre, neque hominum saluti conducere ullo modo potest; imò quod superbiam in animis plerumque nostris aut fovet aut parit. Contrà autem vera sanctitas, uno quidem sensu, communis, sed alio rarissima, nescio quam secum affert prosperitatem, quæ in DEI cedit gloriam, quæ homines compellit in virtutis iter, quæ nosmetipsos sine ostentatione, sine fastu ullo, cancellis continet suis, &, ne in errores infinitos rapiamur, facit. Sed jam finis sit; ac postquam flagitiosos, rudes & ignaros homines compellavi, ignavis & imbellibus supereſt ut demonstrem, positis Sanctorum exemplis, ipsorum ignaviam nullo prætextu colorari posse.

PARS. III. HAUD minoris authoritatis fuit quàm divinæ, sanctitatem viriosis hominibus, & ab hac mortalis vitæ contagione nondum secretis imperare. *Sancti estote, quoniam Sanctus sum.* Ita DEUS in veteri lege; ita & Christus in novâ. *Estote perfecti, sicut Pater, &c.* Atenim potest ne impleri mandatum illud tam arduum, tam sublime, tam divinum? quod à nobis exigitur, annon superat humanæ naturæ vires adeò fractas ac debilitatas per peccatum? nequaquam, Auditores Chri-

Levit. 11. & 19.

Matth. 5.

stia-

stiani, adeste, quæso, animis, est enim doctrina quam tradere agredior, momenti longè gravissimi, effectúmque illa ultimum continet propositi nobis in Sanctis exempli.

Ajo igitur, quanta sit cumque sæculi pravitas, & morum corruptela quanta sit cumque humanæ naturæ fragilitas, quantumvis molestæ ac frequentes salebræ nobis occurrant in hoc vitæ mortalis cursu, sanctorum exemplum argumento esse, eóque firmissimo, Christianam sanctitatem vires nostras non superare; imò nihil in ea tam difficile & asperum, quòd explanare illa eadem ac mitigare non possit. Unde istuc effici necessariò debet, si ad sanctitatem non contendimus, si eam non adipiscimur reipsa, jam nullam, qua ignavia nostra excusari queat apud DEUM, causam superesse.

Sanctitatem ponimus inter impossibilia. Metuenda fraus, quam adhibere solet vitiosus sui ipsius amor ad inertiam, imò ad effrænatam vitæ licentiam fovendam. Sanctitatem fingimus in præcelso atque edito loco, ad quem ascendere unquam posse desperamus; &, per abjectionem animi, cujus autorem facimus DEUM, cùm eam rejicimus in nostram imbecillitatem,

tem. illud Israelitarum usurpamus, *quis*
Deut. 30. *nostrum valet ad cœlum ascendere*? quis eò possit, inquimus, sanctitatis pervenire? atenim longè aliter sentire nos jubet DEUS ac loqui. Hodie quippe in conspectum nostrum profert innumerabilem sanctorum multitudinem, qui medias inter mundi illecebras, tales fuêre, quales inficiamur esse homines posse. Qui mundanâ compede constricti, præstitêre illa eadem, quæ præstare nos posse desperamus. Qui sanctitatem adepti sunt in ea vitæ conditione, quæ majora offert ad eandem nitentibus impedimenta. Hac autem ratione, si nobis os obstruit, aliâ DEUS pectus dilatat. Spem enim exsuscitans nostram, demonstrat his exemplis, nihil nos non
Philip. 4. *posse in eo qui* nos *confortat*; ac quamvis fragiles, peccatisque simus obnoxij, salutem esse nihilominus in potestate nostrâ.

Id ipsum est quod Augustinum, Doctorem illum tantum, reduxit in viam. Una eum morabatur, quod nemo vestrum ignorat, difficultas, quæ insuperabilis ipsi videbatur, & acceptos imo in corde gratiæ satus tardabat. Alloquio DEUS interiore spondebat, fore, ut difficultatem illam perrumperet. Contrà ipse tacitè secum: esse conatum illum supra vires suas.

In

In eo conflictu ac veluti duello, quod Augustino cum DEO erat, discedebat ille DEO semper inimicus, & sui ipsius, hoc est, libidinis mancipium. Denique nova impressione facta, rebelle tandem pectus expugnavit victrix DEI gratia. Res contigit ea ratione, quam ipse discribit. Videre sibi visus est sanctimoniam ipsam, dignitate vultûs & corporis majestate verendam. Offerebat illa se Augustino, & supinam ipsius socordiam haud segniter increpitans, innumeras Virginum turmas, ponè sequentes, digito monstrabat, his verbis animum erigens ac fiduciam; *& tu, non poteris quod isti & istæ?* *Confess. Lib. 8. c. 11.*

Fuit vox illa, DEI haud dubiè vox, cujus vim, quoniam cedros confringit & rupes, sustinere non valuit Augustinus. Ingenium illud veritatis amans, rectique, vel in maximis flagitijs, retinens, potentis hujus argumenti momento, planè depulsum est de vetere diuturnaque sententia. Vinci itaque se passus, id velle statuit, quod ad id usque tempus voluerat tantum fictè; fuitque tam firma, tam efficax voluntas, nulla ut deinceps re à suscepto semel consilio & sanctioris vitæ curriculo dimoveri potuerit. Quod olim Augustinus ficta vidit sub imagine, habetis hodie, Auditores, graphicè expressum. *Psal. 28.*

Non jam adumbrata vos sanctitas, sed ipse sanctitatis autor DEUS, compellat his verbis. Converte oculos, homo flagitiose, in beatos illos cœlestis Regni cives, quos ex toto collegi orbe, & quorum numerus numerum superat stellarum. Intuere magnanimos illos Athletas, qui, quoniam certarunt olim generosè, quoniam sanctè vitam finierunt, quam sunt promeriti, justitiæ coronâ jam fruuntur. Quod fecere illi cur non possis? cur non facias? *Et tu non poteris quod isti & istæ?* aciéne mentis, Auditores, an robore superiores vos Augustino existimetis, haud scio; unum scio, hoc satis fuisse ad obstinatam illius voluntatem flectendam, apud vos nihil fortasse valiturum. Sed væ vobis; quod enim saluti non erit, in opprobrium cedet ac damnationem vestram; &, si vos in reproborum numero esse contigerit, nihil magis DEI æquitatem ostendet, quàm tot beatorum conspectus, quibus, cùm essent homines, atque adeò fragiles, ut vos, nihil non possibile fuit, quamvis nihilo plura haberent ad rectè vivendum auxilia. *Non poteris quod isti & istæ?* Non ignoro, difficilia ac laboriosa quædam esse sanctitatis officia. Fateor, quæ ad Evangelicam perfectionem ducit, arctam, & crucibus passim horridam viam esse

esse. Sed præter quam quod non sunt illæ sine præmio, constat catholicâ fide; multò plura, quàm quæ necessaria sunt, ad eas ferendas, imò ad eas amandas, auxilia præsto nobis esse. Atque ut desit authoritas divina quæ id comprobet, demonstrationis loco fuerit sanctorum exemplum.

Est Tertulliani de Christo dictum insigne nullam Christiano difficultatem tantam occurrere in salutis semitâ, quam non explanet ac dissolvat exemplum Christi. *Solutio totius difficultatis Christus.* Quoniam nihil est, eodem Tertulliano autore, tam naturæ asperum, quod Servatoris exemplum non mitiget & cogat evanescere; adeò ut ex ullo uno exemplo non jam fas sit ulli opponere quicquam contra divinæ legis observationem; illo quando uno, si rectè ratiocinari volumus, non tolerabilia solùm omnia, sed facilia, sed jucunda fieri necesse est. *Solutio totius difficultatis Christus.* Verumenimvero quidquid contra dixerit Tertullianus, restabat valde gravis difficultas, quæ, quia petebatur ab ipso Christo, non solvebat ipsius exemplum. Christum videlicet, cùm nullæ in eum caderent animi pravitates, sed naturâ suâ sanctus & omnipotens esset, quæ vel fecit, vel est perpessus, multò facilius & facere & perpeti quàm nos potuisse.

tuisse. Quapropter frustra asseratur Christi exemplum; possumus enim semper, quasi pro jure nostro, humanam excusare impotentiam, eadémque ignaviam nostram prætexere. Quorum erat excusationum nostrarum occurrere vanitati? Sanctorum. Videnti enim mihi homines, haud absimilis, imò ejusdem mecum & naturæ æquè fragilis, qui DEI causá difficillima quæque susceperunt, gravissima quæque perpessi sunt, & perpessi sunt perlubenter, nihil prorsus suppetit quod opponam. Frustra gravius Christi jugum & Evangelicæ legis severitatem conqueri libeat. Tot sanctissimi mortales, quibus suave visum est jugum illud, quibus lex illa in delicijs fuit, & querelis meis locum præcludunt, & inertiam tacitè castigant. Itaque quam vim, Tertulliano autore, Christi exemplum habere debuit apud Christianos, habeat necesse est apud me unius exemplum, hoc est longè maximam. *Solutio totius difficultatis.*

Hoc argumento Paulus Apostolus ad difficillima Christianæ Religionis munera obeunda fideles olim perpellebat. Omissis quippe longioribus præceptis, magna illis & illustria proponebat exempla. Ab ipso usque Abele ad Mosen, à Mose ad Prophetas repetens, Justos om

omnes ponebat illis ante oculos. Alios in antris & cavernis abditos, in *solitudinibus alios errantes*; illos longâ inediâ & voluntarijs cruciatibus confectos; hos ad præsidum tractos tribunaria, contumelijs appetitos, damnatos, tortos, necatos propter Christi fidem, justos, inquam, illos, *Quibus dignus non erat mundus*, intueri jubens, ecquid nunc, inquiebat, ecquid nos jam moretnr? exemplis illis insignibus animati cur apertum sanctitatis stadium non decurrimus? & quando *sumus sanctorum filij*, quid causæ sit cur eorum sanctimoniam non æmulemur. *Hebr. 11.* *Ibid.* *Tobi. 8.*

Quin & illud Pauli argumentum singularis apud nos ponderis esse oportet; illa siquidem infinita sanctorum multitudo, quæ prodijt è Christi schola, mirum quantum auxit eam, de qua gentium Apostolus loquitur, testium nubem. Quid enim dicamus nos, quorum fides non jam est persecutionum expositа procellis? nos, quorum constantiam non jam DEUS exquisitis, ut olim, supplicijs periclitatur ac probat? nos qui, ut ait Cyprianus, sancti effici possumus citra ullam sanguinis effusionem? non sumus (quid enim his verbis uti dubitemus?) non sumus, si nos obviæ deterrent difficultates, mortalium omnium maximè contemnendis?

cælesti gratiæ non facimus injuriam, si nobis in animum inducimus, non posse illam confirmare nos in vexationibus plerumque leviſſimis, quæ potuit atrociſſima tyrannorum ſupplicia, omnésque necis acerbitates, apertâ geſtientis animi jucunditate condire? *ſolutio totius difficultatis.*

Nihil jam reſtat quod cauſemur, Chriſtiani Auditores; quid enim opponamus, quod ſanctorum exemplo refelli non queat? mundanis occupationibus & negotijs diſtinere nos? annon ijſdem erant Cœlites diſtenti? in periculoſas & ancipites occaſiones incurrimus: annon in eaſdem Cœlites incurrerunt? rapit nos conſuetudinis æſtus: annon eidem Cœlites fortiter reſtitêre? pernicioſi inficimur exempli contagione: annon ab ea Cœlites ſedulò deflexêre? ſunt domandæ libidines: annon Cœlites acriores multò domitas habuêre? natura ſumus delicatiore: an Cœlites ferrei erant, aut ænei? appellate vel unum ſalutis obicem, qui non fuerit illis perrumpendus. Appellate probationis ac tentationis genus, quod non ſubjerint illi, quod non ſuperarint. Componamus ſtatum noſtrum cum eorum ſtatu; officia cum officijs, pericula cum periculis; & cum ijs rebus pares omnino inveniamur, videamus num quid occur-

occurrat, unde immensum illud ac stupendum discrimen excusemus, quod inter ipsorum vitam interest & nostram; hoc est inter ipsorum fervorem & socordiam nostram; inter ipsorum integritatem, & morum nostrorum licentiam. Inter corporis vexationes sponte ab ijs susceptas, & nostram animi mollitiem. Quid afferemus ad defensionem nostram, cum illos nobiscum DEUS componet; alíne Domino serviebant? alíne credebant Evangelio? ad aliamne illi gloriam aspirabant? si majore ipsis pretio quàm nobis stetit, vel ob eam ipsam causam, haud vano in metu esse nos oportet, certò si quidem constat, quo quò tandem pretio coempta illa fuerit, non nimio constitisse ipsis, ac si res ex veritate æstimetur, quæcumque ab ijs sunt facta, & fieri par sit à nobis, valore ab ea infinitè superari.

Atenim quî Christiana sanctitas (ita quippe dictitatis) jungi & copulari possit cum mundanis vinculis queis sumus arctè constricti? qui sanctè & integrè te geras implicatus certo genere cursuque vivendi: quî? cùm tanti vestra istuc referat, permirum est, vos, qua id ratione fieri possit, nondum nosse, valdéque indignum videri debet, quam totâ vita meditari vos decebat, artem à vobis ignorari. Sed jam vobis

per DEUM, qui eam nemini non tradit, & in sanctis suis ostendit, ignaris esse non licet. Conditionem vestram Christianæ creditis contrariam sanctitati; imò cum ea stare nullo pacto posse. Erratis, Auditores; nam si res ita habeat, quod statum vestrum appellatis, flagitium sit oportet, nec tenere illum jam liceat citra graviſſimam peccati labem. Sed quoniam status vester est, vobis utique assignatus à DEO, ne ipsius providentiæ ac sapientiæ injuriam facitis, cùm obstare illum judicatis Christianæ sanctitati. Nullus est vitæ status, nulla conditio, quæ non sit & esse debeat Christianæ sanctitati oportuna. Visus eâ in re est Tertullianus nonnullâ uti exceptione, cùm vocavit in dubium, an Cæsares ac rerum domini, Christiani esse possent, aut Christiani, Cæsares. Sed convenit inter omnes, istuc inconsultè ac temerè Tertullianum in dubio posuisse. Re siquidem ipsâ comprobatum est, nullus unquam ad imperium magis natos ac factos extitisse, quàm quos ad id ipsum Christiana finxit Religio. Sed ut Cæsares & imperatores mittamus, satis apertè vobis hodie, quícumque tandem estis, DEUS ostendit, morum sanctimoniam & statum vestrum bellè omnino necti inter se ac jugari posse. Conferre

vos

vos mente & cogitatione in augustum illud gloriæ templum, in quo tot beati regnant cum DEO. Cernetis ibi complures, qui eundem, ac vos in mundo, ordinem olim ac gradum cùm obtinerent, ijsdem vinculis, ijsdem negotijs muneribúsque impediti atque constricti, in ijs tamen sanctè vixerunt, &, quod diligenter attendi velim à vobis, ijsdem usi sunt ad sanctitatem adipiscendam. Nobile illud Cælestium concilium, singulósque eorum ordines animo lustrate ac percurrite, aspicietis in ijs, qui Aulas principum, ut vos, sequuti, nunquam fidem ipsis suam magis probavêre, quàm cùm Christianæ Religioni ac DEO fuêre magis addicti. Aspicietis in ijs laureatos bellatores, qui armis, ut vos, nomen, & fortasse vestro insignius, sibi peperêre, militares animos addente illis pietate, & veram augente magnanimitatem, tantùm abest illam ut debilitaret ullo pacto. Aspicietis, qui ad reipublicæ Clavum & gubernacula, ut vos, admoti, illa (si non estis cum ijs sanctitate comparandi, ne vos offendat quod sum dicturus) illa, inquam, dignius multò, & incorruptius, quàm vos, tractarunt. Aspicietis, quibus in aula, sua una probitas præsidio fuit. Qui honores assecuti sunt, non sapientiæ nequioris adminiculo;

&

& authoritatem ac gratiam, qua inibi florebant, probitati, suæque in DEUM Religioni debuêre. Aspicietis denique, qui & fuere quidquid estis, & summam vitæ sanctimoniam sunt insuper adepti.

Sic habetote, Auditores; tales reipsa inter Cœlites numerari, eosdémque præcipuo vobis cultu esse venerandos. En patroni vestri; en exempla vobis ad imitandum proposita. Sancti, quos non afflavit aulicæ pravitatis contagio. Qui mundanam, in Aulâ ipsâ, improbitatem vicêre. Hi sunt, quorum facta nosse vos, & assiduè meditari oportet, quoniam sanctioris vitæ ipsorum notitia, vestra correctio & emendatio esse debet. Quid egêre Illi cùm erant meo loco, & quid acturi nunc essent, si in lubricâ illâ viâ, in quam conditionis meæ fato, sum impulsus, ingredi eos & insistere oporteret. Istuc ipsum vosmet interrogare par est, eò actiones vestras omnes dirigere. In alijs sanctis erit unde gratulari DEO, in his unde mores vestros emendare possitis in melius, & saluti prospicere. In eo divini conditoris providentia amore pariter ac veneratione nostra digna apparet, quòd totidem in Electis suis sanctitatis formas proposuerit, quot opus ad mysticam illam erant va-

rieta-

rietatem, ex qua sanctissima Christi sponsa, docorem suum trahit. *Circumdata varietate.* Hinc, addit Hieronymus, gratiæ suæ dona hominibus impertiens DEUS, eámque diversis ipsorum naturis accommodans, *multiformis gratia DEI*, Sanctos effinxit cujuslibet formæ, quatenus id ad omnium perfectionem & sanctimoniam, cujusvis conditionis, naturæ, ingenij, industriæ & propensionis diversitas postulabat. Hinc selegit cæloque destinavit idiotas ac literatos, robustos & imbecilles, cælibes & conjugatos, togatos & militares viros, qui & in solitudine, & in urbium viverent frequentia. Hinc perfectam & perductam ad summam virtutem eminere identidem amat ijs in gradibus, qui sanctitati majora videntur objicere impedimenta. Stupendam in Regiâ dignitate animi demissionem. Inter ipsas mundi delicias incredibile macerandæ carnis studium; summam mentis collectionem in densis curarum fluctibus, & assiduo sæculi tumultu; singulis hominibus, quos ad illum vitæ sanctioris apicem perducit, auxilia impertiens cujusque statûs propria, necessaria ad perseverandum, ad peccatum amovendum, ad jumenta salutis ad sortem & rationes cujusvis accommodata; adeò ut arcano prædestina-

Psal. 44.

1. Pet. 4.

destinationis consilio, quam non possumus satis admirari, noluerit ullam in terris existere vitæ conditionem, quæ sanctos suos, in Cælestium cœtu collocatos, & ut tales publica populorum Religione cultos, non habeat. Quam ob causam? ut non solùm nullus esset qui vitæ licentioris errata meritò refunderet in professionem suam, verum etiam ne ullus esset cui vivam sanctitatis sibi propriæ formam, professio ipsa non offeret imitandam.

Hæc morum doctrina ad eos attinet generatim omnes, qui mihi nunc aures præbent; sedenim illud magnopere me recreat ac reficit, Rex Christianissime, quòd illam coram Majestate tua dum trado, in ipsius pectore excelsáque mente ea cuncta inesse sciam, quæ ad illius gustum & amorem excitandum, mihi sunt optanda. Verba enim facio apud Regem, cujus propria ac peculiaris laus est, ut possibile, imò facile sibi reddiderit quidquid vel Regno suo, vel Christianæ Religioni honorificum, suscipiendum duxit, & ad exitum perducendum. Verba facio apud Regem, qui, ut triumpharet de imperij sui hostibus, ea edidit facinorum exempla, quæ seræ posteritati incredibilia videantur, quia veriora sunt quàm vero similia; &, ut Ecclesiæ ho-

hostes debellet, ea profert in dies admirabilis zeli sui prodigia, ut, apud nos qui videmus, adeò ipes nostras omnes vincunt, fidem illa vix inveniant. Verba facio apud Regem, singulari beneficio editum ac procreatum ad ea, quorum molitionem Augustissimi ipsius decessores, ne animo quidem movere unquam & agitare sunt ausi, quoniam ipsius tantùm erat hæc omnia & aggredi, & perfecta reddere. Acre illud divini cultûs studium, ille gloriæ cœlestis ardor, Rex Christianissime, cœlo Reges asserit, & esse debuit gloriosæ tuæ sortis terminus. Nam excelsis, quæ spectantur in terris, excelsior Majestas tua cùm jam crescere non possit hominum oculis, cum mundanam gloriam omnem veluti exhauserit, felix ipsius fatum erat, ut supremo deinceps Numini pretiosam vitam, heroicósque labores omnes consecraret. Tribuit DEUS, natalium jure, florentissimum orbis terrarum Regnum, aliud in Cœlis, quod Electorum est, postmodum daturus. Inter illa duo quasi distrahitur Majestas tua, cum eo tamen discrimine, quod alterum ut materia officiorum, alterum ut virtutum suarum præmium intueri ipsam oportet. Artem porrò illam qua cœleste Regnum cum terrestri sociare possis, hoc est, aliud ut modereris sapienter, aliud ut

mercedis obtineas loco nunquam melius hauries quàm è Christianæ sanctitatis disciplinâ. Per eam enim Reges, teste scripturâ, acceptam à DEO supremam potestatem in populos exercent: *per me Reges regnant.* Per eam Reges delegata sibi à DEO officia ac munera adversus subjectos exequuntur. Uno verbo cuncta ut complectar, Reges, per Christianam sanctitatem, summi Regis vivæ sunt imagines, procuratores & administri. Atque hoc ipsum illi à DEO per me nunc dicitur, & est dictum jam tot annos, à quibus ad Evangelicam doctrinam tradendam hoc loco Majestas me tua admovit. Accipe eam lubenter & eâ reverentiâ qua par est DEI omnipotentis & Regis Regum sermonem. Erit is Majestati tuæ, uti confido, & vitæ sanctioris, & salutis semen sempiternæ. Amen.

Prov. 8.



IN

IN DOMINICA PRIMA ADVENTUS CONCIO.

De Judicio extremo.

Erunt signa in Sole, & Lunâ, & Stellis, & in terris pressura gentium .... arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ supervenient universo orbi. *Luc. 21.*

REX CHRISTIANISSIME

A His monstris, ac prodigiis Cælestibus quæ sunt à Christo prædicta, & formam nobis exhibent commutationis maximæ stupendæ, initium habeat necesse est horrenda illa Orbis Catastrophe *Erunt*

signa; in Cœlo utique ac terris. Signâ veneranda quippe quæ notata à Christo præsagia sunt, velut certa, supremi sui Adventûs Signa salutaria, iis enim ille idem est usus, ad fidem nostram, gravi veluti veterno torpentem excitandam. Signâ formidolosa; quorum ad conspectum non homines solùm arescere oportet sed & *virtutes Cœlorum moveri.* Luc. 28.

Constant hæc omnia, inquit Chrisostomus; atenim signa illâ tametsi veneranda, tametsi salutaria, tametsi formidolosa, quidam erunt duntaxat apparatus, rei cogitatione nostrâ longè gravioris, longèque magis metuendæ. Judicium dico extremum, Christiani Auditores, de quo verba apud vos ut faciam, postulat muneris mei ratio. Judicium, cujus, vel sola recordatio, viros sanctissimos perterrefecit; Unde & justissimus quisque, si Apostolo Paulo credimus, vix salvus evadat. Judicium, cujus æquitatem, ac sanctitatem ut defendam hodierna die, in quo fundari potissimùm debeat summa ipsius & inevitabilis severitas, demonstrare agredior. Adsis defensori tuo, DEUS optime, maxime, & ad argumentum tam solidum, tam grave, ut par est, pertractandum, necessarias vires suppedita- Sed debitam verbo tuo docilitatem, & obsequelam his auditoribus meis simul

ima

imperti. Nullum enim ratiocinationis meæ tenuitati locum hodie daturus, in verbo tuo hærere, verbum tuum unum, in eorum omnium, quæ dicam, probationem, afferre constitui. Fac, ut tam necessaria cognitu res, divino tuo spiritu benigniùs afflante, eorum corda, qui mihi aures præbent, tantùm afficiat, quantùm & potest, & debet. Præsidium, in id, tuum, opitulante Virgine Deipara, supplex imploro.

Ave Maria.

DEum, qui suprema est, & nulli obediens natura, omnia sui ipsius causâ fecisse, fides Catholica docet. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Proverb. 16. Eadem & fide constat, DEum, de supremo suo dominio nihil derogantem, cuncta etiam, Electorum suorum gratiâ, molitum esse. Cui rei omnino consequens est, inquit Chrysostomus, duo illa dum explanat doctrinæ Christianæ capita, eundem, cùm universum hominum genus judicare constituit, duo potissimùm spectâsse; alterum, ut suum sibi, alterum, ut Electis item suis, quod ipsorum est, tribueret. Necessaria utique consecutio, in qua insistere placet, utpote quæ gravissima & maximè accommodata visa est, ad solum utilissimæ huic concioni veluti

sternendum. Ordinem illius ac partitionem accipite. DEUS gloriæ suæ studiosissimus defensor, judicium de hominibus olim pronunciabit, ut sibi ipse quod suum est tribuat. Hinc, quoniam Christus, ut DEI filius, ei judicio præesse debet, cum cunctis aderit supremæ potestatis & majeLuc. 21. statis insignibus. *Venit cum potestate magna & majestate.* Hoc primum. DEUS in promissis suis nunquam non fidus, judicium de hominibus pronunciabit, ut electis, quod suum est, tribuat. Hinc Christus ad discipulorum animos, excusso metu, erigendos & confirmandos, summam illam diem semper ante oculos proponebat illis, expectare eam jubens, ut malorum omnium finem, & sempiterIbid. næ beatitatis initium. *His autem fieri incipientibus. respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Hoc alterum. Capita duo, quæ quod est in divino judicio præcipuum, ac peculiare, complecti mihi vdentur. Cætera omnia, quamquam valeant terrori incutiendo, si modò aliquis superat in nobis religionis sensus, illius tantùm dicenda sunt veluti præludia quædam. Sed cur terribilia & videntur, & sunt illa divini judicii præludia? geminas ob causas quas attuli. Quonim judicio terminari debent, in quo DEUS, quæ sua sunt ultimùm

mùm reddet. Quoniam ea, judicium ſubſequetur, in quo, Electis reproborum malo & damno, id omne quod ſuum eſt palam tribuet DEUS ac plenè. Hæc duo ſi tollas, non ſubita ſolis obſcuratio, non ſtellarum caſus, non cætera ſigna, inſtantis judicii prænuntia, quicquam habeant, vel ipſis hominibus nequam, valde formidandum. Hæc duo ſi tollas, illam mundi hujus aſpectabilis everſionem, quæ *Filii hominis adventum* antecedet, animo expectem valde ſedato. Habere autem ſubeundum judicium, in quo & ſe ipſe, & Electos ſuos vindicet DEus, cum ingenti reproborum ignominiâ, hoc enimvero, Chriſtiani Auditores, & aſſiduæ meditationi, & terrori noſtro materiam amplam ſuppeditat. Duplex illud Chriſtianæ fidei caput, ex Evangelio depromptum, ut percipiatis, aciem mentis, quæſo vos, intendite. Eſt judicium ſubeundum, in quo DEUS, & quantùm meretur, & qnantum fieri poteſt, eſt vindicandus. Eſt judicium ſubeundum, in quo Electis, illatæ à mundanis hominibus injuriæ, quàm pleniſſimè & apertiſſimè fieri poteſt, & debet, ſunt vindicandæ. En hujus Concionis partitio & ſcopus, ad quem dum contendo, peto à vobis & precor, ut aures mihi veſtras patientes & attentas commodetis.

Matth. 24.

PARS. I. CUM eò pervenerit hominum iniquitas, ultra ut progredi non queat, tunc demùm aderit dicta cœlesti vindictæ dies.

Cap. 40. *Veniet dies ultionis*, inquit Jeremias; ac quoniam ipsorum criminibus cumulus erit additus, DEUS, qui, ad hoc usque tem-

Ephes. 2. pus, *dives fuerat in misericordiâ*, horrendam vitiorum omnium sentinam jam non sustinens, sibi ipse quod suum est tribuere incipiet. Ab eo quippe formidolosi hujus judicii necessitatem repetit Psaltes Regius,

Psal. 73. *Exurge DEUS & judica causam tuam.* Ita ille, divinæ gloriæ studio succensus. *Me-*

Ibid. *mor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die*, Reminiscere injurias, quas tibi intulere toties, nec inferre desistunt homines improbi, ne æternam illi impunitatem ac licentiam habeant. Quibus verbis ostendit, qua in re potissimùm judicii hujus severitas ponenda sit; unaque maximè vividam illius speciem in animis nostris effingit. Exurget DEUS causam ipse suam judicaturus. Acceptas injurias generatim & universè recordabitur, sed eas privatim, quas ipsi inferunt homines quidam gnaviter & insolenter impii, certi cujusdam generis ganeones, quorum improbitas, cum publicâ conjuncta est offensione, habéntque hoc proprium ac peculiare,

ut

ut ipsimet D E O superbius insultent. Excutiamus igitur ista duo, Christiani auditores, atque ex iis colligamus fide, quam profitemur, digna documenta, sed ea præsertim quæ salutarem ad usum revocari possint, & ad morum, nostrorum conducant emendationem. *Exurget D Eus*, causam ipse suam judicaturus. Nimirum præsens in tempus curam hanc aliis demandat. In tribuendis gratiæ suæ donis, in dispensandâ per *bonos* pariter ac *malos solis sui* luce dum est occupatus, jura sua sarta & tecta conservanda iis relinquit, qui rerum potiuntur. Eam in rem quosdam voluit principatum inter homines tenere; est enim Princeps, autore Paulo, supremi Numinis vindex. *Nec sine causa gladium portat*, illum siquidem distringere is debet. DEI magis causâ, quàm sui. *DEI minister est vindex iniram ei qui malum agit.* Quot sunt in terris Reges, quot Magistratus, quot Rectores, quot Antistites, quot judices, tot sunt divini juris custodes, tot divinæ causæ defensores & patroni, & ab ipso DEO constituti. Si contumelios in eum voces jactantur, si Religio proculcatur, eorum est præstare flagitia illa, meritásque pœnas sontibus irrogare. Sacerdotes enim inquit Chrysostomus, vi potestatis illius, qua peccata vel retinent

Math. 5.

Rom. 13.

Ibid.

vel solvunt, in sacro sunt pœnitentiæ tribunali, ut DEI causæ, & sacratissimi ipsius juris arbitri; talémque potestatem cùm tribuit illis DEUS, dixit, & citra exceptionem ullam dixit, *judicate inter me & vineam meam*; hoc est, judicate inter me & populum meum. Inter me, & eos homines, qui ad pedes vestros abjecti, flagitia vobis aperiunt sua. Cogite illos de iis ritè mihi satisfacere. Æquas peccatis pœnas ipsis injungite. Quæcumque solveritis in terris soluta utique erunt in Cœlo; verumenivero dum illo munere fungimini, videte etiam atque etiam, & considerate causam meam & ipsorum, sed multò magis meam à vobis judicari. *judicate inter me & vineam meam.*

Isai. 5.

Inde etiam est, quòd ubi de nostrâ cum DEO reconcilatione agitur, judices nos, quamquam in nostrâ causâ, haud recusat & abnuit. Pœnitentiam enim hominem flagitiosum obire nihil aliud est, quàm DEO, quod DEI est, ab homine, damno etiam suo, tribui. Quasi DEUS dixerit, ut re quidem ipsa dixit, quod meum est tribuite nunc ultro vosmetipsi, neque fatalem illam, iræque meæ destinatam diem expectate, qua die jus ipse meum à vobis invitis, repetam necesse est. Cùm multa à vobis pecca-

peccata esse in me conscientia vestra convincat, sacro gloriæ meæ studio contra vosmetipsos exardescite, damnate vosmetipsos, vosmetipsos ultioni meæ, ne à me judicemini, mactate. Hæc enim lata ab eo conditio; unde colligebat Apostolus, si æquam in nos sententiam ipsi feremus, nunquam à DEO ferendam in nos esse. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. Cor. 11. Ita, inquam, nobiscum DEUS, causam suam, quoad vivimus, nobis permittit. Sed quid fit? id ipsum utique, Auditores Christiani, quod satis, pro materiæ gravitate, lugere ac deplorare non possumus, & divinæ, in extremo judicio, severitatis, certissimum nobis præsagium esse oportet. Nimirum illà DEI causa, hominum judicio sic permissa, quotidie, quæ ipsorum infidelitas est atque socordia, indignum in modum tractatur & agitur, molliter defenditur, deseritur turpiter, ignavè proditur. Rem ut apertius eloquar; quot scelera etiam infanda tolerantur, quæ partim negligentiâ, partim oscitantiâ, partim vitiosâ prudentiâ, partim eorum corruptelâ ac prævaricatione, ad quos attinebat ea plectere, & erant in id à DEO constituti; quot sacrilegia, quot scandala, quot abominanda vitia, quot flagitia monstrosissima, maximè

ximéque hominum generi pudenda, quorum autoribus, non ſine Chriſtiano Religionis probrò, eſt impunè. Quot impii, quibus non ſolùm indulgetur, ac mos geritur, ſed & obſervantur ac coluntur; qui vel ex ipſa ſua impietate laudes & plauſus auferunt, & hæc omnia in ſupremi Numinis contemptum? ſit offenſus quiſpiam é principibus viris; ut ei ſatisfiat, omnes unà conſpirant, nec ulla ſat prompta ſatisfactio, quæ leviſſimam injuriam ſarcire valeat. Solius DEI offenſa agitur? frigere hîc videas & languere omnia. Quantumvis officii ratio moneat, comprimendam eſſe impietatem; ubi agitur DEI unius cauſa, ſiletur, comperendinatur, moræ nectuntur aliæ ex aliis, inflecti ſe jura ac perfringi ſinunt: habetur perſonarum ratio. Quid tum inde? audacior facta impietas, fruſtrà reclamante legum ſanctimoniâ, ſacrilegium caput altius extollit. Ubi nunc ardor ille cœleſtis quo flagrabat Regius vates, & quo flagret neceſſe eſt quiſquis Chriſtiano nomine videri vult haud indignus? ubi eſt, inquam, ardor ille, cœleſtis, & apud quos viget? quoties cedere cogitur profanæ ſapientiæ? quoties vano infringitur hominum reſpectu? dicámne? in ſacro ipſo pœnitentiæ tribunali, ſæpe DEI cauſa non minus peric-

periclitatur. Quot obrepunt in eam abusus; qua plerumque absolvuntur facilitate homines flagitiosissimi, & in flagitiis suis maximè obfirmati? quæ non habetur ipsorum ratio? quam plandè ipsis palpatur à sacerdotibus, dum se eorum vitiis accommodant? agebatut olim cum Christianis, eâ disciplinæ severitate, qua DEO satisfiebat cum peccatoris incommodo: nunc eò res rediit, ut omnium optimè confessarii credas partibus illum fungi, qui cum DEI injuriâ peccatori indulget. Crescente hominum nequitiâ, mitigatus est Christianæ pœnitentiæ rigor. Si conferatur cum primis ferventis Ecclesiæ temporibus, quibus illa florebat, infœlici quadam præscriptione, priscæ illius pœnitentiæ umbra tantùm quædam & inane simulachrum videatur. Vix aliqua superant vestigia canonum illorum! quibus ob peccata hodie crebra ac penè quotidiana, annuæ pœnæ, eæque rigidæ injungebantur. Idem tamen DEus qui quondam. Jura ipsius æterna & mutari nescia, eadem semper manent. Sedenim nobis ipsis, Auditores Christiani, non aliis tribuenda est illa severioris disciplinæ mitigatio. Nobis, inquam, quorum improbitas obstinata, Christi ministros quodammodo perpellit, ad eam indulgentiam, quæ nobis crimi-

crimini magis, quàm illis est olim danda, & ad æternam animæ nostræ perniciem evadat necesse est. Nos, arte non unà, ipsorum zelum enervamus, constantiam infringimus; nos, vel invitos, ac renitentes cogimus, vitiorum nostrorum fautores fieri, atque adeò primi ac præcipui sumus divinæ causæ prævaricatores dicendi.

Eam ob rem, quod jam dixi, DEum, ut causam ipse suam defendat, Vates Re-
Psal. 73. gius hortatur his verbis; *exurge, DEUS judica causam tuam.* Fac eam, Domine, per te ipse, defendas nec eas partes alii committe. Hâctenus, ut es, *Patiens ac*
Psal. 7. *fortis DEUS*, mira sivisti tranquillitate, ab iis ipsis jura tua prodi, quos eorum patronos ac vindices esse oportebat. Jam tempus est, tot ac tantis malis finem
Ibid. imponere. *Memor esto, improperiorum tuorum, eorumque ab insipiente sunt totâ die. Memor esto* rem tibi esse cum rebellibus, qui sanctissimis tuis dotibus dum abutuntur contra re ipsum, patientiam tuam, inertiam, fortitudinem tuam, imbecillitatem interpretantur. *Exurge*, & longam illam cunctationem ac tarditatem, non prohibere, quin tibi id omne quod tuum est, plenè tribuas, ostende. Hoc ipsum est Auditores,

quod

quod fiet à ſupremo judice DEO. Quis iſtuc aſſerit? DEUS ipſe his verbis, non minus formidoloſis, quàm vehementibus. *Si arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hoſtibus meis.* Quaſi dicat: cùm ſupremam judicandi poteſtatem, hominibus, qui eâ abutuntur, ademero: cum ea tandem receptâ uti incipiam per me ipſe; Cùm *arripuerit judicium manus mea*, tunc enimverò jura mea recuperabo, tunc cauſa mea victrix erit, tunc immiſericordis illius, quam dudum ſpiro, vindictæ pondus efficiam ut hoſtes ſentiant. *Reddam ultionem hoſtibus meis.* *Deutr. 32.*

Hinc fatalis illa lux, ſupremo Judicio deſtinata, *Dies Domini* apud prophetas appellatur. Quid ita? quoniam alienæ omnis utilitatis eo die oblitus, ſuæ ipſius gloriæ palam DEus atque unicè ſerviet. Alii dies hominum dies dici quodammodo poſſunt; quoniam per eos DEUS, eò tantùm potens, eò tantùm providens - eò tantùm bonus ac benignus fuiſſe videbitur, hominum ut commodis conſuleret. Cùm autem dies illa, dies formidabilis illuxerit, ſibi ipſi potens, ſibi ipſi bonus; ſibi ipſi benignus eſſe incipiet. Eam ob rem, diem illam, in ſacris paginis, ſuam fore ſignificat. *Dies Domini.* *Zach. 14.*

Hæc

Hæc est hora vestra, aiebat Christus, nefariam illa Judæorum cohortem alloquens, quæ ad se comprehendendum ac vinciendum accesserat. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Quidni liceat & mihi, Auditores, eam in sententiam affari vos, quicumque tandem adestis profanis mundi legibus addicti. Sunt hi dies, dies vestri, aut si vultis, fausti sunt ac fœlices dies vestri, dies illi quos in lætitiâ ac voluptate exigitis, dies illi, quibus lethiferâ mundi dulcedine ebrii nihil nisi fluxa falsaque ipsius gaudia cogitatis; dies illi, quibus eorum omnium, quæ ad salutem pertinent, prorsus obliti, nihil, præter ambitiosa vestra consilia, animo volutatis; dies illi, quos in ludo, quos in amatoriis artibus, quos in assiduâ consumitis libidine; sunt, inquam, dies illi, dies vestri, & cum falsò existimetis, vobis solis eos illucere, tenebricosis operibus, & explendis cupiditatibus vestris impenditis, quos pia sibi opera, quos sancta Christiani hominis officia meritò sibi vindicant. *Hæc est hora vestra, &c.* Verùm expectate luctuosum illum diem, qui cæterorum omnium finis ac terminus esse debet; ut vobis nunc vestrum est, ita & DEO suum aliquando tempus aderit. Hoc autem postremum, illud ipsum est, quo vos ad suum tribu-

Luc. 22.

nal

nal adesse jubebit. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Cum tempus meum arripuero, inquit DEUS, non solùm sententias in me latas injustè, sed & eas ipsas, quæ mihi in speciem favent, judicabo; non peccata solùm admissa contra legem meam, sed & falsas, quæ illa sunt consecutæ, pœnitentias; non vera solùm flagitia, sed & speciosas & invalidas contritiones, confessiones infructuosas ac nullas; imperfectas, & innumeris noxis multò inferiores pœnas. Quoniam tempus meum aderit, judicia ipsa judicabo, judicia, inquam, falsa & erronea flagitioso ab homine, contra se ipsum, lata, seu cùm sibi indulsit, seu cum crimina excusavit, seu cùm eadem purgare studuit. *Cùm accepero tempus ego justitias judicabo.*

Et verò solius DEI est, Auditores, & petitoris & judicis, in suâ causâ, personam sustinere, idque citra ullam appellationis spem. Jus illud sibi non arrogant potentissimi Reges, aut eo certè non utuntur. Si qua fortè privatis de rebus, inter se, sibique subjectos, controversia nascitur, æquitate planè Regiâ, non recusat eorum quisque judicis personam abjicere ad tempus, rémque omnem liberi alicujus, medij, ac minimè suspecti judicis arbitrio permittere. Id re-

ligiosis principibus usuvenit. Quin & nonnulla ejusmodi æquitatis exempla, non sine magna animi voluptate, videre nobis contigit, & verbis etiam ornare. Sed quibus de causis remittendum quidpiam Reges censent de suo jure, ijsdem DEUS adducetur in supremo judicio, ad jus suum retinendum integrè atque conservandum. Sunt rationes illæ tanti ponderis, ut non possit non ijs permoveri quisquis eas cognitas habebit, penitúsque perspectas. DEUS enim inquit Chrysostomus, in sua causa judicium faciet, quoniam illa eadem ab alio rectè judicari nequit. Judicium faciet in suâ causâ, quoniam injuriæ, sibi per peccatum illatæ, magnitudo, ab eo solo planè cognosci potest. Judicium faciet in suâ causâ, quoniam peccati gravitatem, eique debitas pœnas, præter DEUM, nemo intelligit; & infinita debet divinæ naturæ dignitas, utriusque esse mensura. Se ipse vindicabit ut DEUS, quoniam plenè à nullo vindicari potest nisi à seipso; quoniam alia quævis vindicta, levis fuerit atque imperfecta. Quoniam nullus superior, nullus æque intelligens, nullus æquè integer judex, à quo plenam illam ac perfectam, pro suo jure, vindictam expectet. Se ipse vindicabit. addit Chrysostomus, quo-

quoniam solus est naturâ suâ sanctus, solus laudabilis, solus in vindicandis offensis suis irreprehensus. Hinc illud, *mihi vindicta.* Quasi dicat; mihi uni vindicta reservata est. Mihi, cujus est & illam certis coercere finibus, &, ut æqua sanctaque sit, perficere, non autem hominum, qui dum eam sibi sumunt, vertunt in crimen. Etenim cùm seipsi homines ulciscuntur, efferri iracundiâ, exacerbari, malignitati suæ indulgere, totas nativæ ferocitati habenas permittere solent, nec servare ullam in vindictâ æqualitatem; ut levem injuriam puniant, atrocem inferunt, in quo sibi & gratulantur & plaudunt. Igitur ratio postulat ut ipsos alius ulciscatur, quoniam ne id per se ritè efficiant, nimia prohibet mentis cæcitas, & ad injustitiam innata propensio. DEI unius est, iterum dico, DEI unius est, qui est sanctitas ipsa, suas per seipsum injurias ulcisci. *Mihi vindicta.* Sancta utique ultio! quæ cuncta ultionum nostrarum venia emendabit. Veneranda ultio! quæ eò tantùm spectabit, ut peccatum puniat, & in divino concepta pectore, honore nostro non minus, quàm ipsa DEI sanctitas, erit digna. Igitur non ex vanâ autoritatis ostentatione, inquit Chrysostomus, sed ex necessitate, ad causam suam per

Rom. 12.

ſeipſum judicandam. DEUS accingetur ; nec myſterium aliud divina hæc ſententia continet ; *Exurge DEUS, & judica cauſam tuam.* Pergamus porrò, & Prophetæ mentem ſubſequamur. *Memor eſto*, inquit ille, *improperiorum tuorum.* Agite nunc Auditores, inſpiciamus, idque ſingillatim, quænam ſibi ingeſta ab impio probra, in ſupremo judicio ſit recordaturus potiſſimùm, & juſtis pœnis affecturus. *Eorum quæ ab inſipiente ſunt totâ die.* Extant illa Pſal. 9. & 13. conſignata ; atque hoc loco attentionem veſtram omnem poſtulo. Quam ob cauſam, quærit Rex ſanctiſſimus, DEUM impius ad iracundiam provocavit? *propter quod irritavit impius DEUM?* quoniam tres illas contumelias in DEUM, ratione & conſcientia nequicquam reclamante, ſciens ac volens, tacitè jactavit. (Aures advertite, & cavete, ne quid ex his quæ ſum dicturus, vobis effluat) DEUM impius irritavit, cùm dixit tacitè ſecum ; ſi DEUS exiſtit, haud ſatis perſpexit, aut, ſi perſpexit, oblitus eſt flagitia mea. *Dixit in corde ſuo : oblitus eſt DEUS : avertit faciem ſuam ne videat.* Quæ contumelia eſt in ipſius providentiam, quam impugnavit, & cui ſe ſubtrahere voluit. DEUM impius irritavit cùm dixit tacitè ſecum ; ut perſpexerit

Pſal. 12.

Pſal. 9.

Pſal. 9.

rit delicta mea DEUS ille, cujus minæ mihi proponuntur ad terrorem; ut ea habeat in memoriâ, negotium mihi non faceſſet, æternas pœnas non expetet tam levem ob cauſam. *Dixit in corde ſuo: non requiret.* Quæ contumelia eſt in vindicem DEI juſtitiam, quam ſprevit impius, & cujus jugum conatus eſt excutere. Quid aget DEUS? diſcite, Chriſtiani Auditores, quam in rem divinum judicium fieri oporteat. Iſtuc fortaſſe nunquam ſatis percepiſtis. Tribus prædictis contumelijs, quas habet in memoriâ irritatus DEUS, quàm graviter ijs offenſus fuerit, tandem oſtendet. Eò enim conſilio homines judicabit, ut ijdem vel inviti, agnoſcant, nihil ignorâſſe DEUM illum, nihil oblitum eſſe ex occultiſſimis ipſorum flagitijs. Judicabit, ut impijs blaſphemum os obſtruat, dum planum faciet, DEUM illum, qui adverſus peccatum odium gerit immortale, nihilo magis peccatorem in omne tempus impunitum relinquere poſſe, quàm deſinere eſſe DEUM. Quas in res mentem defigimus, Chriſtiani Auditores, ſi graviſſima illa fidei dogmata, non aſſiduè meditamur.

Ex mero juſtitiæ ſtudio, qua ſibi DEUS quod ſuum eſt tribuere debet, illam di-

vinitatis notionem ? in impiorum corde, per peccatum obliteratam, reſtituet. Inde enim eſt, quòd poſtquam in naturæ patibilis aſſumptione, quæ humilitatis illius myſterium eſt, *DEUS* extitit *abſconditus*, pro formidoloſo illo ſedens tribunali, de quo hodierna Evangelij lectio, cum omni regiæ majeſtatis & gloriæ ſplendore, ſeſe oſtendet. Inde eſt, quod apparebit innumeris Angelorum cohortibus ſtipatus, & in unum mortales omnes colliget, quòd ad ejus aſpectum nemo non hærebit pavore defixus; quòd aſtra defectione, elementa perturbatione etiam ac confuſione ſuâ, ſupremum ipſius dominium teſtabuntur. Cur deſcendet in terras cum tali apparatu ac pompa ? ut dicat, pro ſuo jure, inquit egregiè Chryſoſtomus, ut dicat atheis, ſeu fide, ſi qui ſunt ejuſmodi, ſeu moribus quorum infinitus eſt numerus, quod jam per Moſen pronuntiaverat, & tunc pronuntiabit manifeſtius. *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius DEUS præter me.* Confitemini tandem me DEUM eſſe, quandoquidem, vobis fruſtra reluctantibus, pro me terrarum orbis armatus, ſummam, quæ vos, ad id in dubium vocandum, induxit, dementiam damnat. Confitemini me jam DEUM veſtrum, quandoquidem veſtra

Iſai. 45.

Deut. 32.

vestra stolidè ferox impietas prohibere non valuit, ne in manus meas incideretis, & velitis, nolitis, judicij mei inevitabilis severitas, vobis est nunc subeunda. Confitemini me DEUM unum, quandoquidem principes illi, quos habuistis Deorum loco, quos velut idola quædam coluistis, nulli jam sunt coram me. *Videte quòd ego sim solus.* Quæ Deuteronomij verba, in divino judicio complenda sunt proprio sensu, nec vim unquam majorem videbantur & magis apertam habuisse.

Etenim in hac mortali vitâ (istuc asserit DEUS ipse) sunt principes velut totidem terrestres dij. *Ego dixi dij estis.* Prohibent autem illi, inquit Chrysostomus, ne Cœlesti DEO, quod ipsius est, tribuatur. Dum regia majestas, dum diadematis splendor, hominum oculos assiduè præstringit, dum stupent in ijs, dum se ad Deos illos aspectabiles arctius adjungunt, dum ijs unis animum occupant, venit in oblivionem ille ipse, cujus sunt imagines quædam, & est supremus mortalium omnium regnator. Atenim Dij illi terrestres, in supremo judicio, pudore confusi, abjecti ad Christi pedes argumento erunt impijs longè validissimo, DEUM existere, commentitijs illis dijs superiorem. *Excelsus super omnes Deos;* hoc est, DEUM, qui necessariò, qui

Psal. 2.

Psal. 41.

unicè, qui in omnem æternitatem sit
Isai. 2. 11. DEUS. *Exaltabitur Dominus solus in die illâ.* Quasi dicat Isaias, in illâ die, solus DEUS & erit, & videbitur magnus. Quidquid DEUS non est, exiguum, humile, abjectum, atomi instar, *tanquam*
Psal. 83. *nihilum ante* illum. Sensus est, in illâ die; depressa cernentur humana quæque fastigia, eversæ fortunæ omnes, solia cuncta dejecta, obliterati honorum tituli, ordines & gradus omnes confusi. Solus in omnibus eminebit, solus regnabit DEUS. *Exaltabitur Dominus solus.* Neque hoc satis est.

Quoniam dixit tacitè secum impius; aut ignoravit, aut est oblitus DEUS flagitia mea; ut gemina illa confutetur, de divina providentiâ, opinio, ostendet DEUS, nihil latere ipsum, nihil ipsum obliviscì. Ideò enim in die illâ lucidâ palam faciet quæcumque impij sibi falsò persuaserant, æternis illum tenebris mandâsse. Ideò opprobria ipsorum omnia, ignominiam omnem constituet in omnium gentium conspectu. Flagitia illa fœda atque pudenda; flagitia, quæ illo ipso tempore, quo committebantur, erubescebant vel inviti; flagitia, quorum vel leviſſimam suspicionem ægerrimè tulissent in se consistere; flagitia, quæ amicorum

tum prudentissimo ac fidissimo fateri nunquam sustinuissent ; flagitia , quæ palam facta , infamiam illis inussissent nullo unquam tempore eluendam , & quorum exprobratio , minus ipsis tolerabilis fuisset, quàm mors ipsa. Hæc , inquam , omnia DEUS apariet. *Revelabo pudenda tua in facie tuâ, & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Nahu. 3. Nusquam , inquiet ille , nusquam faciem averti à sceleribus tuis. Vidi ea , vidi tametsi horrori essent, & ne obliviscerer, scripsi in hoc vitæ & mortis , qui nunc profertur , libro ; & ijs literis scripsi , quæ deleri nunquam possint. Tot facta turpia & honesto viro indigna , tot clandestina latrocinia , tot tetras perfidias , tot abominanda crimina , quibus vitam omnem inquinâsti ; *Nonne hæc condita sunt apud me & signata in thesauris meis* ? Deut. 32. illos utique cœlestis iræ thesauros aperiet DEUS , cùm mortales omnes ad suum tribunal vocabit. Atque ita ulciscetur injuriam, quam ipsi inferunt homines impij cùm credunt , aut credere volunt , oculis veluti captum , res humanas non curantem DEUM ; idolis illis *quæ oculos habent & non vident* , haud absimilem DEUM. Denique quoniam ita secum impius ; quantumvis DEO nota & perspecta sint peccata mea , rationem eorum à me non reposcet, æternis supplicijs non addicet tantillam ob

rem, in id sibi DEUS incumbendum, quasi ex officio, ducet, ut justitiam sanctitatémque suam ab hac vindicet impietatis labe. Qua autem ratione? cùm aget in impium summo jure: cùm crimina ipsius nulla prætermittet, nulla condonabit, cùm ea puniet omnia, & pro suâ quæque gravitate; uno verbo cuncta ut complectar, cùm faciet, ut omne sentiat judicij hujus immisericordis pondus, cujus vel sola cogitatio horrorem incutit, integramque postulet concionem, si severitatem illius omnem verbis explicare contendam; judicij, inquam, immisericordis, quod DEUS exercebit, sed adversus ea potissimùm flagitia, in quibus homines mundani & impij, ut impunius peccent, quoddam sibi Religionis systema statuere non dubitant, DEUM comminiscentes ipsorum cupiditatibus accommodantem sese, conniventem ipsorum vitijs, indulgentem & commodum, qui in sua crimina nunquam inquirat, DEUM. *Dixit enim in corde suo: non requiret.* In superbissimum enim illud hominum genus, severitatis suæ aculeos potissimùm exeret supremus ille Judex. Quid ita? quoniam sanctitas, quæ maximè veneranda est. DEI perfectio, eximenda calumniæ erit atque purganda. *Quoniam veritatem requiret Dominus; & retribuet abundanter facientibus superbiam.* Psal. 30.

Hæc

Hæc sunt, homines flagitiosi, quæ vobis in divino judicio magis formidanda videri debent. DEUS offensus, qui sibi ipse de offensis suis satisfaciet. DEUS spretus, qui injurias ipse suas ulciscetur. Hæc sunt, quæ sanctissimos quosque viros terrore affecerunt maximo. Verumenimvero quantumvis peccatis onusti, animum erigite; hac vos cogitatione reficite; quô res cumque vestræ fuerint locô, adhuc vobis perfugium supereſt, idque certissimum, pœnitentia videlicet Christiana. Amabilis utique pœnitentia, inquit Bernardus, per quam in me est situm, ut DEI judicium prævertam! felix pœnitentia, inquio ego, per quam DEUM ulcisci, DEUM placare, DEO satisfacere licet; adeò ut, cùm judicaturus veniet, jam ei sit à me satisfactum, jam sit à me judicatus, nec necesse habeat, per seipsum vindicare injurias suas, per seipsum sibi ipsi satisfacere. Sic est, Auditores; ut id efficiat pœnitentia nostra, omnes solidæ veræque pœnitentiæ proprietates habeat oportet. Debet accurata, fervida, efficax, severa esse; debet peccatorum nostrorum gravitati ac multitudini respondere ex æquo; alioqui nec satisfacere DEO, nec ipsum unquam ulcisci licebit: nimiò possumus cœlestis judicij severitatem redimere? possumus queri, graviora exi-

exigi à nobis, ubi de noſtrâ agitur cùm irato Numine reconciliatione? verum quidem eſt, DEUM nobiſcum acturum, pro judicij ratione, quam tenemus erga nosmetipſos in agendâ pœnitentiâ; nec parciturum, ſi nobis parcamus. *Sibi parcenti ipſe non parcit*, ait Auguſtinus. Sedenim è contrario hinc conſequitur, ſi mihi ipſe non fuero indulgens, DEUM fore indulgentem; ſi mihi ipſe non pepercero, DEUM mihi parciturum. Si rigida ſit pœnitentia mea, judicium ipſius mihi favorabile futurum, denique ſi nobismetipſi judices molliores non fuerimus, DEUM nobis mitem ac miſericordem fore. Quid autem mihi melius poſſit eſſe in optatis? ah! indignus ſim, Domine, miſericordiâ tuâ, ſi dura videatur hæc conditio, imò ſi rigidiſſimæ pœnitentiæ labores non numerem in maximæ felicitatis parte; &, non dico injuſtiſſimus, ſed mortalium dementiſſimus meritò habear, ſi molli ac remiſsâ pœnitentiâ, judicij tui ſeveritatem vitari à me poſſe confidam.

Sic vos ratiocinari oportet, Auditores; ac ſi reperiantur in vobis, ex illo depravatorum hominum genere, quorum impietas eò ſit progreſſa, ut DEUM, non jam agnoſcant ullum, facere non poſſim, quin illos his verbis compellem. Audite, Fra-

Fratres, ô vos, quorum salutem mihi meâ vitâ potiorem esse decet, & ad quos revocandos in viam, zelo, si fas est ita loqui, sentio me inflammari prorsus divino; vos, pro quibus, si liceat, etiam *anathema.* Pauli Apostoli exemplo, esse non recusem. *Audite*, inquam, *hodie Domini vocem, & nolite obdurare corda vestra.* Ille ipse, quem non agnoscitis, DEUS. habet adhuc residua quædam gratiarum auxilia, quæ vobis impertiat; ut non est, *manus ejus abbreviata*, per illum non stabit, quin pœnitentiâ, lacrymisque vestris flectatur. Cujus rei admodum suave argumentum esse potest, & velut certissimum pignus, patientia illa tanta, qua usus est in perferendis peccatis vestris. Tametsi judex est in vos charitate planè paternâ: misericordiæ suæ divitias ostendere amat in flagitiosis, vestríque similibus impijs. Quantumvis offensioni fuerit atque scandalo vita vestra, in vobis nihilominus situm est (& quis scit an qui inter vos maximè impij, in id ipsum non elegerit DEUS?) in vobis, inquam, situm est, *ut vasa sitis electionis.* Redite in viam, & humili confessione horrendæ cæcitatis, in quam estis per peccatum prolapsi, perficite, *ut gratiam in DEI oculis tandem inveniatis.* Vestra mutatio & in ejus gloriam, & Ecclesiæ

Rom. 9. Psal. 94.

Isai. 59.

Act. 9.

Gen. 18.

cedet

cedet utilitatem. Tuo nomine loquor, DEUS optime, neque vereor, ne in tua misericordiâ prædicandâ, finem & modum transeam; illa siquidem infinitis partibus adhuc superat charitatem, qua eos complector. In supremo judicio sibi ipse DEUS quod suum est reddet; hoc docui; Electis, quod ipsorum est, qua sit ratione redditurus, jam supereſt ut doceam.

PARS II.

DIXI, quod constat, sacrâ id scripturâ attestante, omnia Electorum præcipuè causâ molitum esse DEUM, eorum causâ aspectabilem hunc mundum condidisse; conservari eorum causâ, illi si desint, destruendum. Consiliorum ipsius omnium finem ac scopum eos esse. Denique seu naturæ, seu gratiæ, seu gloriæ à DEO constitutus ordo spectetur, nihil non ad eosdem dirigi atque referri. *Propter electos.* Fatendum tamen, istuc ipsum, quod est tam honorificum electis, non perficiendum propriè nisi in supremo judicio. Nam, ut ait Chrysostomus, si unà cum corpore animus extinguitur, nec ulla sit vitæ melioris spes; si nullum nos DEI judicium expectet, non facilè intelligas, quid tam singulare sit electis privatim à DEO concessum. Quin potius sæpe tibi in animum inducas, haud sine causâ, nihil prorsus, certè perparum propter electos,

Timot. 2.

ctos, tantum abeſt ut cuncta propter ipſos ab eo facta credantur. Quippe electi, quamquam nobilis DEI portio, non eum quoad vivunt, gradum tenent, eos qui ſecernat mortalium vulgo, & ſingulare in ipſos divinæ providentiæ ſtudium & amorem oſtendat. Imò ſtupendo DEI conſilio, quod ſibi tentationis & anxietatis materiam fuiſſe, Pſaltes Regius confitetur, electi, hoc eſt juſti, dum manent in vitâ, ſæpe calumnijs, quæ eſt hominum malignitas, lacerantur, & habentur pro impoſtoribus, tantum abeſt ut pro juſtis ac ſanctis habeantur. Electi, hoc eſt humiles, quoad vivunt, non modò non ſunt in honore, verum etiam ſæpe laborant contemptu, ſæpe illuduntur. Electi, hoc eſt, Pauperes, dum vita manet, ſæpe excluduntur divitum limine; ſæpe jacent deſerti ab omnibus, tantum abeſt eorum ut egeſtati ſubveniatur. Electi, hoc eſt, vulgò imbecilles à potentioribus opprimuntur, nedum in ipſis præſidium & opem inveniunt. Hæc autem omnia non congruere videntur & cohærere cum amore illo peculiari, quo dicuntur prævertendi à DEO. Conſtant hæc quidem, inquit Chryſoſtomus; at ex eo ipſo colligitur divini judicij neceſſitas, Quorſum enim venturum olim dixero, ſupremum illum Judicem Chriſtum? nempe ut electis

ctis ſuis tribuat quæ fuerint circa res illas quatuor, ab hominibus negata. Igitur habebunt in eo juſti vindicem, qui & eosdem ab impoſtorum ſecernat numero, & deteſtabile ſimulationis regnum in perpetuum exterminet. Habebunt humiles in eo vindicem, qui debito ipſos honore, ſuperbos ipſorum contemptores æterno dedecore & ignominiâ afficiat. Habebunt in eo vindicem Pauperes, qui barbarâ locupletum immiſericordiâ miſeram in luctu & egeſtate vitam trahunt; ſed quorum gemitibus ſurdum ſe nunquam fuiſſe, ſatis oſtendet. Habebunt imbecilles in eo vindicem, qui oblatas illis, quâ hominum improbitate, quâ vi, quâ autoritatis abuſu, injurias ulciſcatur. Sunt enim, Chriſtiani Auditores, hæ cauſæ præcipuæ, ſi ad prædeſtinatos reſpiciamus, ob quos DEUS ille vindex venturus dicitur in ſacris litteris. Aures & animos, prout ad quemque veſtrum res attinet, rurſum erigite. Habebunt juſti in Chriſto vindicem, qui eos ab impoſtorum & hypocritarum ſecernet numero, quemadmodum *Paſtor oves ſegregat ab hœdis*, ut Chriſtus ipſe ait in Evangelio. En quod electis ſuis primùm tribuet ſummus Judex. Hac enim in vita permiſceri videas & confundi omnia, virtutem cum vitio, cum ſcelere innocentiam, veritatem

Matth. 25.

tem cum mendacio, cum hypocrisi Religionem; qua in rerum perturbatione atque confusione, patitur justus, impius triumphat.

Porro cùm de hypocrisi loquor, non eam duntaxat intelligo, quæ pietate abutitur ad famam sanctitatis colligendam. Sumitur à me, prout latius patet. Qui locus moribus vestris informandis tam est accommodatus, ut vos vel invitos, fateri fortasse mox cogam, hoc vitii genus non esse vobis usquequaque incognitum. Etenim hypocritam eum omnem appello, qui splendidâ virtutis specie occultat, ex arte, vitæ nequioris flagitia; & eo sensu per omnes hominum conditiones fusam esse hypocrisim quis neget; plurésque inter profanos mundi amatores reperiri impostores & hypocritas, quàm inter eos, qui à pietate quam profitentur nomen habent. Quot enim scelerati sub assimulatæ latent virtutis larva? quot vitiosi, & flagitiis omnibus cooperti dant se videndos cum omni probitatis fastu & ostentatione? quot sycophantæ in sua etiam sinceritate venditandâ insolentes? quot perfidiosi ac proditores, in fide & amicitiâ fingendâ industrii? quot voluptarii maximè obscœnis libidinibus constricti,

morum affectant, quasi pro suo jure, sanctimoniam etiam austeriorem? quot licentiores fœminæ, suæ existimationis superbè studiosæ, & quæ in fœdas consuetudines immersæ, severioris pudicitiæ famam solertissimè tuentur? quot, vice versâ, innocentes, falsis criminibus arcessiti ac damnati? quot DEI famuli, quæ est sæculi perversitas, maledictis & calumniis appetiti? quot sinceri Numinis cultores habiti vulgò inter hypocritas, inter vafros rerum occultarum molitores, inter cupidos, & quos in cunctis quæstus ducit & lucrum. Quot veræ virtutes in dubium vocatæ? Quot benefacta ore maledico notata? quot detorta & aliorsum accepta? quod posita in vitiis? hæc autem omnia, inquit Chrysostomus, aperiet nudabitque judicii dies. Qualis est reipsa unus quisque, talis tunc videbitur; suus cuique locus ac debita sedes tribuetur. *Manifesta fient consilia cordium; & tunc*, inquit Apostolus *Laus erit unicuique â DEO.* Fatali illâ ac decretoriâ secretione frumenti à zyzaniis (audite Jobi oraculum, quod complebitur ad litteram, & pars quædam eorum erit, quæ DEUS electis suis tribuet) Fatali, inquam, illâ & decretoriâ secretione vana hypocritæ gaudia finem invenient, spes ejus omnes eva-

1. Cor. 4.

evaneſcent. Funeſta, ſed juſta DEI comminatio! *& gaudium hypocritæ adinſtar puncti. & ſpes hypocritæ peribit.* Job. 20. Gaudet hypocrita tacitè ſecum, obſervari ſe & colli paſſim ab omnibus, dum ipſe ſucum omnibus facit. Gaudet florere ſe gratiâ & authoritate haud aliter partâ, quàm quòd callidiſſimus eſt præſtigiator, & commodé, quaſi in theatro, probi hominis perſonam ſuſtinet. Gaudet, id ſe, longo ſimulationis artificio, perfeciſſe tandem, ut veræ ſanctimoniæ debitus honos, & ſolitum quaſi vectigal ſibi penſitetur; ut eiſdem, quibus ornari par eſt veras virtutes, præmiis donetur, citra virtutem ullam. Sunt autem hæc omnia quæ in ſacris litteris proſperitates, gaudia, regnum hypocritæ vocantur. Atenim in die judicii, illud Job. 34. hypocritæ Regnum deſtruetur, proſperitates evaneſcent; horrendum in mœrorem gaudia vertentur. Nituntur illa errore ſimpliciorum hominum, quorum oculos mendax virtutis ſulgor præſtringens, in fraudem deaucit incautos; verumenimvero poſtquam ſimplex illa mortalium credulitas ſic deluſa fuerit ad tempus, errorem poſtmodum cœleſti luce depellente, perbrevem lætitiæ ſenſum, inde hauſtum ab impoſtore ingens pudor & opprobrium ſubſequetur.

Sperat hypocrita, se nunquam penitus cognitum iri, & detestandâ simulandi arte, se fucum hominibus semper facturum; tunc nihil magis ipsum anget, quàm cùm videbit nullum jam fuco & fallaciis locum esse: nullas jam tenebras, quibus obtegat vitæ turpitudinem; detractam vitiis larvam; patere præstigias & pectus mortalium omnium oculis. *Spes hypocritæ peribit.* Cæteri DEI hostes, cùm, quales sunt, tales reipsa apparent, vel ob id ipsum, quod noti sunt omnibus, judicii, dedecorisque ex eo suscipiendi, partem haud minimam jam subiêre. At hypocrita, cui ponenda tandem erit falsæ hujus, quâ se ornat, gloriæ persona. At fœmina illa, quæ pudica habetur & cujus occultæ libidines ex latebris atque tenebris tandem erumpent; at magistratus ille, illud, si superis placet, austeræ integritatis specimen, cujus innotescent tot contra æquitatem admissa peccata; at sacerdos ille, omnium opinione atque calculo, sanctorum in numero locatus, cui supremus judex solutioris vitæ flagitia palam exprobrabit; at vir ille, honesti in speciem & recti, si quis alius, rigidus cultor, & cujus fraudes ac doli mali publicam in lucem proferentur; at amicus ille, cujus in fide & charitate præ-

præsidium omne reponis, & cujus fœdæ proditiones claræ, apertæ, & conteſtatæ erunt omnibus; at quiſquis aliis imponit, boni naturam fallaciter imitando, túncque cogetur, vel invitus, ereptum veritati decus nitorémque ſuum propalam reſtituere, hi inquam, omnes, quale, & quàm formidabile DEI judicium ſunt experturi? hæc quidem veriſſima. At contrariam ob cauſam, non tolerabile modò, ſed & acceptum, ſed & honorificum, ſed & expetendum atque optabile electis erit idem D E I judicium. Honori quippe ducent, inquit Chryſoſtomus, Angelorum & hominum oculis patere pectoris ſui intima: honori ducent, imò votorum omnium cumulus erit, diſcerni tandem cogitationum actionúmque ſuarum ſinceritatem. Honori ducent pernoſci ab omnibus, quoniam malorum, quæ perpetiuntur, cauſa eſt & origo alia nulla, quàm quòd ſatis noti non ſint aliis ſatísquè perſpecti. Atque hæc cogitatio vos ô Chriſtiani Auditores, quot quot pravis ſæculi legibus, & exemplis generosè obnixi, DEUM colere inſtituiſtis *in ſpiritu & veritate*, hæc, inquam cogitatio ſuſtentare vos debet & præſentia malla haud mediocriter lenire. Cùm illuxerit fatalis illa dies, qua, jubente DEO, mortalium omnium corda *Joan. 4.*

nuda & aperta erunt, ſpes veſtra ſupremi Judicis erecta conſpectu, jamjámque implenda, mœrorem omnem abſterget, acceptaque injuſtè à mundanis hominibus incommoda affatim, & amplo cum fœnore penſabit, dum impius pudore confuſus, turpatus, ſtupens, capite & oculis in terram dejectis, vix conſiſtet, vos ſanctam quándam confidentiam apertè præferetis. Quid ita? quoniam aderit dies, qua eximendi eſtis falſis hominum judiciis, palámque purgandi. Livor & calumnia, venenatis ſuis telis, vos nunc appetunt; tunc livori os occludetur impium; aut, ſi quid eloquendi facultas dabitur, eò tantùm dabitur, veſtram ut cauſam defendat. Tunc jacebit mendacii convicta calumnia; emerſa veritas pulchrior enitebit, nudámque ſeſe, & fuci, qualis eſt, expertem oſtendet. Interea fruimini vitæ veſtræ conſcientiâ, quæ pluris vobis eſſe debet, qâm præclara mortalium omniùm præconia. Dicat veſtrum quiſque cum Apoſtolo Paulo, bene an malè de me nunc homines exiſtiment, parum laboro, cùm mihi DEUS ſit futurus olim judex. *Qui autem judicat me Dominus eſt.* Aut cum Jeremiâ, *tu Domine, qui judicas juſtè & probas renes & corda. Tibi revelavi cauſam meam*; tuum erit de me pronuntiare. Pergamus ad reliqua. Habe-

1. Cor. 4.

Jerem. 2.

Habebunt humiles in Christo vindicem, qui contemptam laudem & gloriam meritis impetiat. Atque hoc alterum est è bonis illis, quæ ab æquo illo judice restituenda electis diximus. Voluntariam illam justi hominis demissionem, illam simplicitatem, & inferendis injuriis, sine ullo vindictæ apetitu, æquabilitatem, quæ mundanis partim mentis imbecillitas, partim animi abjectio videtur, Christus Judex ornabit, ostendétque propalam, veram in eâ fortitudinem, veram, magnanimitatem, veram sapientiam extitisse. Tunc enimvero, ait Spiritus Sanctus, (quod est à vobis non sine aliquo pietatis sensu, totíes auditum, *tunc humiles corde*, in eos à quibus nuuc spernuntur, quibus ludibrio sunt, confidenter insurgent. *Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ.* Tunc illi, mundi judicio, sapientes, qui mortales cæteros igenii robore anteire videntur, non mirabuntur solùm, sed & hærebunt stupore defixi, cùm egregios illos Christi imitatores, quos nunc habent pro mundi quisquiliis, ovantes conspicient & splendidissimis soliis insidentes. Tunc insperatâ rerum novitate percluſi ac consternati, ita secum crebro cum gemitu, *hi sunt quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.*

Matth. 11.
Sap. 5.

Ibid.

Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos sors illorum est. Tunc, inquam, testimonium illud, quamvis coactum, electorum humilitati mundana dabit superbia; illam Christi Domini promissionem aperto eventu comprobante; *omnis qui se humiliat exaltabitur.* Luc. 14. In hac quippe vita non semper imò raro fit, ut qui se volens deprimit, extollatur. Videas, qui quamquam verè humiles, ad ultimam usque vitæ metam abjecti jacent miserêque depressi. Videas, qui DEUM vocantem sequuti, & vitæ sanctioris illecti studio, abdidêre se in avias solitudines, ubi velut sepulti, penéque nulli hominum oculis, Cœlestis agonothetæ signum intenti expectant. Quam multi apprimè religioni, *quorum vita abscondita est cum Christo*, Coloss. 3. quique, ob mundi delicias generosè proculcatas, pluris apud mundanos homines non fuêre. Eam ob causam, inquit Chrisostomus, & esse judicium oportet, & erit.

Quoniam Christianis illis qui vitam exigunt perfectiorem, qui fluxam & caducam DEI causâ mundi gloriam abjecêre, æquos se non præbent homines mundani, *qui fidelis in verbis suis videri vult*, 2. Cor. 1. quod ipsorum est largo cum fœnore, DEUS tribuet. Quoniam sunt, quorum animi demis-

demissio, quamquam sincera, nec noscitur, nec ornatur pro merito, quod hominum, perit illis iniquitate, supplebit DEUS, dum extollet & ita extollet, ut mundani homines falsa gloria, ridicula vanitas, superba ambitio, à Christo judice damnata, sanctissimis Evangelii placitis sese invita ac renitens submittat; sic quando positum est, ut simul ac humilis quisque Christi discipulus attollitur, superbus deprimatur dæmonis imitator, & afficiatur ignominâ nunquam eluenda. *Qui se humiliat exaltabitur; & qui se exaltat humiliabitur.* Neque hoc satis est.

Habebunt pauperes in Christo vindicem, qui, depulsâ paupertatis illuvie, beatos ipsos efficat. Atque hoc tertium est è bonis illis, quæ sunt electis à DEO tribuenda. Atenim fide constat non dandos pauperes æternæ oblivioni. *Quoniam non in finem oblivivo erit pauperis* Fide constat pauperum *patientiam non perituram in finem*, hoc est, suo fructu ac præmio non esse æternùm fraudandam. Attamen liquet illa duo sancti Spiritûs promissa non semper hac in vitâ compleri, imò ne vulgò quidem. Quot enim pauperes oblivioni dantur? quot vivunt omni prorsus ope destituti? quæ oblivio eò magis deploranda, quòd voluntaria est, atque adeò culpanda. Rem ipsam planius exponamus.

Psal. 9.

Ibid.

namus. Quot miseri ad summam rei familiaris angustiam redacti, quibus non subvenitur à locupletioribus, quia nec nôrunt ipsos, nec nôsse magnopere laborant? gravissimam ipsorum egestatem si cognitam haberent, charitatis Christianæ, vel inviti, memores essent, certé humanitatis. Ad feralem eorum conspectum, luridàmque maciem pudori essent crebræ commessationes, blandiora corporis obsequia. Ipsi sibi exprobrarent profusos sumptus, meritóque damnarent. Sed quoniam ignorant quæ pauperes mala circumveniunt; quoniam de iis nolunt inquirere; quoniam ferre nequeunt eorum mentionem; quoniam aversantur arcéntque à tectis, extra culpam se putant quia obliviscuntur, & quantumvis, gravia sint, ad eorum mala pectus obdurescit. Quot verè pauperes repelluntur, ut subdoli egestatis simulatores, dum nemo falsis veros dignoscit, aut dignoscere studet? quot pauperes sancti, quorum lachrimabiles gemitus ad nos usque non aspirant, & quibus aures ad eos audiendos non admovemus? quot languent in provinciis derelicti? quot mœrore perditi in ergastulis? quot in nosocomiorum situ ac fœtore contabescunt quot privatis domibus ingenuus pudor includit? ex jis ipsis quorum nec dubia est, nec obscura egestas, sed pas-

passim obvia? quot negligi videas, quot acerbius accipi? quot DEI famuli, quibus nihil non desit, dum in rerum omnium abundantiâ, improbus quisque indulget luxui, voluptatibus perfluit. Si nullum esset judicium futurum, posset utique pauperies, barbarâ divitum immanitate vexata, divinæ providentiæ scandalum vocari; sedenim eam ipsam ob causam, inquit Chrysostomus, Judicium severum ac rigidum divites manet. Intelligebat hoc Psaltes Regius dum in ea verba prorumpens, *cognovi*, inquiebat, *quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.* Unde autem istuc cognoverat, ex eo quod pauperum patientia, quo sensu jam dixi, cùm perire in finem nec possit, nec debeat, necesse fuit Judicium haberi in quo innotesceret non perire reipsa; hoc est, DEUM rationem ipsius habere tantam, quantam ab æquissimo Domino expectare pro suo jure potest. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Judicium in quo illa non solùm bonorum inæqualitas, per quam factum est ut egerent, pensetur à DEO, sed & patientia ipsorum indignum in modum tentata, atque vexata abundè vindicetur. Eam ob causam *exurgam*, inquit DEUS ipse; quoniam videlicet pauperum querelis, quibus aures ac pectus divites occludunt, accensa erit iracun-

Psal. 139.

Psal. 9.

fundia mea, tandem efferveſcet atque e-
Pſal. 11. rumpet. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Hi pauperum gemitus, qui aures meas aſſiduè pulſant, vindictam orabunt, nec conditoris ac Judicis partes ſatis functum me putabo, niſi cum, ſalutari ipſis ſententiâ dictâ, nullâ in barbaros eorum contemptores miſericordiâ moveri me ſinam. Quis non credat cùm hæc in ſacris litteris legit, Judicium illud extremum, quamquam commune omnibus futurum ſit, ad pauperes unos attinere, ad eorum vindictam unam dirigi, *propter miſeriam inopum & gemitum pauperum.* Si modum & rationem attendas, qua judicis munus obiturus Chriſtus dicitur, quis non exiſtimet, in unâ pauperum curâ Judicium omne verti oportere: æternum mortalium omnium ſortem ex ea una neceſſariò pendere; hoc eſt, alios æternis ſupliciis addicendos, quia pauperum miſeriis ſubvenire negligunt; alios, quia ſubveniunt, Cœleſti gloriâ donandos eſſe. Me-
Pſal. 40. ritò igitur *beatum* hinc Propheta colligebat eum eſſe, *qui ſuper egenum & pauperem intelligit.* Quid ita? *quoniam in die malâ liberabit eum Dominus.*

Sed jam finis ſit, ſi, prius infirmos addidero vindicem pariter habituros in Chriſto qui acceptas à potentioribus injurias ulciſcatur.

scatur. De quatuor enim, quæ diximus tribuenda electis, hoc extremum est. Apud homines homo gratiosus causam plerumque obtinet. Qui valentior, ab eo semper jus stat, quidquid id est quod suscipit; & quia valentior, nihil non, quasi pro suo jure, suscipit vincitque. Quot procellæ, quot vexationes, ex authoritatis abusu, profectæ? quot calamitosi, quot viduæ, quæ, quia destitutæ præsidio, gratiæ, ceu victimæ quædam innocentes, mactantur? quot pupilli quorum hæreditas, post longas litium ambages, in avidi cedit litigatrois prædam? quot domus subversæ funditus, quia defuit, qui æquitatem, contra adversæ partis potentiam, tueretur? quot causæ justæ, victæ tamen, quia blandæ judicum prensationes, quia molitiones clandestinæ, quia partis ejusdem studia prævaluerunt: nunquam non succumbit invito jure ac legibus, qui authoritate & gratiâ minus valet. Si sunt iniqui Judices, contra eum semper, nunquam propter eum corrumpi se sinunt. Vel eo nomine quod est gratiâ & authoritate inferior, infelici quodam fato, adversari cuncta illi, nihil adjuvare. Obtinebit tamen apud te Domine DEUS, obtinebit apud te judicem, quod illi apud mortales judices negatum erit. Exurges enimvero æquitatem spirans ac-

zc-

zelum, *orphanóque futurus adjutor*, ut potentes, ut principes viri, qui potentiâ atque opibus toties abutuntur effere se insolentius desinant. *Judicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.* Ad eam usque diem ipsorum causa semper victrix erit: ad eam usque diem secundis successibus inflati, quia nihil ipsis obsistit, non potentiâ solùm, sed dexteritate ingenii, sed causæ æquitate superiores aliis videbuntur, & nullo non honore digni: ad eam usque diem gloriæ ducent illi, & in virtutibus numerabunt facta sua quæque etiam violenta; sed quàm graviter sua falsi opinione sint, tunc facilè docebis, & elatos ferocésque animos contundes ac comprimes. *Ut non apponat ultra magnificare se.* Quî autem id fiet? quia videlicet famuli illi tui humani præsidii inopes, vindicem, ac patronum in te manciscentur, qui durâ potentiorum servitute ipsos eximens, æternam asserat in libertatem. Maneat igitur à summo Judice DEO reddendum electis quod est suum. Supremam judicii diem & consummatæ redemptionis, & sempiternæ gloriæ principium ipsis fore. Quæ nos læva & inconsulta mens transversos agit, Auditores Christiani, si, cùm istuc habeamus persuasum, hæremus tamen desides in terris, nec enitimur omni-

Psal. 9.

ni ope fortunatis illis prædestinatorum turmis adjungi? ecquid agimus, ecquid molimur, si pravis mundi legibus, excussis, non curamus, ut unà cum illis DEI electis, qui tantâ confidentiâ Christi Judicis conspectum sustinebunt & nos etiam annumeremur? en autem ratio ac via qua id certò perfici possit, erítque concionis hujus legendus à vobis fructus. Agite jam nunc in vobis ipsi quod DEUS olim acturus est electorum gratiâ. Sejunget eos ab hypocritarum & impiorum numero; sejungite vosmetipsi ab jis, solidæ veræque pietatis studio. Humiles exaltabit: *humiliamini*, inquit Petrus Apostolus, *ut vos DEus exaltet in tempore visitationis*, hoc est, in die judicii. Pauperes ditabit & beatos efficiet: ferte opem indigentibus: levate ipsorum miserias: *facite vobis illos amicos*, ut sint apud Judicem Christum intercessores ac patroni, *& in æterna vos recipiant tabernacula.* Infirmos ac præsidii inopes à potentioribus oppressos vindicabit. Estote illis præsidio, &, pro acceptâ potestate, patroni. DEI exemplo, & pupillo, & viduæ adjutores & tutores estote.

Luc. 16.

Petr. 5.

Vos vero justi, humiles, pauperes, infirmi, capita DEO longè carissima, consolamini vosmetipsi ac sustentate, expectatione die illius, quæ non DEI solùm futura dies est, sed etiam vestra. Non quòd

quòd vobis formidandum non putem divinum Judicium, quis enim illud non formidet? sed ita formidate, ut ad illius desiderium, amorem, ac spem firmam simul exardescatis. Cur enim non ametis quòd vos omnibus humanæ vitæ ærumnis exsolvet? cur non exoptetis quod duram sæculi servitutem propulsabit à vobis? cur id non speretis unde æterna vestra felicitas initium est captura? DEI itaque judicium extimescite, sed eo timore qui amorem ac fiduciam secum adjunctam habeat. Judicium extimescite, sed quo pacto DEUS ipse extimescendus. Fas non est vobis DEUM metuere eo metu, qui amorem excludat. Ipsum metuendo, eundem ametis necesse est, & impensius multò quàm metuatis. Alioqui timor ille vester, ut est servilis, ne ad salutem quidem sufficiat. De divino judicio idem statuendum. Metuamus illud, Christiani Auditores, at metu qui efficax sit? qui nos reducat in viam; qui vitia nostra emendet; fervorem exsuscitet; ad omnia denique Christianæ pietatis officia haud segniter impellat. Ita fiet, ut ad supremi Judicis detexeram collocati, salutiferas illas, solatique plenas voces ex ore ipsius sacrosancto excipere mereamur; *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Amen.

IN

IN DOMINICA SECUNDA ADVENTUS CONCIO.

De vano hominum respectu.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. *Matth. 11.*

REX CHRISTIANISSIME,

HAC notâ & proprio veluti charactere veros germanósque discipulos suos discernit Christus à falsis. Hac conditione nos aggregat eorum in numerum, qui suavissimo ipsius jugo collum submisêre. Remotâ cunctatione omni eligere jubet quas potissimùm partes sequi malimus, haud sperandum fore significans, ut in suis nos habeat, ni disciplinam eius palam &

apertè profitemur. Divinam ipsius legem quisquis erubescit, non esse ipso dignum. Ut simus illius, satis utique non esse, *corde credere*, nisi accedat *oris Confessio*; neque oris Confessionem, nisi verbis facta ipsa respondeant. Denique nolle se in gregem & familiam suam alios asciscere quàm ferventes, magnanimos, sinceróque servos, qui honori ducant famulatum suum, obsequium lucro apponant. Ita Regno suo inertes excludit, ignavósque mundi amatores, quos Christianæ militiæ suppudet, tantùm abest ut apertè militent Christo; quibus Christus offensioni est atque scandalo, ne dum honorem debitum illi persolvunt; qui non modò satis non habent, offensionis ansam sumere ex Christi personâ, sed & ipsum etiam offendunt, dum eundem metuunt, quo retardantur in viâ, eundem humanum respectum, cujus dominatu miserè tenentur, in ipsius fratres transfundunt.

Rom. 10.

Hoc ipsum est, Auditores Christiani, quod insectari constitutum est hodiernâ concione, vitiosum scilicet illum Christianæ servitutis pudorem. Humanum illum respectum, quo avertimur à DEI famulatu: illam mundi metuentem verecundiam: illud in profanos homines obsequium, divini Numinis cultui tam contrarium. Igitur, quæ cum eo vitio conjuncta

iuncta sit indignitas, quæ perversitas ejusdem; quid offensionis importet atque scandali, propositum mihi est vobis ostendere. Humani respectûs indignitas quâ, nosmetipsos, perversitas quà DEUM, offensio quà proximum respicit.

Sunt humani respectûs mancipia; ea primùm compellabo; ostendámque quàm indigna, quàm culpanda sit ipsorum agendi ratio. Sunt humani respectûs autores, cum his mihi res erit posteriore loco, ostendámque, quot, & quanta per ipsos mala in hominum mores inferri soleant. Humani respectûs indignitas faciet, ut ipsum contemnamus; perversitas, ut damnemus; scandalum & offensio, mala ut inde consequentia perhorrescamus. Hic unus est concionis hodiernæ scopus & argumentum. Poscamus à DEO, &c.

Ave Maria.

NON hodie primùm právus hominum respectus duram in homines tyrannidem exercet; ævo ab omni, profanæ sapientiæ assectatores vertêre illum, Religione posthabitâ, in nefandam artis politicæ legem. Verùm quocumque tandem, seu necessitatis, seu rationis velo, facta sua obtegere studeant, dum mundi legibus Christianam Religionem submittunt, aio; artem illam politicam, abjectæ PARS I.

mentis visam semper esse, contemptu dignissimam, labem, aut videri semper debuisse. Duplex vitij forma, homine, qui aliquam DEI notitiam habet, prorsus indigna: sed eo multò magis, quem ad divinam adoptionem baptismus evexit. Adeste animis, Auditores, & cavete ne ex duobus his gravissimis capitibus quicquam vos prætereat.

Dixi humanum respectum, pudendam esse servitutem. Quid enim servile magis, quàm aut conjici, aut potius in eam te conjicere necessitatem, ut, quæ Religionis sunt, ad aliorum lubricam & incertam voluntatem componas & accommodes? divinam legem non propriâ opinione atque judicio, non conscientiæ monitu, sed aliorum arbitrio libidinéque metiri. Eandem observare, prout observandam homines judicant; ipsam exigere ad vulgares hominum sermones ac sententias; unô verbô rem ut absolvam, Christianum non esse, aut certè non videri, nisi quantùm alijs placet, aut displicet; an est servitus cum hac componenda? scitis tamen, Auditores, nec sine aliquo vestro fortassis pudore, quàm vulgaris & sit & fiat in dies eadem illa servitus, hominibus Christianis quantumlibet probrosa?

De

De veteribus illis philosophis, quibus DEUS solo naturæ lumine cognitus erat, dum sermonem habet Augustinus, eorum sortem valde censet deplorandam; quoniam cùm persuasum ipsis esset, DEUM esse unum, cogebantur nihilominus, tempori ut servirent, plures propalam Deos venêrari. Illi hominum metu, contra insitæ ratiois ductum, Deos colebant, quos in commentitijs habebant fictisque fabulis. Nos alio metu, contra sanctissimæ fidei ductum, DEO, in quem credimus, obsequium non præstamus. Illi, præter voluntatem atque ut hominibus placerent, superstitioni operam dabant & idololatriæ; nos contra inviti, eodémque placendi studio, sæpe irreligiosi, sæpe impij videmur. Illi, ne in odium incurrerent populare, *colebant*, ut loquitur Augustinus, *quod reprehendebant; agebant quod arguebant, quod culpabant adorabant.* Nos vana censuræ formindine, perversisque sæculi moribus serviliter obnoxij, inhonestamus quod profitemur, quod veneramur profanamus; *blasphemamus*, saltem operibus, non quod *ignoramus*, quemadmodum loquitur Apostolus quidam, sed quod habemus perspectum, & ultro agnoscimus. Illi humanæ, si superis placet, sapientiæ apices, cum suo illo præcelsæ mentis robore, sibi ipsa vim in-

Iud. v. 10.

ferebant, per quoddam prayæ simulationis genus; nos nobis ipsi per aliud. Personam veluti comicam sustinebant illi Romanis in templis, pietate fictâ & simulatâ, nos Atheismo inter Christianos; hoc tantùm interfuit, quòd illorum hypocrisis, ut animadvertit Augustinus, mera fictio erat, quæ ad fabulosa duntaxat numina summùm attineret. Noftra fictio, vera *abominatio sit*, qualem Propheta prædixit,

Dan. 9. *stans in loco sancto.* Abominatio, quæ veritatem, majestatem, veríque Numinis sanctitatem simul petit. Quisquis autem ita se gerit, ita vivit, non se ad servilem demittit conditionem in eo ipso, in quo pudenda magis servitus est, in quo sapienti minùs toleranda; sunt enim quædam, inquit sanctissimus ille Doctor, in quibus ferenda servitus, alia, in quibus rationi consentanea; nonnulla, in quibus etiam honorifica esse possit. At se alij volentem subjicere in ijs, quæ liberrima sunt, puta in fidei professione, in ipso Religionis exercitio, in maximè necessarijs officijs, in salutis procuratione, istuc utique non insita quædam mentis excelsitas, non dignitas humanæ naturæ, non conscientia ipsa patitur nisi admodum ægrè. Per te nobis liceat (ita Hebræi ad Pharaonem) per te nobis liceat desertas adire solitudines; quandiu enim hîc detine-

tinebimur, liberè nunquam DEO nostro sacrificare fas erit; qua tamen in re, summa nobis libertas sit oportet, dociles nos habebis in cæteris, dictóque audientes; quantumlibet rigidæ sint impositæ leges, servabimus eas haud gravatè; at in supremi Numinis cultu, libertate nobis est opus. Eam si reposcimus, pro jure reposcimus nostro, imò DEI ipsius jussu, qui disertè vetuit, ne populo ulli populum suum servire unquam pateremur. Ita fermè Hieronymus in eum Exodi locum, ita loqui decet Christianum hominem, qui ex divinâ providentiæ dispositione, inter mundanos homines versari cogitur, atque adeò Religionem suam, exempli authoritate, firmare. Cæteris in rebus componam me sedulò ad mundi leges placitáque omnia; receptas tenebo consuetudines; decorum in omnibus servabo; mihimet-ipse, si necessitas id postulet, vim inferam, ne displiceam mundo; sedenim ubi præpotentis DEI cultus, ubi obsequium agetur, minima, imò nulla, mundi, aliud jubentis, authoritas apud me erit. In potissimo illo ac primario Christiani hominis munere non ero inæqualis & inconstans, non inconsultus & imprudens, sed tamen liber. Neque prudentia, quam in agendis rebus adhibebo, quicquam habebit, quo à beatâ illâ degenerare videar

libertate, quam Paulus retinere me jubet, ut propriam ingenuæ conditionis, ad quam sum à DEO evectus, prærogativam. Sic animatus & affectus esse debet, autore Hieronymo, quisquis Christo duci sacramentum dixit in Baptismatis fonte; & mundi leges si forent adeò tyrannicæ, ut essent quædam vitæ conditiones, in quèis sanctam illam & glorioſam Christianorum ingenuitatem tenere non liceret, aut potius, si quis propriæ infirmitatis sibi conscius, DEO in ijs liberè famulari se posse desperaret, illi discedendum utique esset generosè, Israëlitarum exemplo, & quærenda sedes melior, ubi excusso mundanæ servitutis jugo, cuncta Religionis officia, soluto ac libero animo, obiret; quærenda, inquam, illi alia sedes, non quidem abdicato penitus mundo, sed illâ mundi parte, illo vitæ statu, in quo divina sibi mandata velut impossibilia facta esse longo jam usu didicisset. Quid ita? quoniam homo cùm nascatur liber, æquum est profectò ut agat liberè cum eo, cui, tanquam autori suo bona sua omnia accepta referre debet; nec liberum illud arbitrium, quo est à DEO muneratus, ad obsequium illi exhibendum, sibi aut eripi, aut violari unquam sinat.

Huma-

Humani respectûs servitus eò magis ignominiosa, quòd pusillæ mentis simul & abjecti animi est. Hanc quidem naturæ labem & ignominiam nobismetipsis occultare studemus, sed frustra; quis enim tacitam premat conscientiæ objurgantis vocem? si sancta illa nobis inesset superbia de qua loquitur quidam è S. Patribus; si nobilitas illa animorum, quos lex Christiana sufficit, libenter ac liberè Paulinum illud, nostrum quisque usurparet, *non erubesco Evangelium.* Veteres illos Heroes generosè æmularemur, qui honori habebant maximo, Religiosi ac pij, inter irreligiosos & impios, esse. Cæteris ad idola passim confluentibus, solus itabat Tobias ad templum; solitudinem illam suam, non probrosam sed gloriosam potius ducebat in tali causâ, dignum se præstans illustri præconio, quod ipsius firmitati atque constantiæ sacer historicus tribuit. *Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam Rex Israël, hic solus pergebat in Jerusalem ad templum Domini.* Ita, tametsi omnes inter quos vitam agimus, divini Numinis prorsus obliti, sacrosanctam ipsius legem planè negligerent ac proculcarent, in magna poneremus gloriæ parte, ut Christianos decet, sincerum ejus cultum apud nos solos residere; & exemplo singulari, quod,

Rom. 1.

Tob. 1.

vel

vel ipse suspiceret mundus nequam, nobile daremus fidei nostræ documentum, imò, si necessitas istuc exigeret, à mundanis illis divinæ legis contemptoribus voluntario exilio secernere nos haud dubitaremus. Non hominum numerus ingens non splendor natalium, non ulla nominis amplitudo animum nostrum pectúsque labefactaret. Ut soli essemus in terris; nihilo perstaremus minus in tali proposito, & arcanæ voluptatis sensus, qua mentem perfunderet hæc cogitatio, nos ex ijs esse, quos sibi DEUS sepposuit cœlestem ad gloriam, nec genua submisêre ante Baal, hoc est, calcatæ à
3. Reg. 19. nobis Idololatriæ conscientia, relatæque de humano respectu victoriæ, grata recordatio, anticipata quædam jam esset, ac pretiosa nobis merces. In beatam hanc sortem Evangelica libertas haud dubiè nos immittat. Cur eò nondum evasimus? &, quid rei tandem esse dixero humanum illum respectum qui nos remoratur ac tardat? timiditatem profectò & ignaviam. Mundi censuram formidamus, atque ita mundo ipsi fatemur, animos nobis deesse, ad eum, vel cum majore contemptu dignum ducimus, contemnendum. Quæ confessio pudorem utique haud levem injiciat oportet. Metumus quippe videri ani-

animo imbecilli nec cogitamus, metum illum ipsum, imbecillitatis genus quoddam esse, imò imbecillitatem valde miserandam. Pudet, qui simus palam ostendere, nec videmus, pudorem illum ipsum, longè magis erubescendum, quàm sit ipsa fidei nostræ declaratio; quid enim magis homini pudendum, quàm si pudeat, qui sit, & qui esse debeat, videri? conturbat nos verbum aliquod, aut imprudenti elapsus jocus, nec attendimus, quid, quisve conturbet. Quid? cùm nihil frivolum magis, nihil magis futile, quàm jocus, qui veram virtutem petit. Quis? homines siquidem vani, quibus probemur necne, nostrâ non permagni refert. Homines nullius plerumque apud nos pretij, homines, quorum levitas peræque ac impietas nobis est perspecta. Homines, quorum sequi consilia nolimus ullâ in re, ne dum jugum accipere. Homines, quorum causâ, ne leviſſimi quidem, oblectamenti parte, genium nostrum fraudaverimus. En tamen propter quos vim sibimet adhibent plerique mortalium; en quos offendere verentur; en, quibus, in re longè graviſſimâ, &, quæ ad salutem ac Religionem attinet, per cæcitatem maximè deplorandam, se volentes submittunt. Eant nunc, &, non

dico

dico magnanimitatem, sed sapientiam, sed mentis robur ac firmitatem, quantum volent, venditent suam! non eâ viâ, arguit Chrysostomus; in libertatem afferent sese, sed in vilissimam potius conjicient servitutem: nec gravioribus nos pœnis afficere solet DEUS, ubi primùm ad mundi leges ac disciplinam aggredimur vitam componere, quàm ut suavissimum ipsius jugum dum excutimus inconsulti, aliud longè gravius ac fœdius, mundi scilicet jugum, induamus. Est humanus respectus servitutis, est ignaviæ genus quoddam; ignaviæ, inquam, & quidem odiosæ. Enimverò DEI sum, æquissimo quovis nomine ac titulo. Ut homo, fictus ab ipso & creatus, cælestibus donis ornatus, pretioso ipsius sanguine redemptus, ejusdem consors & hæres gloriæ. Ut Christianus, conjunctus ipsi sanctissimo fœdere, ejúsque servituti addictus solenni sacramento. Ipsius causam, nobili quadam armatum audaciâ, tueri me cùm oporteat, illum desero, illum prodo! quæ ignavia est prorsus intoleranda. Ne in ijs quidem ferri illa potest mercenarijs hominibus, quos domi res angusta, principum limina terere, ex eorumque nutu atque arbitrio pendere jubet. Ignavia damnata toties in Evangelio, &

dam-

damnanda olim tam apertè ; in novissimo siquidem die, eos omnes , qui ipsum erubuerint , *Filius hominis erubescet* ; ignorabit , qui ipsum ignoraverint ; negabit , qui negaverint. *Qui erubuerit me , erubescam & ego illum.* Ignavia , ab ipsis etiam Ethnicis notata , de qua Christianis tam insignia tradiderunt , tamque salubria documenta. Nonne idipsum sentire olim visus est , sapientissimus ille Imperator , Constantini magni parens ? res extat apud Eusebium & est nota vobis. Quamquam alienus à fide , quamquam ethnicus , inter palatinos administros, inter milites habebat qui Christianam Religionem profitebantur. Ipsorum fidem periclitari cùm vellet aliquando , cogit in unum omnes , & ijs affatur verbis , queîs facilè possit imbelle pectus expugnari. Ad extremum jubet, se coram , de Christo quid sentirent , palam ostendere ac declarare. Ut fuêre semper diversa Aulicorum ingenia , haud miror, alios in proposito firmos , maluisse fortunam quàm Religionem in periculum adducere ; alios è contrario, humano dominante respectu , fidem maluisse dissimulatione obtegere , quàm fortunæ florentis adire discrimen. Ita inter profanos mundi amatores , imò inter ipsos etiam Christianos , variare humana *Luc. 9.*

næ res solent ac discordare. Quod autem animadvertit Eusebius, (& valere plurimum debet ad mores vestros informandos) perspicax est Constantij prudentia, qua alios alijs secernens ex merito, contra ipsorum expectationem, manere apud se jussit, qui posthabitis humanis rationibus, summum ostenderant Christianæ Religionis studium, alios exauctoratos dimisit. Sic enim statuebat, addit idem historicus, haud magnopere his esse fidendum; posse eos utique datam sibi fidem violare; qui datam DEO violâssent; ab eóque nihil non metuendum homine, qui terrestri aliquâ utilitate duci se ac convelli sinat. Admoneat nos officij nostri, Auditores, sapientissimi principis vox; nec simus in eo minus Religiosi Ethnico, qui solâ magistrâ ac duce naturâ, ita ratiocinabatur. Citrà illam impietatis ac hypocrisis notam, generosos sincerósque nos præstemus; est quid medium hypocrisim inter & impietatem, quod teneri honorificè queat, esse videlicet Christianum. Christiani simus circa ostentationem, sed verè atque ex animo, ut honori ducamus & esse tales & videri. Recurrant animo tot martyres, *fratres nostri in Christo*, & ejusdem Ecclesiæ membra. An verebantur illi hominum præsentiam? an deji-

dejiciebat eos de statu trux tortoris aspectus ? an vox minax ? quæ species & imago , Auditores , quæ ignaviæ nostræ accusatio ! Sponte suâ sistebant se tyrannis , quorum in oculis Christum confitebantur ; theatra conscendebant & equuleos , indéque divinis laudibus , clarâ voce celebratis , fidei nostræ dogmata proprio sanguine consignabant. Aliisne , quàm nos , vinculis , aliane illi lege tenebantur ? an cui servebant , quem laudabant , cui vitam suam impendebant magis illis DEUS erat , quàm nobis ? ne tam longè abeamus. Vosmetipsi judicate , Auditores ; à vobismetipsis virtutis incitamentum sumite. Verba facio eâ in aulâ , quæ viris abundat animi excelsitate bellicisque facinoribus longè latéque famosis. Pedem referre periculoso loco , imò hæsitare vel semel , labes ipsis quædam videatur nunquam eluenda ; nolim enim merita eos laude fraudare. Dum pugnant illi , dum periculis caput objectant , invictissimi , quem dominum nobis DEUS imposuit , Regis causâ atque jussu , faciunt quod præcipit ipsa natura. Verumenimvero quî sit , ut nobismetipsis præposterè contrarij , hinc tam fortes tamque animosi , inde tam imbelles videamur ? cur in ijs , quæ ad DEI cultum

attinent, fumus arundini, quam levis aura commovet, persimiles? cur eadem laboramus instabilitate? cur nos tam facilè sinimus obsequio flecti, dejici metu, abripi consuetudine, utilitate labefactari, atque ut in exemplo à Christo hodie allato hæreamus, cur Joannem Baptistam non imitamur? cur ab ipso non discimus, quam constantiam, in DEI famulatu, ejusque legis observantiâ, tenere nos oporteat? in ipsis vinculis Christum confitetur fidus Christi minister. In aulâ ipsâ testimonium ipsi tribuit. En exemplar in quod inspicere vos decet. Media in aulâ generosam illam retinere. *Filiorum DEI libertatem* ad quam vocati estis, & videtur apud Paulum non tam gratiæ effectus, quàm anticipatum gloriæ cælestis donum esse; *in libertatem gloriæ Filiorum DEI*; mediâ in aulâ apertum se præstare Christi discipulum, ea cuncta quæ divina ipsius lege præcipiuntur, officia, propalam, sincerè atque constanter obeundo; hæc est à Joanne Baptistâ habitæ olim concionis summa. Ecquis porro Christianam illam libertatem vobis eripiat? quis istuc aut potest, aut debet? si serviendum est, non mundo, sed tibi, Domine DEUS, serviendum. Tibi enim, tibique uni servitus nostra debetur? alij cuiquam si

Rom. 8.

si mancipata erit vita nostra, degeneramus utique à beata illa adoptione, qua in Filiorum tuorum numerum cooptati, patrem te nostrum, pro jure nostro, vocitamus. Itaque si possumus, modestè quidem ac prudenter, sed generosè tamen, atque constanter, tueri libertatem illam, quæ Christi sanguini ferri debet accepta, mundani nos homines, quantumvis perversi, colent atque observabunt; &, vice versâ, si eam nobis humanus adimat respectus, iidem nos ipsi, haud dubié, despicatui habebunt; neque enim eo adhuc perversitatis ac malitiæ sunt hi progressi, ut pietati, cum sincera est miniméque fucata, quod æquum est non tribuant libenter Sed ut in nos insurgant profani mundi amatores, in eos vicisim insurgere nos decet, conatúsque illorum omnes irritos reddere. Sat est dignus profectò Dominus ille præpotens, cui mundana hæc cuncta posthabeantur. Sat dignus cui obsequamur ex sanctissima ejusdem voluntate, non ex hominum arbitrio. Fert autem DEI voluntas, ut ei serviamus animo libero ac soluto, & qui ex mendacibus hominum judiciis vanàque existimatione minimè pendeat. Docuimus quanta humano respectui indignitas adhæresçat. Ejus perversitatem & improbitatem jam cognoscite.

PARS. II.

QUID rei sit illa, qua de loquor, animi labes quot quantaque mala ex eâ nascantur, nunquam, opinor, satis intellexistis, Auditores Christiani. Simplex tantùm ac nuda illius species oculis vestris subjecta, satis erit, uti confido, ad mentes vestras permovendas, æternúmque illius horrorem vobis incutiendum. Contendo enim in iis, quæ attinent ad salutem, perniciosius nihil, nihil magis detestandum, nihil divinæ legi magis contrarium, nihil cœlesti vindictâ magis dignum, quàm vitiosum illum ad homines respectum. Quid ita, quoniam evertit is funditùs humano in pectore necessarium Christianæ fidei fundamentum, illum videlicet amorem, quo præ cæteris omnibus, DEUM prosequi nos oportet. Quoniam in eas inducit defectiones & appostasias graviores fortassis, & venia minus dignas, quàm essent veteres illæ in quas Ecclesia disciplinæ suæ severioris aculeos olim exercebat. Quoniam probationis ac tentationis genus est, qua potentissimæ, seu ad exercendas colendasque virtutes, seu ad vitia fugienda, datæ à DEO gratiæ, planè steriles evadunt & infructuosæ. Quoniam denique obicem ullum non habent homines mundani, ipsorum emendationi magis fatalem,

quem

quem rarius superent, & in quo, ut quotidiana docet experientia, humana sæpius imbecillitas hæreat, faciliúsque succumbat. Num sine justa causa proposita vobis capita hæc quatuor, velut aptissima ad rem quam tractamus, persuadendam? tametsi nihil afferam probationis loco, præter communem vulgarémque vivendi usum, an hoc non sufficiat? animos advertite, tamque salutarem doctrinam nunquam obliviscimini.

Homini DEUM præferre, cúmque alter alteri non dico cogitatione, sed reipsâ & factis componitur; cùm veluti committuntur inter se, hominem abjicere, DEO debitus ut honos tribuatur, id ipsum est utique, in quo Religio vertitur universa, & ab humano everti respectu ante omnia solet. Cur enim humanum respectum vocitamus, nisi quia, interprete Doctore Angelico, facit is sæpissimè, ut homines magis respiciamus & vereamur, quàm DEUM ipsum, voluntatem mihi suam DEUS declarat; sanctissimas imponit leges; dat vivendi præcepta; sed enim ea non probantur illi cui placere studeo, aut cui certè displicere nolim. Ego, cujus est eligere quas potissimum partes sequar, homini ut placeam duntaxat, aut ne displiceam

supremi dominatoris jugum excutio imperium detrecto. Re igitur ipsâ hominem magis respicio, quàm DEUM; magis eum colo, magis observo. Et quamvis Numinis excellentiam, supremúmque dominium agnoscam, & fide credam haud dubiâ, commentitia tamen est & inanis fides illa, quæ non prohibet, quin reipsa, & factis hominem, DEO posthabito, colam; proindéque jam sum omnis Religionis expers; aut illius umbram tantùm aliquam & inanne præfero simulachrum. Istuc ipsum est quod Romanis Tertullianus exprobrat his verbis tam vehementibus, ipsiusque ingenio dignissimis. *Majori formidine Cæsarem observatis quàm ipsum de Cælo Jovem; & citius apud vos per omnes DEos, quàm per unum Cæsaris genium peieratur.* Quæ objurgatio longè majorem homini Christiano pudorem, imò metum ac pavorem incuciat, si eam ipse sibi accommodet. Quot Christianis tamen etiam ex iis ad quos verba facio, aptari à me meritò possit? *Majori formidine Cæsarem observatis.* Gratia DEO, qui Regem nobis tum Religiosum imposuit impietatis acerrimum osorem; apud quem & Christiana in honore est Religio, & eam esse vult apud cæteros; Regem, qui debitum sibi obsequium dum exigit, nihil habe

prius

Prius, quàm ut suum DEO obsequium & cultus tribuatur. Verùm, si, ut fit nonnunquam, populorum crimina DEO castigante, nasci nos contigisset sub principis minus pii, minúsque Religiosi imperio, quot inter aulicos spectarentur quales animo sibi informabat Tertullianus qui in loco tam lubrico positi, supremi Regis amicitiam Cæsaris gratiæ haud cunctanter præferrent? *majori formidine Cæsarem observatis.* Fingamus nihil. Quot videas nunc animo ita affectos? hoc est; non jam quidem impios ac sceleratos, sed ad impietatem & facinus omne paratissimos, si princeps istuc postulet. & obsequii amorisque in ipsum sui pignus quoddam impietas, atque indicium videatur? ullúsne in re tantâ scrupulus subsit ac dubitatio, quam non facilè sibi ipsi eximant? an eos moretur fœda DEI cum homine mortali collatio? an non abrepti longa consuetudine sese in omnibus ad illius, è quo pendent, arbitrium ac nutum accommodandi, religiosum habeant, si irreligiosus is sit & impius, irreligiosos, & impios esse?

Neque verò ad eum ipsum, qui principem inter nos locum obtinet, gradum facere necesse est. Quot Dominis, regia majestate inferioribus, quemdam veluti cultum, præsertim in Aulâ,

fatalis ille hominum respectus exhibere solet, quasi pro suo jure? quid autem aliud reipsa est cultus ille, quàm subtilioris genus quoddam idololatriæ eò periculosioris, quò moribus est nostris magis consentanea. Dominos dixi, regiâ majestate inferiores, quibus impensius multo devovemur ac mancipamur sensim & inscientes, quàm ipsi DEO; quos irritare & offendere magis veremur, atque adeò quod est creatum, supremo rerum omnium opifici & architecto, per summum continuúmque nefas, anteferimus? quid est autem universæ Religionis fundamenta convellere, si hoc non est? *exinanite usque ad fundamentum in ea.*

Psal. 136.

Longius manat tanti mali contagio, Auditores, nec jam humani cordis angustiis circumscripta, apertè se foras profundit, atque impune grassatur. Habet hoc quippe humanus respectus, ut Christianos quotidie conjiciat in defectiones & Apostasias quasdam, non arcanas illas quidem & interiores, sed nimium proh! pudor apertas omnibus atque publicas. Sinite me profari quod sentio. Revocate in memoriam quæ facta sunt à vobis tam irreverenter in hujus altaris conspectu, ne aut Christiani, aut hypocritæ videremini. Est illud DEI viventis altare, sed cui

cui potiori jure, quàm Athenienſi illi, de quo Paulus in Areopago, iſtuc inſcripſeris, ignoti Numinis altare. *Ignoto DEO.* Aut, quod longè indignius eſt, inhonorati, ſpreti, ac rejecti Numinis altare. En ſacroſanctum altare, quod vindicem in vos DEI manum olim armabit. Athenienſe illud, repertum eſt à Paulo inter Idololatras; iſtud proh! dolor, erectum video inter Chriſtianos. Verum DEUM, inquiebat Paulus *ignorantes colitis.* Verum DEum, iniquio ego, agnoſcitis, nec colitis. Quid dico? vero DEO, in quem creditis, illuditis, inſultatis. Verum ignorare, quem colas, DEUM, ignorantia eſt venia quodammodò, digna aut certè magis excuſabilis. At, verum, quem ignoras, DEum, non colere, imò violare ipſius Numen, inſultare ipſi impiè, ſacrilegium eſt, ac prophanatio, quæ cuncta ejus anathemata in ſe meritò accerſat. An non eò vos toties adduxit humanus reſpectus? an non itæ Religionem veſtram *captivam detinuit in injuſtitiâ*, ut Apoſtoli verbis utar? an non ita vos DEUM, cultúmque ejus omnem abnegare coëgit? abnegare, inquam? quid enim aliud eſt, ſacris myſteriis intereſſe aulico mundanóque ritu? jis intereſſe eâ immodeſtiâ, quæ ſpurciſſimos Mahumetis diſci-

Actor. 17.

Ibid.

Rom. 1.

pulos, dum in suis orant fanis, non cadat? jis interesse, perinde ac si ludicras putes & inanes ceremonias? eò se conferre ad mutuum conspectum congressumque, tanquam ex condicto. Turbare rem divinam intempestiva garrulitate, profanisque colloquiis. In his omnibus contendo cum Cypriano, quandam inesse, saltem actionum, apostasiam. *In his omnibus quædam apostasia fidei est.* En tamen quò vos inducit frequens mundi usus; mundi, inquam, cujusdam nequioris, cujus impietas ac licentia vobis est normæ ac legis locò. In eo fortasse tacitè ingemiscitis, sunt enim inter vos haud planè irreligiosi. Fortasse vel eo tempore quo flagitia illa committitis, eadem ipsi improbatis ac detestamini, tacitéque hæc apud vosmetipsos, vel inviti cogitatis, ejusmodi impietate Christiano nomine & dignitate indignos vos reddi. Atenim quoniam vos abripit mundanæ consuetudinis torrens, ad mundi leges dum vos accommodare studetis, cum mundanis hominibus, quod habet Christiana Religio sanctissimum ac divinissimum, profanatis. Apostasiæ, ut jam dixi, genus, quod, si cum veteris Ecclesiæ defectionibus conferatur, est aliquo pacto culpandum magis, minùsque excusandum. Attendite, quæso

quæso, & quàm verè hæc à me dicantur, cognoscite.

Cùm sit sermo de miseris illis, qui sæviente tyrannide, dicti, in Babtismate, sacramenti immemores, fidem ejurabant verbo tenus, cohorrescimus enimverò, nec severius Ecclesiam animadvertisse existimamus, quæ in tantæ prævaricationis pœnam, à fidelium eos numero ac societate removebat. quid ita? quoniam ipsorum infidelitas, inquiunt Patres, opprobrio erat ipsi Christo, qui vindicandus utique erat. Eandem ah! tenete, Auditores, in vestra causa æquitatem. Sic est; Christiani illi imbelles, qui atrocibus suppliciis exterriti, fingebant se Christum abnegare, in Apostasiam incidebant. Erat tamen illa, aliquâ digna commiseratione, cùmque singuli pœnitentiæ studio incensi, admissum facinus palam confitebantur his verbis, quæ sunt apud Cyprianum, *caro me in colluctatione deseruit*; *infirmitas viscerum cessit*: cùm ita se, inquam, accusabant flentes ubertim, atque intimo doloris sensu prostrati mirum non videtur Ecclesiam, ex materna benignitate, post nonnulla fidei experimenta; contra severiora schismaticorum illius temporis placita, veniam illis concessisse. Cùm autem nunc, DEO, partim morum licentiâ, partim scandalis nostris, renuntiamus,

quid habet excusationis nostra illa defectio? ac quicquid tandem prætexamus, an non est in promptu quod Cyprianus voluntariis apostatis respondebat; *nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit.* Neque enim nunc agitur de vitandis crucitatibus, aut acerbissimâ nece: unus nos nunc retinet hominum respectus, è quorum pendemus nutu, quibus sumus voluntariè mancipati, & ita quidem mancipati, ut hominibus, atque adeò supremo Numini, Christianæ fidei desertores videamur. *In his omnibus quædam apostasia fidei est.*

Quid inde præterea? pravo illo hominum respectu nobis inutilia redduntur potentissima DEI ad salutem auxilia. Accipite quid velim. Fertur quis naturali quadam propensione ad meliorem & homine Christiano digniorem vitam instituendam? verùm animo deficiente, præclara illa virtutis indoles sterilescit. Vota fiunt, consilia mente agitantur de recta ineundâ salutis semitâ, at futuri metuuntur hominum sermones; atque ita vota illa salubria vix concepta concidunt. Intelligitur pœnitentiæ necessitas, cujus & labores amplecti certum est ac deliberatum; at eâ lege ut mundani eam homines non sentiant. Et quoniam latere eos non debet, ut ritè peragatur quod ratum erat,

erat, semper est irritum. Discedis è concione, sacri oratoris eloquentiâ victus; at studes clam esse relatam de te victoriam; & victum videri nolle, est jam reipsa non esse victum. Premente gravi aliquo morbo, multa cogitas sapienter; quin & constituis tecum certam quandam piè vivendi rationem: sedenim cùm manus operi est admovenda, famæ tuæ consulendum reris, atque adeò nihil promoves. Morbus ille, concio illa, consilia, vota, auxilia quædam, seu interiora, seu exteriora sunt, quæ ex ordinaria providentiæ dispositione, salutem habent sibi adjunctam; verumenimvero vanâ mundanorum hominum formidine, vis eorum omnis debilitatur ac frangitur. Annon illa agendi ratio satis habet momenti ad inhibendam in maximè flagitiosis hominibus cœlestis gratiæ efficentiam? est ne illâ obex frequentior hominum conversioni, quæ salutaris foret alioqui, ac penè quotidianus, ut res ponatur in exemplo, divini sermonis fructus? ubi me semel pietati dedidero, inquit ille, quid non erit ab his & illis ferendum? si commerciis illis, quæ mihi, quæ proximo noxia sunt, interdixero, ait fœmina quæpiam, quæ tum de me tota urbe judicia? vanæ finguntur formidinis causæ. Si mutem vitæ institutum, quæ opiniones, qui de me ho-

hominum sermones erunt ? cum ea autem animi affectione, nulla susceptа tam sanctа, quæ ad exitum perducantur : nullus pietatis fervor, qui non intepescat : nullus de peccatis dolor, nulla confessio non infructuosa. Optaremus equidem, mundanis hominibus uti liceret magis æquis : opportunum, vel illis judicibus, esset, videri & esse, calcatâ mundi vanitate, divinæ legis observantem. Sors quippe illa potior creditur ac tutior, nec est ullus, qui honori non habeat, eandem amplecti. Sed nimirum tyrannica istuc & imperiosa humani respectûs lex vetat. Satis est : malumus æternam animæ jacturam facere, dum legem hanc observamus, quàm, dum nos asserimus, saluti consulere. An non homines, in ipso etiam vitæ exitu, videas, illâ humani respectûs tentatione jactari, eidémque fœdè succumbentes, obstinatione illum suæ prætexere, contra ea omnia quæ id temporis Christiana Religio agenda præscribit ; homines, inquam, jam jam cessuros ex hac mortali vitâ, ad Deique sistendos tribunal, mundanæ servituti adhuc subjectos, homines, quos cùm jam *circumdent*, ut scriptura loquitur, *dolores inferni*, adhuc tamen ex fallacibus pendent hominum judiciis ; qui negligunt, imò etiam respuunt, extrema Ecclesiæ præ-

Psal. 17.

præsidia, aut ea certè in aliud differunt tempus, ne putentur, gravius ægrotare, & nonnihil esse arbitrantur, non haberi pro depositis; atque suprema DEI misetentis adjumenta & auxilia abjiciunt, quia id à se impetrare non valent, ut excussâ, quâ tenentur, mundi compede, mundum ipsum spernant, mundum obliviscantur. Nonne reperti sunt, (quis credat?) qui postquam vixissent fidei ac legis exortes, eò sunt insaniæ progressi, ut diabolicâ in malo perseverantiâ, dignum impietati fastigium imponerent? qui diem suum obirent, absque ullo pœnitentiæ sensu, ne ignaviæ arguerentur, & præcelsæ robustæque mentis famam, de qua stultè aut falsò fortasse, gloriati erant inter gregales suos, ad extremum usque spiritum retinerent: qui ad horrendæ æternitatis conspectum, stimulante scelerum conscientiâ, fatalem hanc animo cogitationem excutere non valebant; quid de me homines sentient, si mortis formidine resipiscam? qui toti erant in eo defixi, quid dicturi essent scelerum suorum consortes, &, ne turpi exciderent existimatione, obsurdescerent ad salubertima quævis monita Sacerdotum enixè orantium, ne de DEI summè misericordis benignitate desperarent; DEI, inquam, qui, quamquam ab iis gravissimè offensus,

sus quamquam iratus, ipsorum, tamen salutis autor etiam num foret. An non ita emori quidam visi sunt? ac, si rarò occurrunt exempla id genus, quod DEI singulare beneficium est, an minus afficere, ac docere debent illa mortales, in quam malorum voraginem præcipites eos agat vanus ille hominum respectus?

Nunc ah! Christiani Auditores, nunc percipio vim & sensum hujus sententiæ Tertulliani; *Salvus sum si non confundor de Domino meo.* Videtur quidem is, salutem constituere in re perlevi; eâ siquidem perfectâ, nihil sibi credit agendum superesse. Quid enim in speciem facilius, quàm DEUM *non erubescere*? an id postulat haud vulgarem vitæ sanctimoniam? eóne omnis recidit Christi Religio? Sic est, inquit Tertullianus? contendo, in tuto esse salutem meam, si DEUM non erubesco. *Salvus sum.* Istuc ipsum à gravissimis mundi tentationibus securum me reddit; quoniam illius præsidio, mundi illecebras, periculaque omnia vincere mihi ac superare licet. Etenim, si DEUM non erubesco tot officia, judice mundo, abjecta, vel ad salutem, autore DEO, necessaria utique, non erubesco. Non erubesco contumeliam inultam relinquere. Non erubesco condonare injuriam & ita condonare, ut acceptam offensionem

Luc. 9.

etiam

etiam beneficio rependere non dubitem. Non erubesco inimicum officio prævertere. *Salvus sum, si non erubesco de Domino meo.* Si DEum non erubesco ipsum timere, ipsum colere ac precari non erubesco; demissum & abjectum esse in ipsius conspectu, patientem ejus causâ, contemptum ejusdem exemplo. Si DEUM non erubesco, non pœnitentiam, non ea omnia, quæ à Christianis illa exigit, erubesco, *Salvus sum, &c.*

Hoc nimirum Magdalenæ saluti fuit. Actum erat de illâ, si mundanorum hominum sermonibus auscultâsset; si humanam prudentiam adhibuisset in consilium, nulla illi spes ultra affulgebat. Summa ejus felicitas fuit, æternæque prædestinationis initium, quòd Christum non erubuerit. Ipsum adire non dubitavit Pharisæi mensæ accumbentem, &, inter confertam convivarum turbam ad ejus pedes abjecta, lachrymis eos rigare, abstergere capillis, hominum contemptus contemnere; sermonùmque omnium secura, id unum studuit, ut amantissimi Servatoris, cui uni placere vellet postmodum, gratiam sibi conciliaret. Istuc si omisisset, elapsa de manibus erat conversionis opportunitas: intercluſus illi erat aditus ad divinæ misericordiæ sinum. Eò ut intromitteretur, triumphandum illi fuit de hu-

humano illos respectu, cujus indignitatem ac damna vobis ostendi; offensionis & scandali quantum ille importet, super est ut cognoscatis.

PARS III.

UT nullum est scandali genus, quod non fuerit damnatum à Christo, cùm dixit, *Væ mundo à scandalis*, ita nullus est scandali autor, qui his aliis Christi verbis, quasi fulmine, percussus non occidat; *Væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Quamquam autem Christi sententiam pertinere constat ad omne indiscriminatim, scandali genus, mihi tamen dubium non est, quin illud potissimùm respexerit, quod ab humano nasci solet respectu. Scandalum dico, cujus autores hi sunt, quin partim sermonum, partim morum pravitate, humanum respectum inter homines fovent. Scandali genus, eo magis damnandum, quòd DEUM ipsum, ejusdemque cultum magis directè ac propriè petit? en mali hujus natura. Scandali genus eò pernicioſius, quòd facilius manat, & mortalium animos certius ad exitium trahit. En periculum ex eo metuendum. Scandali genus, vobis, Principes viri, prævertendum, eò vitandum magis, ex DEI præscripto, quòd à vobis oblatum, longè præsentiorem in alios pestem ac perniciem importat

Matth. 18.

Ibid.

tat. En, quoad vos, quæ inde nascuntur ac fluunt officia, religiosè vobis colenda. Scandali denique genus, quod emendari à vobis facilè possit, humanum respectum, ut ait Chrysostomus, humano respectu, sæculique licentiam, assiduis virtutum exemplis retundendo. En huic malo medicina. Paulisper adhuc attendite, tum peroràbo.

Hoc scandali genus DEO præcipuè injuriosum dixi. Quamobrem? quoniam eò tendit, id agit potissimùm, ut supremi Numinis cultum subvertat. Quid crimini dabatur filijs Heli? in quo positum erat flagitium illud, quod in sacris litteris tam vehementi DEUS exaggerat oratione, & cujus horrorem nobis injicere velle videtur planè singularem? quale, inquam, eorum facinus erat; populo videlicet offensioni & scandalo erant. Qua in re? quòd plebem à Templo, statisque sacrificijs avocabant illi, tantùm abest ut ad illa pellicerent Religionis officia. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis; quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Notate verba. *Peccatum erat grande nimis*; hoc est, capitale. Peccatum majus, quàm ut veniam mereretur; quàm ut dissimulari, quàm ut remitti posset. *Grande nimis.* Ecquid aliud nunc impij illi agunt, qui pietatem cavillantur; qui religio- 1. Reg. 12.

gionem in contemptum vocant ; cum quibus DEI mandata obſervare impunè alijs non licet, quia ſunt eorum telis ſemper propoſiti ; quia ſunt ſemper teſtes nequioris eorum vitæ, quæ eſt publica virtutis veluti cenſura. Qui, ſimiles Phariſæis, de quibus Chriſtus, aut potius, qui Phariſæis pejores (quandoquidem hi nonnullam pietatis ſpeciem retinebant) aditum ad Cœlum fratribus intercludunt; nec ſatis habent eò non ingredi, niſi alios etiam illius ingreſſu, quâ poſſunt, prohibeant. Sint in Aulâ duo tresve id genus homines nequam, ſatis erunt illi, ſi modò aliqua polleant authoritate, ad depravandos aulicos omnes, & à rectâ ſalutis ſemitâ, qui in eam maximè inclinabant ſuopte, nutu avertendos. Scitis, Auditores. quàm graves inſignésque pœnas DEO dependerint Ophni & Phinees, ob tale ſcandalum. Nec mirum ; res enim agebatur, Domine DEUS, qua tibi nulla potior eſt & antiquior ; quàm, qui attenuare & imminuere præſumat, *oculi tui*, ut quidam è Prophetis tuis loquitur, *pupillam tangat.* Populorum fidem ſi quis in Regno ſollicitet, & acuat ad rebellandum, ſupplicium nullum eſt tam atrox, quo dignus is non habeatur ; nulla legum ſeveritas tanta, quam non debeat meritò ex-

Zachar. 2.

experiri. Æquum est igitur Domine, ut causam ipse tuam defendas ac judices; &, si jura tua mundus attentare audeat, ea conserves, ea vindices, acerbissimis etiam pœnis sontes plectendo.

Scandali genus esse dixi, quo nullum facilius manat ac serpit. Quò enim non aspirat, quò non progreditur pestiferum virus, &, ni citò amputes, quot imbecilles mortalium animos illo infici videas, æternúmque ad exitium trahi? istuc ipsum est, Auditores; quod invictum illum Mathatiam olim impulit, ad facinus perpetrandum, sacris literis consignatum tam splendidè, & cujus memoriam nulla unquam inobscurabit oblivio. Vidit ille ex Israëlitis quempiam, hominum metu dejectum, victum, in omnium oculis idolo jam jam immolaturum; vidit, zelóque incitatus piè crudeli, impietatem illam gemino prævertens sacrificio, arâ in ipsâ sculptilis simulachri, non profanum modò Judæum, sed & Gentilem ipsum, nefandi sceleris instinctorem, uno eodémque gladio, DEO jubente, mactavit. Unde illi autem zeli vis tanta? ex intimo videlicet, quo pungebatur doloris sensu, hoc secum cogitans, sacrilegi hominis exemplum ab innumeris imitandum haud dubiè, oblatúmque ab uno scandalum, si

toleraret ipse aut impunè abire sineret, gentem universam labefactare posse. Præsenti igitur populi Israëlitici periculo, malisque ab impuri hominis impietate impendentibus commotus, impulsus, imò subitâ iracundiâ (quid enim dubitem dicere) Sanctus Princeps est abreptus; quæ quidem iracundia etiam honorificâ Sacri scriptoris mentione ac præconio commendatur. Quale exemplum, Auditores, & quàm appositum ad mores nostros informandos! jactabat tunc Ecclesiam persecutionis procella, cùm Machabæi, paternæ virtutis æmuli, ita insurgebant in scandala ab humano profecta respectu, & quorum vim damnosam tantopere formidabant. Verumenimvero an nobis præterita est illa temporum atrocitas? & quamquam nunc floreat Christiana Religio, possumúsne, inquit Augustinus, meritò nobis gratulari, quòd æquali vexationum mole Christianorum fides non tentetur? illis persecutionum procellis, quas gentilium rabies excitabat olim, nonne aliæ successerunt, eò graviores, magísque metuendæ, quò blandiores sunt, magisque humanæ; eò aptiores ad fideles in ruinam pertrahendos, quòd de his declinandis ne cogitamus quidem, quin & id confirmare ausim, quod persuasum habeo, ver-

verbum unum prolatum à vobis, unum oculorum vestrorum conjectum, unam contemptûs vestri significationem, exemplum unum vestrum, Christianorum innocentiæ labem inferre graviorem, quàm exquisitissima Tyrannorum supplicia. Tyrannis quippe obsistebatur, fusúsque martyrum sanguis, mirè fœcundum erat Christianorum semen. Sed humano respectui, cujus autores estis, quotusquisque obsistit? illáque persecutionis procella, cui virtutem pulsandam objicitis, Dæmonis peræque ac impietatis tuetur imperium, tantum abest ut virtutis Regnum confirmet, ejusdémque, ut par erat, fines proferat. Quid enim non valet naturale illud studium, quæ ab alijs fieri videmus, faciendi? quid non valet falsa illa æmulatio, qua ad alios sectandos ferimur proprio nutu, eósque imitandos præsertim, quorum ad voluntatem cuncta prosperè fluunt; quibus plauditur ab universis. Igitur si viam illi nobis aperiunt ad vitia, si eò vocant, si eò trahunt partim sermonum, partim exemplorum contagione, si obsequium in eo nostrum exigunt, si falsam in eo ipso placet gloriam collocare, si ab eo ipso existimationem, imò dona ac præmia pendere jubent sua, quot fidei desertores & apostatæ, per

blandam hanc tentationis illecebram, extiterunt, quot existunt, & existant necesse est. Vestram fidem, Auditores, vestram experientiam appello. Scitis quanto ab omnibus, quanto à vobis tyrannus ille pietatis ponatur in metu. Scitis, quàm ambitiosè ipsius gratia, cùm alijs, tum à vobis captetur. Scitis, quæ eam in rem viæ vulgò ineantur, & quæ sint à vobis ipsis initæ. Scitis, quid dari illi soleat, quid vosmetipsi fortasse dederitis ad hanc usque diem. Ut ut est, nonne, quod animadvertit Bernardus, ex illo scandali genere, tanquam è fonte, proficiscuntur calamitates pene omnes, quæ in Ecclesiam postremis hisce temporibus incubuêre; illa morum dissolutio, quam intuemur, nec possumus satis unquam deplorare,

Inde est quod Dynastæ & quicumque cæteris antestant mortalibus, graviori officij Religione tenentur, non sinceros solùm præstare se in colendo Numine, sed & alijs exempli auctoritate prælucere. Id ipsum sapientissimè monet Augustinus; Dynastarum enim est, inquit sanctissimus Doctor, vitiosum illum hominum respectum emendare in inferioris notæ hominibus: eorum est, quos ad summos DEUS honorum gradus evexit, liberiorem illum, quem amat, cultum autoritate suâ mu-

munire; eorum est, quibus sponte naturæ placere nemo non studet, factis ostendere, non impietatem, non vitia sibi ulla placitura unquam; quin potius Religionem Christianam, virtutémque, eo, quo par est, loco, apud se semper fore. Quoniam humanus respectus hos potissimùm respicit, hærétque in eorum personâ, ipsorum est, aut abolere illum penitus, aut illius usum quodammodo sacrare; utrumque autem fit tum verbis tum factis; cùm ita scilicet loquuntur illi, ita vitam instituunt, ut Christiani videantur & sint. Atque hæc adhiberi debet humano respectui medicina.

Ita olim sensit Eleazarus, vir, inter Judæos suos, non minus *ingenitæ* nobilitatis canitie, quàm insigni legis doctrinâ venerandus, &, ut eleganter Ambrosius loquitur, *vir ante tempora Evangelica Evangelicus.* Unum amici flentes orabant, non quidem ut vetitâ carne vescecetur, sed saltem ut illius esum, necis vitandæ causâ, simularet. Exhorruit videlicet, ad nefandæ simulationis mentionem, magnanimus senex. Quamobrem? quoniam, inquiebat, non convenit, non decet, hominem, id ætatis atque ordinis, *fingere*, veròsque animi sensus occultare. Quid enim juniores improvidi, malique dociles cogitabunt, quid agent, cùm

cùm audient, Eleazaro defuisse constantiam, eundémque ipsum, avitam Religionem turpiter ejurâsse? in me quippe omnes inspicient haud dubiè, erúntque, me autore, imbelles, infideles, impij. Et verò quis Judæorum omnium sensus, qui sermones, quæ facta tum fuissent tale exemplum consequuta? at, vice versâ, quali præsidio ac firmamento animis imbellibus ac timidis fuit, cùm visus est annosus senex, vano hominum calcato respectu, spretis crudelissimi tyranni minis, terrificóque omni tormentorum apparatu, servare DEO obligatam fidem, atque ejus causâ pretiosam animam profundere. Mirabile Christianis omnibus documentum! sed vobis nominatim, Auditores, quos DEUS in potestatis suæ partem tantùm vocavit, ut eâ, ad sui cultûs propagationem & augmentum, utamini. Quid liberis unumquemque suis aliud dicere oportet, quàm quod olim Tobias;

Tob. 14. *Audite ergo Filij mei Patrem vestrum: servite Domino in veritate.* Auscultate, charissimi filij, auscultate patriè monentem: væ enim mihi si vobis, hæreditatis loco, supremi Numinis non sit à me relictus timor. *Servite Domino, idque in Spiritu & veritate.*

Joan. 4. Servite citra simulationem ullam, &, ubicumque ipsius agetur cultus, procul à vobis absit ars politica omnis, aut

aut inane mundi studium. Honori vobis est Religio vestra : retinete eam, nec ullis unquam factis inhonestate. In ejusdem observatione salus vestra sita est ; cavete, ne illi offensioni sitis atque scandalo. Qualis esse debet heri ac patrisfamilias ad domesticos oratio ? Davidicæ illi persimilis ; *non habitabit in medio Domûs meæ qui facit superbiam.* Nolo impios ullos apud me. Volo DEI metuentes, & qui, dum imperijs obtemperant meis, divina non negligant. Non blasphemus, non perjurus, non ullus ganeo in meo erit famulatu. Quis ergo ? *ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabit.* Quid facere nos oportet, intra conditionis quemque suæ atque ordinis fines ? id omne quod fieri à nobis potest ad fundandam & constabiliendam fidem in eorum animis, qui nobis sunt obnoxij. Secus, rei tenebimur apud DEUM, scandali longè maximi; quoniam gravius nunquam scandalum, quàm cùm inde nascitur, unde majora virtutum exempla expectari par erat.

Psal. 100.

Ibid.

Illud me sustentat ac reficit, Auditores, quòd verba facio apud eos, quibus hominum respectus, scandali causa nunquam esse debuit minus periculosa, faciliúsque superandus obex, quàm sit hac ætate nostrâ. Conciones enim habeo in Aula Principis, qui divinæ gloriæ studio flagrans ut

nunquam aliàs magis, Christianam Religionem autoritate firmat Regiâ, vitiisque, exemplo suo, longè apertius & efficacius bellum infert, quâm ego ullis sacræ eloquentiæ præsidijs, facere unquam possim. Unum est quod vobis potius timeam, ne in alium videlicet incurratis hominum respectum; & cùm olim in Aulâ impios efficeret hominum respectus, hypocritas nunc efficiat. Ne, aut Christiani sitis, aut videamini, solo hominum respectu, Deóque tantum serviatis, ut placeatis homini; cùm DEO sit serviendum homini serviendo; hominíque sit serviendum, ut placeatis DEO, En scopulos in quem vos immittere possit, præter ipsius consilium, pietas Principis, cujus hæc est potissima laus, ut DEO semper fidelis, cultum ipsius sartum ac tectum ab omni injuriâ conservet ac protegat. Qua enim re homines non abutuntur?

Sed præterquàm quod tali in re solatio esset Religio prævalens, impietate latebras captante; & è duobus malis, sublato maximo, minimum restaret; præterquam quod hoc mihi de vobis sponderem fore, ut scopulum unum declinando, disceretis in alium non incurrere, & integrâ illâ, quæ vobis dux est in omnibus, ratione adjuti, non committeretis ut Religio illa tam sancta Religio

tam

tam divina, in Relionem prorsus humanam ac politicam degeneraret. In illo ipso metu, qui me solicitum haberet, ita mihi vos affari liceret; utamur nihilominus, Auditores, idoneâ rerum opportunitate, quas nobis summé providens DEUS, ad fidei Christianæ, salutísque nostræ subsidium præbet. Cùm nos hominum respectus, quamquam neque sanctus per sese, neque laude dignus, facit ut simus officiorum retinentes, non est semper inutilis censendus. Præsidio is est imbecillitati nostræ. Cùm ad DEI nos cultum adducit, sit quantumlibet vitiosus atque damnandus, non est prorsus & quoquo sensu abdicandus, sed corrigendus, sed emendandus, sed in melius commutandus. Ab homine gradum facere nos oportet ad DEUM ipsum; & ex contentione eorum, ad quæ parati simus hominis causâ, excitare nosmetipsos, ad DEUM *& Regnum* ejus unicè *quærendum.* *Matth. 6.*

Ex illâ autem doctrinâ, quam & fides ipsa comprobat, grates habeamus omnipotenti ac summè misericordi DEO, ob concessum Galliæ nostræ regem, qui non frustra Religionis defensor ac tutor habetur suæ, cùm pernosmetipsos tantùm stet, quin & nostræ, si zelo ipsius uti voluerimus, defensor etiam ac tutor habea-

habeatur. Numeremus in beneficijs, iisque maximis; acceptis à DEO, quòd editi non simus in lucem infelicibus illis sæculis, quibus impietas erat in more; &, ut hominibus esses acceptus, necesse erat, ut inimicitias gereres cum DEO. Ponite in summæ felicitatis parte, vos præsertim, qui mihi dicenti auscultatis, quòd in ea incideritis tempora, quòd sub eo Principe, quòd eâ in Aulâ vivatis, in qua detestanda illa dogmata, certè non vigent. Fateamur omnes, uno ore, excusatione nos ullâ esse indignos, si palam & apertè saluti nostræ operam non damus; &, quicumque tandem alius hominum respectus nos moretur euntes ac retardet in viâ, eundem, exemplo Principis, apud quem virtus in pretio est, qui eam ornat peræquè ac colit, cedere oportere. Ne illud usurpemus cum Israëlitis, *quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Quomodo mediâ in aulâ, quomodo inter mundanos homines debitum DEO honorem persolvamus? persolvemus utique in aulâ ipsâ, in ipso mundanorum hominum cœtu *Canticum Domini cantabimus.* Fuit olim aula, Babylon illa, ubi divinæ laudes nunquam audiebantur, ubi sanctissimum ipsius nomen proscindebatur à blasphemis hominibus: nunc, si voluerimus,

Psal. 136.

in honore ibidem erit. Sacrum ipsius Verbum avidè ibidem excipietur, & aulicorum palato sapiet. Divina ipsius lex erit ibidem in pretio, ibidem observabitur. Habemus eam in rem præsens adjumentum, quod si negligimus, quibus supplicijs non erimus digni?

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11. Hæc est orationis Christi clausula. Ab eâ beatitudine non excludebat palatinos homines; imò ad eos ipsos sermonem dirigebat; atque ut ostenderet, posse ipsos, imò debere beatitatem illam adipisci, exemplum proponebat Joannis Baptistæ, qui in Regis infidelis aulâ, DEUM qui ipsum miserat, liberè erat confessus. DEI ejusdem Nomine hunc in locum prodij, Auditores, verba ad vos facturus; sed in Aulâ Regis Christiani. Acceptam ab ipso Christo doctrinam vobis tradidi: faxit DEUS illam accipiatis citra ruborem ullum, ut vos Christus viciſſim non erubescat, agnoscat coram patre suo admittatque in Cælestis Regni gloriam, Amen.

IN

IN DOMINICA TERTIA ADVENTUS CONCIO.

De severitate Evangelica.

Ego vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini. *Joan. 1.*

REX CHRISTIANISSIME,

ILLA *Domini via*, ex vulgari, qui & proprius est, patrum omnium sensu, arcta est, haud dubiè, salutis via ; primúsque Joannes Baptista, ut Christi præcursor, missus eo consilio est, eandem ut monstraret humanis pararet in cordibus, explana-

planaret, dirigerétque potissimum non, dilatatam, ad sanctissimas illas leges, quas præscripsit, dum ad eam ineundam mortales omnes invitat; *dirigite viam Domini: rectas facite semitas ejus.* Arcta via, eáque unica, qua patere nobis potest aditus ad Cœlum, *arcta via est, quæ ducit ad vitam.* A primigeniâ quippe noxâ, inquit Hieronymus, alia nulla est ad DEUM via, quàm voluntaria sui ipsius vexatio. Verùm, quæ fatalis est ac misera sortis conditio; in quam sumus per peccatum conjecti, quot viam illam ignorant, nec satis discernunt? quot, in ijs etiam, qui eam inquirunt, & deprehendisse putant, aberrant in eâ nihilominus; & sempiternum tandem ad exitium præcipites ruunt? & verò scriptura docet, viam quandam esse, *quæ videtur homini recta, cujus novissima ducunt ad mortem.*

Matth. 7.

Proverb. 16.

Agite, Auditores Christiani, & à periculoso illo errore dum vos removere studeo, dum veram Christianæ severitatis formam animis vestris subjicio, attendite. Neque aliud nobis sumendum exemplar, quàm sanctissimus Christi præcursor. Ac quoniam lux, tenebrarum contentione, splendidior apparet, veram Joannis severitatem cùm ponamus cum falsâ illâ & simulatâ Pha-

Pharisæorum severitate, in quam Christus toties in Evangelio, tamque apertè est infectus. Quis vitæ rationem est sequutus austeriorem, quàm divinus ille Præcursor? quis fuit magis severis moribus? atenim in illâ ipsâ severitate, quod est notatu dignum, egregius semper fuit propriæ utilitatis contemptor; fuit summâ animi demissione; fuit summâ charitate præditus. Egregium fuisse dixi propriæ utilitatis contemptorem: per eum quippe unum stat quin Messias habeatur totâ Judæâ. Adsunt Levitæ & Sacerdotes legati à sinagogâ, qui honorem illum, ultro deferant. Verùm haud se præstringi sinens tam augustæ tamque excelsæ dignitatis fulgore, non se modò messiam expectatum, sed & ptophetam esse præcisè negat. *Elias es tu? non sum. Propheta es tu? non sum.* Joan. 1. Fuisse dixi summa animi demissione: oblatum quippe honorem non solum non admittit ille, verùm etiam, qui in vilissimis Christo serviat ministerijs, indignum se se profitetur. *Cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Act. 13. Addidi charitatem in eo summam enituisse. Si durus est, durus est sibi uni. De reliquo zeli sui vim & ardorem ita exprimit, ut ad informandum ad pietatem, ad permovendos, Christóque lucri-

lucrifaciendos populares ſuos, quantus eſt, dirigatur. *Ego vox clamantis: dirigite viam Domini.* En quod ſeveritatem appello verè Evangelicam. En quod Phariſæis deerat, deéſtque hodie tot aliis, ad quos, ut Hieronimus exprobrat, impoſtorum illorum vitia, fatali quadam ſunt hæreditate tranſmiſſa. *Væ vobis ad quos Phariſæorum vitia tranſierunt.* Pietatem præferabant illi admodum rigidam. Unde illa autem? ex quæſtûs videlicet & turpis compendii ſtudio. *Væ vobis* aiebat Chriſtus eoſdem objurgans, *qui comeditis domos viduarum orationes longas orantes.* Ex arcanâ quadam ſuperbiâ. *Væ vobis qui amatis primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis.* Ex immiſericordi in alios aſperitate. *Væ vobis qui alligatis onera gravia & importabilia, & in fratrum humeros ea imponitis.* Matth. 23. Ibid.

Ex his eruamus, Auditores, tres regulas ad Chriſtianam ſeveritatem ex veritate æſtimandam, colligamúsque, poni eam oportere in propriæ utilitatis contemptu; in ſincera animi demiſſione; in patiente ac tenerâ adverſus proximum charitate. Quæ tria, totidem erunt hodiernæ concionis capita. Dicat aliquis, haud ſatis convenire in aulicos homines tale argumentum. Ego contrà ſic ſtatuo,

in eos ipsos convenire vel maximè. Una quippe eadémque aulicis pariter ac cæteris mortalibus insistenda est arcta ad salutem via. Et, an alibi mágis, quàm in aulâ, arctam illam viam ingressis, cavendus est propriæ utilitatis amor, superbia, simultates, odia, livor, & alia generis ejusdem vitia, queis humanum pectus infici solet, & in peccatis obfirmari. Si non persuasero, docuero certè. Si severitatem non amplectentur aulici, formam illius aliquam saltem intuebuntur. Atque ut pauciſſimis doctrina prosit quam trado, satis hoc mihi. DEO utique glorioſum fuerit, etiam in aulâ invenire, vel potius veros adoratores efficere.

Ave Maria.

PARS. I.

A Resecandâ propriæ utilitatis immoderata cupiditate, ordienda illa est humani *Cordis circumcisio*, quæ à Paulo Apostolo commendatur, &, sine qua arctam illam salutis viam inire nemini licet. *Omnis ex vobis, inquit Christus, qui non renunciat omnibus quæ possidet*, multóque iis magis quæ non possidet, nec possidere fas est, quàm contra justitiæ ac divinæ providentiæ leges, *non potest meus esse discipulus.* En primum Christi doctrinæ moralis caput, quod, quamvis post-

Rom. 2.

Luc. 14.

postremus sit Evangelicæ perfectionis gradus, hominem tamen attollit supra id omne quod est inferius DEO; perficitque in eo reipsa, ac verè quod profana Philosophia in perfectissimis, & studiosissimis suis sectatoribus tantùm adumbravit. Ex quo istud efficitur, hominem Christianum, quamcumque tandem sanctitatis formam sibi proponat, severitatem illam, quæ, Evangelicæ legis propria est, perinde adipisci, prout commoda sua propriasque negligit utilitates; qua notâ ac veluti tesserâ discipulos Christus suos secerni ab aliis & dignosci voluit.

Nam ut illud omne Christianæ severitatis mysterium evolvam apud vos, attendite, quæso, Auditores, ad singula quæ sum dicturus: depellent illa errores totidem quibus ne occupentur animi vestri, haud abs re fortasse metuam. Si metienda est normâ aliquâ Christiana severitas, non difficultate rerum, quas homines aut suspiciunt, aut perferre parati sint; non splendidâ quadam vitæ rigidioris specie, non studio quodam reformationis morum, quod præferre amant in circulis; non voluntario etiam utilitatum quarumdam neglectu; quoniam ea omnia, si restrictè sumas, stare possunt, & stant reipsa quotidie,

tidie, cum solutissimis moribus, ne dum in iis posita sit disciplina illa severior, quam amplecti nos Christus jubet. Quænam est igitur certa, minimè fallax Christianæ severitatis nota? iterum dico, utilitatum suarum generalis, absoluta, sinceraque contemptio. Quæ ter geminæ dotes tam raræ sunt, quàm magno æstimandæ. Ex quibus cognoscere licet, utrum ii reipsa, DEO judice, simus, qui videri hominibus, injustè fortassis, gloriamur. Attentione vestrâ omni dignum istud est; quapropter videte, quæso, ne quid vobis pereat ex tam utili concionis argumento.

Sic est, Auditores, neque ex difficultate rerum, neque ex animi excelsitate, quam in iis aut suscipiendis, aut perpetiendis ostendimus, vera severitas dignosci debet à falsâ. Cujus sententiæ aperta probatio est. Nam ut optimè Chrysostomus, nihil naturæ tam est acerbum atque asperum, quod tolerabile non fiat, imò facilé ac jucundum, ubi spes aliqua âffulget utilitatis; eaque cùm instigat ad agendum? vim non modò nobis non inferimus, dum omittimus utilitatem illam, dum pravæ cupiditati obluctamur, & in angustum concludimus, ut vim nobis simus potius illaturi maximam, si utilitatem illam omit-

omittere, si notmetipsos concludere in angustum non libeat. Eadem videlicet nobis largimur, queîs fraudamus nosmetipsi. Cupiditatem comprimimus, alterius ductum sequuturi. Laborandum quidem nonnihil, sed vitioso sui ipsius amori non est is injucundus labor, imò facit idem ille amor ut grave jugi onus portemus, in eóque ipso se amat. Evangelicæ autem severitati materia esse nequit id in quo amat se impensè atque oblectat vitiosus ille sui ipsius amor. Et verò quis dicat avari hominis, qui ut congerat opes, enecat, se ipsum, austeram vitam esse ex Evangelii præscripto? quis dicat, aulici hominis servitutem, qui rem ut faciat, nihil non laboris exorbet atque molestiæ, numerandam esse in Christianæ abnegationis exercitiis, unde tam ampla justis enascitur meritorum seges? quin potius quo minus, eâ mente atque consilio, sibi indulget, eò creditur sui amantior, ab eóque sui odio, quod Christus imperat, magis est remotus. Quam obrem? quia propriæ utilitatis studium, cui miserè famulatur, aliud uihil est, quàm inordinatus sui ipsius amor, qui dies ipsum noctésque excruciat. Vera igitur ipsius abnegatio fuerit (de mundano homine loquor) ita non pati, renunciare huic utilitati, cujus

causâ cæteris omnibus nuntium remittit. Hoc enim opus, hic labor est, quem ut subeat nunquam impetraverit à seipso. Quoniam ex Ambrosii sententiâ si se is in angustum concludit, non in arctâ illa ac salutari viâ quam monstravit Christus Servator, sed per cæcitatem maximè deplorandam, *in spatiosa illa via quæ ducit ad perditionem.* Amplius dico, atque hoc loco attentos vos velim. Mores recti extrinsecus & ad austeriorem exacti disciplinam, si soli spectentur, certum non sunt Christianæ severitatis, quam inquirimus, argumentum. In promptu causa est; quia sub extrema illa vitæ rigidioris specie, latere potest arcanus utilitatis cujusdam amor, in quo se oblectent homines subdoli. Cujusnam utilitatis amor, dicat aliquis? ille ipse, Christiani Auditores, qui eò difficilius vincitur, & in majora immittit pericula, quò subtilior est & magis occultè latet. Nimirum utilitatis amor, in qua pietas; dum se immiscet, quod habet Religio maximè speciosum ac splendidum, prætendit. Etenim, *si pietas*, ut ait Apostolus, *ad omnia utilis est*, quamvis alio prorsus sensu istud dixerit, multò magis pietas, quæ castigata videri amat atque austera. Talis est autem pietas quorumdam hominum, quos Augusti-

nus

nus alicubi tam affabrè depinxit ; qui severitatem quæstui habent, & quorum sapientia omnis videatur sita in eo, ut severi habeantur. Ego verò, cùm primùm quæstuosam habent severitatem, nullam esse in iis, nec esse posse, contendo. Quoniam nullæ res magis disjunctæ ac contrariæ in Evangelicâ morum doctrinâ, quàm hæc duo, severitas & utilitatis studium.

Id ipsum cognoscere licet ex Pharisæis, quorum plausibile exemplum, eò ad movendum accommodatius est, quòd supremus omnium Magister Christus, cùm sæpius illud oculis nostris subjecit, nostræ quodammodo consecravit institutioni. Quid erat illis sanctius in speciem, & ab omni vitæ jucunditate ac commoditate remotius ; fuit id sectæ ipsorum proprium. Nec admiratione caret, quod notat Hieronymus, Christum Servatorem, qui nihil nisi sapientia, mansuetudo ac benignitas erat, multo majore indignatione, zelóque amariore in Pharisaicam illam severitatem, quàm in publicanorum ac meretricum maximè detastanda flagitia invectum esse.

Quid deerat Pharisæis ut severi essent ? imò quid non deerat, respondet Bernardus ? mendax inerat severitatis

umbra, non res ipsa, ne dum illius ingenium ac proprietates. Quoniam externa severitatis munera eò tantùm obibant, ut illius fructus perciperent atque compendia: hoc est, quoniam homines erant mercenarii, minimis in legibus præposterè Religiosi, ut certa ac stabilis permaneret vilis, quo ducebantur, lucri & quæstûs possessio; ut eò pervenirent quò spectabant: ut cupiditatem explerent suam: ut influerent in universorum animos: ut imperium haberent non in personas duntaxat, sed & in bona ipsa, quod exprobrat ipsis Christus; in bona, inquam, quarumdam præsertim viduarum, quæ falsâ sanctitatis opinione occupatæ, domesticas opes exhauriebant, ut immanem ipsorum avaritiam explerent. *Væ vobis quia comeditis domos viduarum.* in iis quippe omnibus quæ sunt ab Evangelistis notata, insistere solebat Christus, ut illos, si superis placet, Judææ sapientes merito pudore afficeret; nunquam impostoribus illis parcens, imò necessarium judicans, quasi detractâ personâ, ipsorum errores ac vitia proferre in lucem, ratus nihil magis doctrinæ suæ contrarium, quàm acer ille propriæ utilitatis amor, assimulatæ severitatis velo obductus.

Matth. 23.

Igi-

Igitur ut cœleſtem hanc morum doctrinam nobis accommodemus, Auditores, ſi eandem (quod DEUS avertat) viam inſiſtamus, & in ipſo ſinu Eccleſiæ, cujus fidem ac cultum profitemur, Phariſæis ſimiles nos eſſe, mores noſtri factaque ipſa convincant; (rem non ponimus impoſſibilem; Paulus enim qui impendentes Eccleſiæ procellas ac mala animo providebat, Timotheum admonet, venturum aliquando tempus, quo tempore homines exorientur adeò *mente* & corde *corrupti ut exiſtimet quæſtum eſſe pietatem.* 1. *Timot. 6.* Iſtuc utique Paulus prædixit, Auditores Chriſtiani, atque utinam ſæculum hoc noſtrum non ſit unum ex illis, quæ deſignant Apoſtoli verba!) ſi eveniat, inquam, ut dum ſanctâ Evangelii ſeveritate abutimur, ſcandalum, quod tanto ante deploravit Apoſtolus, moribus, noſtris repræſentemus; ſi jis rebus fortaſſe deſtituti, quibus homines nituntur ad gloriam, præſidia ad eam petamus è ſanctiore in ſpeciem vitæ inſtituto; ſi viâ illâ ſors & fortuna ſtabilis, ſi amicitiæ, ſi patrocinia quærantur; ſi illo vivendi ritu occultentur ſpes atque conſilia, quæ ſuis ſe temporibus tandem aperiant: adeò ut fucatus ille omnis ſeveræ pietatis nitor, ad arcanam tantùm ſpectet rei cujuspiam molitionem, ad tranſigendum ſuſceptum negotium; ad hunc

& illam suas in partes pelliciendam ; uno verbo ad societatem hanc, ad fœdum hoc, quod Apostolus exhorruit, commercium fovendum ; *existimantium quæstum esse pietatem* ; quis inibi ullum inesse dixerit Christianæ hujus severitatis vestigium, cujus est perfectos nos efficere, perfectos efficere sicut *Pater ipse Cœlestis est perfectus.* Qui ita judicat, Auditores Christiani, longè perfectò secus judicat quàm oporet, sucùmque ipsi sibi facere velle videtur. Eum in locum si res nostræ redierunt, non habet nos in discipulis suis Christus Servator. Illa emolumentorum suorum studiosa severitas, pernicioſissima est, & Christiano cuique maximè timenda morum solutio ; nec alium ex eâ fructum sperare nos oportet, nisi, ut postquam, illis adjumento, odiosam coram hominibus, aut ludicram, ad breve tempus, gesserimus personam, pudoris apud DEum & ignominiæ seges & materia nobis fiat.

At non deest ardor ac studium tuendæ disciplinæ ; quin & elucet illud nonnunquam, dum mundanæ licentiæ palam ac generosé obsistitur. En alius error, inquit Augustinus, in quem incurritur ; vehemens enim ille disciplinæ ardor tam laudabilis, támque necessarius aliunde, facilis est in circulis, in libris, in sugge-

stu,

ſtu. His finibus circumſcriptus, non incommodo eſt, ſed honori; eòque res rediit, ut vel impietas ipſa huic aſſueſcat ſermoni, quoniam ita loquendi mos invaluit, eique impunè nihil non agere licet, cujus vana mendaxque oratio priſcam redolet ſeveritatem.

Quot arte illa hypocritæ, humano generi dum vafrè imponunt, collectam ſanctimoniæ famam diu tenuêre? quot flagitiis coopertos de Eccleſiaſtica reformatione ac morum cenſurâ loquentes audias non indiſertè? adeò vulgare eſt impoſturæ genus, neminem ut illa jam fallat. Sed ne politicam illam mundanorum, hoc eſt, impiorum hominum artem penitus introſpiciamus, vultis noſſe, Auditores, an ardor iſte tam acer ac vehemens in ſpeciem, ſincerus germanúsque ſit in nobis Evangelicæ ſeveritatis fructus? illum æſtimemus ex nobismetipſis, ex noſtra vivendi ratione. Dum ita loquimur, hoc eſt dum in familiari congreſſu ſeveriora Chriſtianæ legis placita laudamus pleno ore, ſumúsne ad res noſtras minus attenti? ſumúsne perſequendi juris noſtri minus avidi? ſumus in diſtribendo cuique quod ſuum eſt, judices magis æqui? ſumus paratiores ad remittendum aliis quod Chriſtiana charitas tam ſæpe, quod pax, quod officii, quod honeſtatis ipſius leges à no-

nobis exigunt ? sumus à profanis illis consiliis, quæ, quod est in divino cultu sanctius, infestare solent, magis alieni ? en quippe, Auditores, eâ in re, si fas est ita loqui, lydius lapis. Sed enim ex illo probari non sustinet fucatus ille mendax- que severitatis zelus. Verbis exaggera- mus Christianæ Religionis sanctitatem, neque istud est propriè quod damnandum censeo ; verùm quo tempore tam rigidas sententias pronunciamus, si res agitanda quæpiam, si transigenda controversia, si collocanda pecunia, si restituendum alie- num, si Ecclesiasticum aliquod beneficium servandum aut negotiandum, & quando beneficii mentio facta est, si frangendi conscientiæ stimuli, quibus meritò pun- gimur ob plura simul possessa, præter fas, Ecclesiastica beneficia, ob longam ab iis absentiam, ob ipsorum permutationem, ob impensos, aut potius, ob profanatos eorumdem reditus, tunc enimvero ea fa- cimus, quæ vulgus hominum assolet, & nonnunquam pejora. Quamobrem ? quoniam tunc aguntur utilitates nostræ. Theologi illi faciles & commodi, quos æquo ferre animo vix poteramus, non tam odiosi jam apparent ; ipsorum opinio- nes, dum eas propriùs excutimus, sanæ videntur, & quamquam damnatas cen- ties a nobis, in aliena causa, rationi val-

de

de consonas judicamus in nostrâ. Ita videlicet hominum in perniciem ingeniosus est parvus ille sui ipsius amor: ita illorum animos occupat, ita corrumpit.

Scio, Christiani Auditores, non deesse nobis industriam ad probandam aliis in eo ipso Religionem nostram; & postquam Christianæ severitatis partes sumus amplexi, si quis casus gravior inciderit, ut repugnare commodis nostris severitas illa videatur, in quo, quid acturi tandem simus, homines exspectant, parati summo jure agere nobiscum, scio, inquam, in eo casu tam lubrico, artem ad famam incolumem tenendam nobis non deesse. Quapropter eam in opinionem, quæ nostræ favet cupiditati, non concedi continuò; quin potius ttistem à nobis ipsis, in nosmetipsos, sententiam ferri; amicas familiarium ac propinquorum objurgationes ferendas haud semel, priusquam adduci nos patiamur ad rigorem illum mitigandum; nec ullum esse Doctorem cujus responsa ac decreta non exquiramus. Atenim cùm video commœdiam illam omnem eò tandem evadere, ut magno id paratu fiat atque pompâ, quod fit haud cunctanter ab solutioris doctrinæ hominibus, nec fiat fortasse ab eo, qui vulgarem mundanæ vitæ teneat cursum, tametsi ardenti illo careat severioris disciplinæ zelo, non pos-

possum profectò, Auditores, non possum quin humanæ sortis calamitatem, mentisque nostræ imbecillitatem valde deplorem. Nimirum postulabat eo in casu Christiana severitas, ut omissâ cautione & anxietate illâ tantâ, inconsultis tot autoribus, non auditis tot consiliariis, figeres anchoram in præcipuo opinionis tuæ capite; hæreres firmiter in eo, quod tutius meliúsque bona fide judicaveras; faceres sincerè illud ipsum quod exigeres ab aliis; uno verbo, utilitatem ac quæstum illum omitteres, qui reipsa cùm Christianæ fidei legibus non rectè consistit. Vetùm ubi nunc extant ejusmodi severitatis exempla? hinc æstimanda tamen illa est, hinc metienda. Sicubi enim Christianum hominem audio nihil præter arctam crepantem Evangelii viam, suísque nihilo secius servientem utilitatibus, doctrinam suam editis miraculis confirmet, valere eum jubeo. Fundat oracula, non moveor, utilitates negligat suas, victorem victus sequor.

Denique dixi, ne ipsum quidem privatarum quarumdam utilitatum contemptum satis esse. Quamobrem? id ab Augustino est annotatum; quoniam facilè utilitas omittitur alterius utilitatis causâ. Quemadmodum Philosopho illi facile

fuit,

fuit, Platonis fastum calcare majore alio ac minus ferendo fastu.

Igitur si viam illam monstratam à Christo, & quæ Electorum est, ingredi volumus; noster ille utilitatum contemptus generalis, plenus, sincerúsque sit opottet. Generalis, ut ad DEI famulatum cùm accedis, DEum unum cogites, DEum unum spectes. An non is est dignus ad quem ita accedas? plenus, non conditione ullâ, non cancellis ullis circumscriptus. Hoc enim potissimùm loco valere debet illud, *aut omnia aut nihil*; minimáque privatæ utilitatis curâ, spectatissimæ pietatis fulgor hebetatur, meritum adimitur. Sincerus atque adeó artis illius immunis, qua utilitatem effugimus, eam ut certius consequamur, qua omittimus, ut commodius retineamus; qua probri vitandi causâ, propriæ utilitatis odium fictum & simulatum ostendimus, cùm illam sequimur perquàm studiosè; lingua enim nulla est, inquit Augustinus, quam non calleat propriæ utilitatis amor, persona nulla quam non getat, etiam rerum suarum contemporis. Sed quis fallere possit DEUM? imò quæ prudentia tanta, ut hominibus ipsis fucum faciat?

En primus, Auditores Christiani, Evangelicæ severitatis veluti character; hac

hac via ascenditut ad perfectionis culmen. Quandiu eâ ivêre Christiani, hoc est, quandiu privatæ utilitatis amor; eâ est excluſus, Christianæ fidei sanctitas pura & illibata permansit. Ubi sumus eâ primùm egressi, defloreſcere sensim Religionis animus, nos à Doctore Chtisto degenerare. Eam ob rem felicia illa veteris Ecclesiæ tempora satis requirere non possumus nec satis optare, ut ea tandem renascantur. Nulla tunc Christianis propria erat ac privata possessio. Sedenim ubi *meum ac tuum* distingui cœptum est; ubi insonuit verbum, quemadmodum Chrysostomus loquitur, frigidum illud quidem, sed quod frigore illo suo tantum incendium excitare solet in mortalium animis, possum ire Christiana sanctitas retro sublapsa; corrumpi humani mores, penitúsque deprauari. Nimirum dum nostrum quæsiimus, didicimus alienum nanciſci; alienum nacti, fecimus nostrum. Hinc tot diffidia, iniquæ lites, doli mali, concussiones, vexationes, bonorum usurpationes passim enatæ. Hinc in *sanctuarium* ipsum tot illapsi abusus; adeò ut Christianis exprobrari meritò jam possit, quod gentilibus olim Tertullianus, deorum majestatem privatis cujusque commodis apud ipsos servire. *Apud vos majestas quæstuaria efficitur.* Hinc simoniæ

1. Petr. 5.

pal-

palliatæ ac simulatæ ; permutationes simoniâ ipsâ sordidiores ; largitiones gratuitæ ; seu potius præmia & fructus officiorum ; tributa ac pensiones ; è beneficijs Ecclesiasticis nunquam possessis ; perceptæ. Hinc patrimonij Christi in pretiosam suppellectilem ; in equestrem pedestremque comitatum effusi ac dissipati, fructus. *Hinc dominandi in clero* insatiabilis cupiditas ; dum se in Ecclesiæ ministeria quisque immittit atque intrudit, ut habeat in quos superbum exerceat imperium. Quibus malis effectum est, ut in contemptum, in odium, in atroces hæreticorum calumnias eadem incurreret Ecclesia. *1. Pet. 5.*

Zelum nostrum hodiernâ die exsuscitemus ; Auditores ; animo simus magis, defæcato ; minúsque terrestri. Mittamus proloqui tot præclara vivendi præcepta ; ad rem ipsam veniamus. Primùm omnium vincula solvamus ; quibus pectus hostrum tenetur. Hoc si fecerimus, DEI gloriam promovebimus haud dubiè ; facem alijs præferemus ad virtutem ; Ecclesiæ hostibus impium os occludemus ; audeo dicere, nihil nos inde damni facturos ; pietate quippe contentum esse, autore Apostolo, maximæ sunt certissimæque divitiæ. *Quæstus magnus pietas cum sufficientia.* Eâ si contenti non sumus : si *1. Tim. 6.*

præter illam optamus quidpiam, & per ſacrilegij cujuſdam genus, ſpiritalibus ac cœleſtibus profana permiſcemus atque terreſtria, permiſtionem illam DEUS execratur, homines ipſi deſpicatui habent. DEUM unum attendamus, DEUM unum ſpectemus, ſatis erit nobis DEUS. *Cum ſufficientiâ.* Cur non ſit ſatis? ſatis eſt cœleſtium omnium concilio; ſatis eſt ipſe ſibi. An eſt nobis magìs amplum pectus, quàm tot beatis ſupernæ civitatis incolis, quàm ipſimet rerum omnium molitori DEO? *quid mihi eſt in cœlo*, Domine DEUS, *& à te quid volui ſuper terram*? ac ſi meus es, quid eſt quod amplius exoptem? ita loquebatur Propheta, cui DEUS erat rerum omnium loco. Aſpirabat ille quidem ad mercedem; eam efflagitabat, eam requirebat. Sedenim quid erat merces illa niſi DEUS ipſe? ſeveritas Chriſtiana, non propriæ ſolùm utilitatis contemptrix, ſed & humilis ſit oportet, quod ut oſtendam, proximè ſequitur.

Pſal. 72.

PARS II. QUemadmodum pulcherrimis fructibus vermes innaſcuntur, inquit Auguſtinus, ita excellentiſſimis virtutibus adhæreſcit ſuperbia. Quod enim eſt vermis frugibus, quas ſenſim arrodit, hoc ſuperbia virtutibus, præſertim Chriſtianis, quas

quas inficit. Nihil est utique, judice DEO, Evangelicâ illâ severitate, qua de loquor, perfectius, si modò ritè intelligatur, & exerceatur sanctè. Fructus nullus, quem quidem Christiana Religio ediderit ex sese, saporis magis exquisiti, magísque divini. Fatendum tamen, nullum vitiosi sui ipsius amoris corruptelæ, honorificæque de seipso opinionis valde lubricæ tentationi magis obnoxium esse; unde fit, ut cùm caveris tibi à cæteris omnibus á temetipso admodum difficilè caveas. Ita se res habet, & agnoscere nos æquum est, non sine pudore, rarò reperiuntur in hac, quam videmus, sæculi licentia, solutioris osores disciplinæ, qui ut Christus præcipit, severius in se animadvertant. Verumenimvero, quod pudorem nobis injiciat necesse est multò majorem, nihilò rarius fortasse reperias hac ætate nostrâ, vel in ijs ipsis qui sibi minus indulgent, quos vana subinde gloria non titillet, síntque animo verè *humiles & corde.* Humilem tamen esse, ait Bernardus, ac sibi severum ipsi, duo sunt apud Christum jugata inter se atque connexa. Et, si privatæ nostræ experientiæ fidem adhibuerimus, in sinceræ humiltatis exercitio, veram deprehendemus, ac necessariam severitatem positam esse

Matth. 11.

Igitur, quid si, per deplorandam cæcitatem, alterum ab altero divellamus? quid si, portum illum dum spectamus, ad quem sumus his verbis invitati, *intrate per angustam portam*, in periculosum illum blandientis gloriolæ, superbæque præsumptionis scopulum illidamus? meum est, Auditores Christiani, vobis illum procul ostendere, vestrum exhorrescere, vestrum declinare; vobisque ac mihi malè sit, si dolosam illam Dæmonis artem agnoscere, si agnitam vitare, pro virili parte, non studemus.

Matth. 7.

Dixi autem, atque ut ad Pharisæos sponte nos revocat concionis argumentum, idem est iterandum necessariò, si Christus eo consilio factus homo est, ut hominum mores emendaret in melius, austeriorisque vitæ vexillum (sit mihi fas ita loqui) erigeret, quid mirum, si nihil prius habuit, quàm ut apertum bellum indiceret piæ illi, si superis placet, ac Religiosæ nationi, qua non erat, vulgi opinione, magis severis, magisque austeris vitæ rationibus. Ut congruerent facta cum cœlesti, qua fungebatur, legatione, Evangelicisque placitis, quæ tradebat, debuit ita illos tractare. Agnovit videlicet latentes sub speciosæ severitatis larvâ superbos spiritus; habuitque ex eo pro injustis paternæ gloriæ raptoribus.

Hinc

Hinc acre illud assiduumque bellum. Habitus eorum omnis ac species pietatem spirabat; in externâ ac rigidâ legis observatione videri amabant anxiè Religiosi. De reliquo, præclarâ, quam de se, suisque virtutibus imbiberant, opinione, adeò inflati, ut quidquid ijs boni inesset, sibi tribuerent arroganter. Qui se circumspiciebant magnificè, gaudebantque spectantium oculos in se convertere, velut in justos, in perfectos, & irreprehensos viros; *qui in se confidebant tanquam Justi.* Luc. 18. Hinc, quasi pro jure suo, cæteros mortales aspernari, vitæ sanctimoniam ac perfectionem omnem apud se solos sitam credere, eam unam approbare & laudare. *Aspernabantur cæteros.* Ibid. Inde est, quod, citra ingenuum pudorem, non superbo solùm discrimine, sed & insanâ, quàm sibi arrogabant, prærogativâ, gloriabantur; ut grates DEO etiam agere non dubitarent, quòd ab aliorum omnium moribus sui ipsorum mores quàm longissimè distarent. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum.* Luc. 18. Quin & in ipsis humilitatis exercitijs, in ipsis pœnitentiæ laboribus falsam illi gloriam aucupabantur, dum longâ se conficiebant inediâ, ut jejunijs operam dare viderentur; dum nativum colorem exterminabant, ut fi-

dem sibi ac reverentiam populorum exan-
Matth. 6. gui oris pallore, conciliarent. *Exterminant facies suas ut appareant jejunantes.* Eo vitæ ac doctrinæ rigidioris obtentu, magistri nomen & magisterium ipsum dum sibi ubique vindicabant, ambitionem ex-
Matth. 23. plebant suam; *& vocari ab hominibus Rabbi*; nullóque alio, quàm vitæ in speciem emendatioris, titulo, subnixi, quasi pro suo jure, primas passim occupabant sedes. *Amant autem primos recubitus in cœ-*
Ibid. *nis, & primas Cathedras in Synagogis.* His quippe coloribus eos Christus ipse descripsit, nihil ut in Evangelio expressius sit imagine illâ, quam, ad suimet notitiam habendam, intueri quemque voluit, attentiúsque spectare. Hæc autem omnia, inquit Augustinus, consistere prorsus nequeunt cum Evangelicâ severitate, qualem Christus informabat, & volebat inter homines constituram. Atque ob id ipsum contra fastosam doctorum illorum severitatem tantâ egit zeli vehementiâ. At, si fastum illum ferre non potuit in Pharisæis, quî feret in nobis? istuc ipsum pulchrè est à Gregorio Papâ notatum. Si severitatem illam, superbiæ tabo vitiatam, atque corruptam, palam & apertè coarguit in hominibus non suis, & divinâ ejus doctrinâ nunquam imbutis, quid vi-

dea-

deatur in Christianis, qui, ut Zeno Veronensis loquitur, ipsius humilitatis discipuli sunt, ejusdémque imitatores & æmulos esse oportet? atque hoc aliud est mali genus, Auditores, quod summo studio vitare jubemur his verbis. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Neque enim existimandum, speciosam illam ac splendidam severitatem, damnatam toties à Christo, inane quoddam esse simulachrum, quod Evangelica lex planè discussérit. Exístit illa etiam num in terris, atque utinam, quæ Pharisæorum olim propria labes fuit, non sit ad nos infeliciter transmissa. Ea est enim reapse sors hominis calamitosa. Ut is mera vanitas est, imò *nihilum* ex sese, ita originem illam vel ipsæ redolent ejus virtutes. Atque ut superbia pars quædam est, ut ita loquar, subtilior, tam alté insiti amoris, quo se quisque prosequitur, tristi quodam fato, non in ea solùm se immittit in quibus amare quodammodo liceat nosmetipsos, sed & in odium ipsum nostri, in abnegationem ipsam nostri, in voluntarias etiam peccatorum pœnas, quas divino nobis irrogamus instinctu. Vix rectioris cujusdam vitæ curriculum sumus ingressi, cùm tartareus ille superbiæ signifer nos

Matth. 6.

Psal. 57.

adoritur. Exinde, ni cavemus nosmet-ipsos, qui simus statim obliviscimur. Jam videmur nobis inferiorem hanc mundi plagam deseruisse videmur singulariter electi à DEO, singulariter ab eo diligi. Nobismetipsi nunquam non placemus, parati semper nos, nostráque omnia tollere ad cœlum, ut DEO videlicet sua, per nos, laus tribuatur. Non quod, in multis, Christianam non præferamus demissionem; sed eam, quæ, ut ait Hieronymus, in damni ullius periculum non venit. Demissionem, quæ honoris cupida est, & illius adipiscendi certa. Demissionem, quæ laudis illicium est, & qua se superbia ipsa exornat. Peccatores ultro nos agnoscimus, ac confitemur ipsi universè; aliqua privatim in re peccatum à se, quis fateatur? crederes satis hoc esse quòd vitam profitearis austeriorem, te ut magnificè circumspicias, proprio judicio stes obstinatè, tuarum immodicus sis opinionum admirator. Inde fit, ut de te uno, vel imprudens & incogitans, sermonem habeas, in te uno bona perspicias, cætera omnia ex te semper uno metiare; & quamquam multiformis DEI gratia vias habeat omnino diversas, queîs homines eôdem deducat, eam unam approbes quam

quam sequaris, ac, per mentis, sibi præsidentis, angustiam omnia studeas, si in te situm sit, ad tuam vivendi rationem revocare. Quoniam autem eò non libenter omnium voluntates inclinant, miseret te omnium, miseret, inquam, non ex tenero & charitatis pleno affectu, sed ex fastidiosa & contemptrice misericordiâ. Quod palato tuo non sapit, videtur DEO exosum; perisse reris alios omnes, fanatici hominis exemplo, de quo Bernardus, qui nescio quibus verborum præstigijs, indoctæ persuaserat simplicique plebeculæ, etiam post obitam à Christo mortem, fermè nemini ad salutem aditum patere, omnésque cælesti misericordiæ divitias ijs unis destinatas, qui novi doctoris placita pronis auribus admitterent; hoc est, qui stultè sibi fucum ab eo fieri paterentur. *Qui nescio qua arte* (digna sunt verba quæ notentur) *persuaserat populo stulto & insipienti, etiam post Christi effusum sanguinem, totum mundum perditum iri; & ad solos, quos decipiebat, totas miserationum DEI divitias, & universitatis gratiam perveniisse.* Quoties sunt, sæculis consequentibus, eodem errore homines decepti? induitur libenter Christianæ severitatis jugum, modò tamen honorificum sit. Fit cum mundo divortium, *Bernard.*

sed mundo ipso teste ; ac si premendum silentio facinus credatur , haud scio, an animus desit ad audendum. Voluptates abdicantur , quas damnat Religio Christiana , sed abdicationis gloriâ pascit se mens ac fulcit. Amputatur luxuries vestium , at sibi indulgetur , non secus, aut etiam magis , quàm sibi mundo addictissimus quisque indulgeat. Forma negligitur , at mentis acies ac judicium fit pluris , quàm res quævis alia. Sumptus minuitur , abstinetur , bellum indicitur sibi in occulto , at brevi perficitur, palam ut fiant , quæ sunt occulta ; nec desunt artes innumeræ , quibus benefacta illa , salvo etiam decoro , per omnium ora vulgentur. Inde in his infinitisque alijs rebus amatur quidquid est singulare. Cur ? quoniam , quod singulare est, magnam habet admirationem, qua humana vanitas mirificè capitur. Quanta quanta est Evangelica perfectio, si ad simplices vulgarésque vias accommodata sit , nihil habeat quod afficiat. Si quid existit insolentis & novi , statim eò concurritur , ut ad maximum incitamentum pietatis ; & , cum Augustino redire cogitans ad bonam frugem, nihil antiquius habuerit , quàm ut pompam ac strepitum vitaret , *ne conversa*, inquit, *in factum meum , intuentium ora dicerent,*

Confess. l. 9. c. 2.

cerent, quod quasi appetijſſent magnus videri: nos contrà, & ſapientiâ longè diſpari, in ipſo etiam pœnitentiæ rigore, vanum, quo præſtringimur, quærimus ſplendorem. Satis eſt certo quodam ſeverioris diſciplinæ ac morum reformationis zelo agamur, nobis ut arrogemus poteſtatem quacunque de re judicandi; ut imperium uſurpemus neque à DEO, neque ab hominibus conceſſum, idque ad eos fortaſſe comprimendos, à quibus ſimus potiori jure comprimendi. In Sacerdotes ipſos cenſoriam ſeveritatem diſtringet homo laicus. Inſurget ille in monachos, collapſam emendaturus diſciplinam. Leges illa præſcribet & modum vivendi neſcio quibusnam. Atque hæc omnia, quoniam eorum quiſque non perſpicit, pietatis obtentu, dominatum in alios affectari. Quin & illa, ut jam dixi, præſumptio ſæpe degenerat, & in ambitionem vertitur. Credas doctrinæ ſeveritatem, gradum eſſe ad altiora, &, ſi modò illâ appoſitè utaris, virtutes omnes per illam ſupleri. Ut phariſæi, ad primas olim in Synagogis ſedes occupandas, ita nunc eâ multi abutuntur ad ampliſſimos Eccleſiæ gradus obtinendos. Quis enim non dicat fuiſſe Chriſto propoſitum, in ſapientium illorum, ut quidem habebantur, perſonâ, vitiâ omnia, erro-

errorésque omnes, qui nunc vigent, oculis nostris subjicere; & cui mirum non accidat, quæ tunc ipsis crimini dabantur, eadem nunc inter Christianos, re quidem ipsa spectari? contendo autem, fermentum illud, illum animi tumorem, Christianæ severitatis meritum omne non corrumpere modò, sed & ejusdem veluti substantiam prorsus convellere. Meritum corrumpere haud dubium opinor est; quid enim meriti colligat is, cui superbia dominatur? qua fronte Paulinum illud usurpet, *reposita est mihi corona justitiæ*? quidni enim respondeat DEUS pro jure suo, *recepisti mercedem tuam*. Promittis tibi ipse mercedem, nec attendis, jam acceptam, aut potius datam tibi à temetipso? volebas explere cupiditatem tuam. Volebas tui ipsius amori indulgere impensius. Et, qua in re non indulsisti? qua in re te non amasti? qua in re tacitè tibi non plausisti? itaque *recepisti mercedem tuam*. Nihil amplius tibi est à me expectandum, præter debitas vanitati ac superbiæ tuæ pœnas. At in nomine tuo asperas inij vivendi vias. Meo in nomine? dic in tuo. Etenim nomen tuum, tuo, vel aliorum studio, magis celebratum est, magis laudatum: nominis autem mei inde imminuta gloria est, tantum abest ut aliquid receperit incrementi.

2. Tim. 4.

Matth. 6.

Ex

Ex quibus consequens est, Christiani Auditores, nullum ex eâ severitate fructum ac meritum percipi posse. Addo, nullam tunc veram esse severitatem, superbia naturam illius universam destruente. Causa est in promptu. Quoniam vera ac Christiana severitas in eo ponenda, ut vim sibi quisque inferat, ut vitiosæ naturæ ut pravo sui ipsius amori fortiter obluctetur. Id autem omne quod superbiæ nostræ blanditur, vitiosæ item naturæ blanditur; ei autem obsequimur, ei indulgemus, eam pascimus ijs omnibus, quæ sapiunt ipsi vel maximè, ne dum ipsam coercemus. Et verò nulla est tam laboriosa, tamque aspera vivendi ratio, quæ non dulcescat cogitanti, forte, si viam illam sequatur, nomen ut inclarescat suum, celebretur hominum sermone, in honore sit apud omnes. Nullo ad id opus est Cælestis gratiæ præsidio. Natura ad id sola sufficit hinc, inquit Chrysostomus, (atque hæc sententia valde gravis ac solida semper visa mihi est) multò leviora sunt ac faciliora, quæ, præter imperata, fiunt à nobis, quàm imperata ipsa; & est maximè vulgaris, vel inter eos, qui pietati addictissimi sunt, error, ut omissis DEI præceptis, in ijs quæ suadentur, & præceptis oneribus superaddi possunt, sint

sint anxiè religiosi. Qui ita ? quoniam præter solitum pensum, gloriosum est agere quidpiam, & gloriâ ducimur qua nihil non facile fit & expeditum. Contrà verò qui officio fungitur, spes ei laudis nulla alia subest, quàm quæ servos inutiles manet. *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Luc. 7.

Quænam ergo vera ac Christianorum propria austeritas ? (istuc, quæso, percipite ; Auditores, &, ne unquam vobis ex animo defluat, cavete.) In eo posita est Evangelica severitas, ut summa simus animi demissione : ut nobis ipsi evilescamus ; ut nostri ipsorum inanes simus & vacui ; ut in nos, nostráque, mentis aciem non reflectamus tam crebrò ; ut mortuis similes, non afficiamur ; certè nullo teneamur honoris & gloriæ studio ; ut, DEO volente, æquo animo deprimi nos sinamus atque contemni. Evangelica severitas in eo posita est, ut abjectionem, ut contemptum, ut latebras amemus, dum breve illud quidem, sed grave, Bernardi præceptum sincerè atque ex animo observamus, *ama nesciri.* Hæc enim refugit, hæc horret natura cogitare. Jacebo deinceps in omnium oblivione : de me sermo jam nullus erit, actionum mearum DEUM testem unicum habebo. Qui sim, aut quid agam, ignorabitur.

bitur. Quoniam autem ipsa etiam Christiana demissio, periculis objicitur haud paucis, si implicari eam contingat certo aliquo genere cursúsquè vivendi, cujus perfectio omnis, tametsi sancta aliunde insigne quiddam præfert ac prope singulare; vera Christianorum demissio, ea præsertim quæ vanitati obnoxijs convenit, in eo sæpe sita est, vias ut teneant vulgares ac tritas, atque ijs operibus insistant obscuri, quæ clariore positi loco splendidius obirent, Viam illam pervulgatam cùm eris ingressus, jacebis in omnium oblivione: tanto melius. Quid enim tibi optatius fuerit? viam illam pervulgatam cùm eris ingressus, nulli jam erunt vel leviſſimarum tuarum actionum admiratores, nulli approbatores appositi atque conducti: sit ita sanè: at opera piè à te perfecta, eo tutiore erunt loco, Deóque longè gratiora. Viam illam pervulgatam cùm eris ingressus, in perfectorum numerum ac societatem non cooptaberis; tuum nomen velut sepultum erit: rectè. Sors quippe illa, ea ipsa est, quam ambire te jubet Apostolus, cùm ait, tibi ut Christiano, terrena omnia posthabenda, *vitamque tuam absconditam esse* oportere *cum Christo in DEO*. Coloss. 3. Istuc quidem acerbum videbitur, ut est reapse; atenim per illud ipsum, & in eo ipso, tibi

tibi sese ; aperiet via illa arctior, qua ad Christiani hominis propriam sanctitatem aditus patet. Fac, Domine, altissimas in animis nostris radices agant sanctissima illa dogmata. Gratias tibi ago immortales, *ô DEUS cordis mei, quia hæc abscondisti à sapientibus & prudentibus.* Psal. 72. Matth. 11. Non dico profanis mundi duntaxat, & deterioris sapientiæ amatoribus, sed sapientibus, hoc est, superbis Christianæ pietatis cultoribus, qui *in suis cogitationibus evanuêre.* Ibid. *Sed revelasti ea parvulis.* Gratias simul ago, quod ea parvulis patefacere sis dignatus ; parvulis, inquam, qui neque se in contagiosam mundi aulam sponte immittunt, nec immittuntur ab alijs ; quorum virtutes non prædicantur tam magnificè ; sed quorum nomina terrarum incolis ignota, *scripta sunt in Cælis* ; Luc. 10. quique vias eò rectiores sequuntur ac tutiores, quò simpliciores sunt & magis perfulgatæ. Ibid. *Ita pater quoniam sic placitum fuit ante te.* Sed jam finis sit. Severitatem Christianam dixi utilitatis contemptricem suæ ; dixi esse humilem ; teneta charitate prædictam esse, restat ut ostendam.

PARS. III. NULLÆ res magis in speciem inter se disjunctæ atque contrariæ videntur, quàm charitas & severitas Christiana.

na. Charitas enim teste Apostolo, patiens est ac benigna: omnia tegit, *omnia suffert, omnia sustinet.* Contrà verò severitatis est, nihil condonare, nihil sufferre, nusquam obsequi, nusquam indulgere. In suis esse opinionibus obstinatum, ac flecti nescium, rigidum in omni vitæ ratione. Quæ omnia prima specie inter sese pugnare videntur. Ponit tamen Christus ut quid certum, Auditores, res illas tam discrepantes in speciem, necti ac jugari inter sese posse; ipsiúsque Evangelium legenti paulò attentius, vix apparet, in quam ex geminis illis virtutibus, magis inclinet ille atque propendeat; alteram enim ab altera nunquam sejungit; hanc sine illa repudiat, ex utraque pariter Evangelicam suam legem componens ac veluti coagmentans Quî ea autem inter se conciliari possint? nihil facilius, Auditores, nihil expeditius in Evangelica morum doctrina paulùm versato. Res attentius consideremus, & ex earum dissimilitudine ac discrepantiâ facilé intelligemus, quod pugnare videtur, illud ipsum esse, ex quo mirabilis ille doctrinæ Evangelicæ veluti concentus & harmonia existit. Et verò, inquit Augustinus, qui nodum hunc disoluit, nunquam Christus severos aliis nos esse voluit sed nobis; neque charitatem, 1. Cor. 13.

qua de agitur, hoc est, mansuetudinem ac benignitatem in nosmet, sed in alios exercere. Charitas autem in alios, & severitas in se ipsum, duo sunt Christianorum officia; quæ ad fœdus & concordiam sponte veniunt, belléque conspirant in unum; tantùm abest ut inter se dissideant atque discordent. Constat quippe, vel unum charitatis erga fratres præceptum, postúlare, ut severi simus in nos metipsos; & quotidianâ patere experientiâ, frequentiores occasiones ac causas severitatis hujus in nos exercendæ, à charitate in proximum proficisci.

De his porro non loquor, quibus à DEO imperium in homines est datum; multò minus de iis, qui suam aliis curam debent, quales sunt pastores, confessarii & animarum rectores. Non meum est, quod jam alias significavi, leges ipsis præscribere, quas ab iis accipere me præstiterit. In sacris muneribus obeundis severos an indulgentes eos esse oporteat; severitatis an charitatis potior ratio sit habenda; an severitas sine charitate utilis, aut charitas sine severitate efficax esse possit. Sunt hæc totidem quæstionum capita, quæ, ut ad vos non attinent, ita decidere nolim hoc loco. De privatis hominibus loquor, prout rem habent

habent cum privatis aliis, sortis & conditionis ejusdem; ac dico, quod vestra meáque valde interest assiduè meditari, charitatem, quam proximo debemus, longé copiosissimam, maximéque necessàriam, severitatis illius in nosmet exercendæ, materiam esse. Quamobrem? potest hoc vocari in dubium, post traditam ab Apostolo Paulo excellentem illam Christianæ charitatis formam? experientiâ præsertim comprobante, cujus operæ & laboris sit, in quotidiano usu ac consuetudine, alios aliis debita charitatis officia præstare. Cum docet Apostolus, eorum, cum quibus rationem habes, defectus ac vitia ferenda esse charitatis; faciendum iis benignè; sublevandas ipsorum calamitates; cùm addit charitatem amaram non esse, non irritati facilem; non malefacta malefactis ulciscì, sed patientem esse injuriarum beneficam iis à quibus est lacessita; paratam nihil non perpeti; in vividâ hac & eloquenti descriptione, ecquid aliud docet, quàm salutarem in nosmet severitatem? severitatem, inquam, veram; ea enim omnia ut perficias, quanta tibi vis inferenda? quoties debellandæ pravæ animi affectiones? quoties natura & mores, quoties cupiditates comprimendæ? singula persequamur. Patientem hanc cha-

ritatem ut retineas, quid non ferendum? in quotidiano convictu, quàm inordinati hominum quorumdam motus ac mores, ad quos necesse est ut te accommodes atque componas? quàm multa partim inofficiosa, partim acerba, partim etiam injuriosa exorbenda tibi? quoties repugnantia & naturale quoddam in alios odium vincendum; ut prudentem hanc & sapientem charitatem exerceas, quoties contineas te oportet; quoties charitatis studio, tenenda tibi lingua pruriens? quoties dandæ manus, cùm libeat magis aggressoris impetum repellere? quoties quod vituperare aveas, excusandum? quoties præoptandum, minus ut elegans ac festivus habeare in familiari congressu, quàm ut verbo ullo lædas quemquam, aut liberiore joco perstringas? ut charitatem exerceas, suarum rerum minimè cupidam, quid non abjiciendum & conculcandum? quæ non omittenda jura? quoties cùm facilis sit victoria, cedendum, pacis studio, & pertinaci adversario obsequendum? ut benignam hanc aliis exhibeas charitatem, qui non fluctus irarum componendi? qui non frangendi vindictæ impetus? quæ non maleficia, quæ non injuriæ voluntariâ sunt oblivione conterendæ? quid est, quæso, Auditores, quid

quid est Evangelica severitas, si hoc non est? date hominem sui amantem, date sibi suisque cupiditatibus obluctari nescium, qui fungatur his aliisque innumeris charitatis muneribus? qui proximum diligat, iis, quas dixi, conditionibus? qui sublevet ipsius inopiam, vel cum suo incommodo? qui se demittat iratum mitigaturus? quî poterit à se impetrare injuriam ut condonet, ipsum officio ut prævertat, ad muniendam reconciliationis viam? maneat igitur, quam debemus proximo charitatem. Christianæ partem esse severitatis, vel maximè necessariam, ac veluti fundamentum & basim, tantùm abest ut ei repugnet & adversetur. Quid autem fit? percipite, quæso, hoc postremum. Cùm cogitata & facta nostra eo principio metiri nos oporteat, rerum ordinem invertimus. Per incredibilem humanæ mentis perversitatem, quam, ni cavemus, importare solet vitiosus sui ipsius amor, in fratres, nobis non obnoxios, acerbæ severitatis aculeos emittimus, ni nos ipsos, ex humano divinóque jure, aut primùm, aut solùm emittendos. Quò enim illa, in qua nos tantopere amamus, vulgò severitas evadit? edat in nobis nonnullos fructus, per me quidem licet, ableget & exclu-

dat certas quasdam voluptates & oblectamenta Christiano homine haud satis digna; per eam etiam si vultis, mente in DEUM & salutis curam videamur magis erecta ac vigili. Si nos eadem morosos nihilominus, si difficiles, si acres alienæ vitæ reprehensores, humanæque societati invisos & intolerandos censores efficit; si nobis illud eripit charitatis plenum obsequium, sine quo pacem & concordiam vix ac ne vix quidem retineas; si, quoniam severitatem profitemur, nihil approbamus, nihil toleramus, nihil condonamus, quasi pro jure nostro; si severitas illa nostra, in eo tota est, ut festucam in fraterno deprehendat oculo, ut augeat illam, ut amplificet in trabis immensæ molem; si quoddam acerbitatis virus immittit in salutates etiam viriorum reprehensiones; aut, si per Christianæ charitatis causam, facit illa, ut citra modum, inconsultè semper ac temerè alios reprehendamus; si dat nobis liberatem ac licentiam aliis obtrectandi eò periculosiorem, quò videtur honestior, & zeli speciem aliquam præfert; si, pietatis studio, proximi famam magis cruento dente laceramus, quàm maledicentissimi obtrectatores, aut imprudenter aut malignè; si eò severitas illa valet, ut simultates nostras foveat, odium

odium excidet, & vindictæ appetitum nulla arte placabilem; adeò ut, quia, aut sumus, aut habemur pii ac religiosi, multò alii magis metuant in nostram offensionem incurrere, quàm in alterius cujusvis è profano mortalium vulgo, qui ad tantum sanctimoniæ apicem non aspiret. Atenim, si super hæc, odium ipsum & odium manens, voluntatis alienatio, si contra dicendi studium, fons est & arcanum severitatis profitendæ principium, hoc enim fieri potest; & quoniam sacri oratoris est Christianorum emendare vitia, non illa debeo silentio præterire; in eos, inquam, abusus, si severitas nostra degeneret, falsa illa est ac mendax, meritóque nobis, quod Pharisæis, objiciatur, valde curiosos & anxios minimarum legum observatores nos esse, dum gravissimarum sumus negligentissimi. Est enim charitas unum è gravissimis DEI mandatis; atque hoc ipsum est, hypocritæ, inquit Christus, Pharisæos compellans, quod non admodum curatis. Vestra omnis pietas minutulis in rebus versatur, in solvendis, verbi causâ, decimis, quæ nec lege imperantur nec exiguntur à vobis. *Decimatis mentham & anethum*, dum sanctissima Religionis capita, justitiam videlicet ac misericordiam proculcatis. *Matth. 23.*

Ibid. *Reliquistis quæ graviora sunt legis misericordiam & judicium.* Lex vos vestra æquos esse vult in ferendis judiciis, & in proximum maximè iniquas sententias fertis, dum famam ipsius minuitis, laceratis, dum facta omnia damnatis. Lex præcipit, ut fratri subsidio veniatis, & novos in eum hostes suscitatis; novas quotidie in ipsum struitis machinationes; incumbitis in ejus perniciem, tantùm abest lapsum ut sublevetis. Sic vos cupiditas & avaritia cæcos reddit; sic camelum voratis, in percolando culice anxiè soliciti.

Ea fuit Pharisæorum ratio. Certas quasdam traditiones ac cæremonias observabant perquàm scrupulosè, suam in iis morum severitatem ponentes, dum sanctissima quæque officia nullo negotio violabant. Ea Religione, ne dicam superstitione, quieta illis erat Sabbati dies, ut maluerint, quod notat Josephus, Jerosolymitanam urbem dedere Romanis, unàque fortunas, libertatem, salutem publicam exponere victorum arbitrio, quàm sacram statæ lucis quietem, disjecti instauratione muri, turbare; eadem tamen Sabbati dies nullam eorum atrociſſimam perfidiam, nullam quantumvis nefandam morabatur proditionem. In Pilati ædes introire nefas ducebant, ne profanæ domûs intro-

introire nefas ducebant ne profanæ domûs ingreſſu, quemadmodum narrat Evangeliſta, *contaminarentur*; dum interea in Chriſtum Dominum conſpirare, calumniis appetere innocentem, capitalis judicii corruptelam moliri non dubitabant. Pii ſanè ac religioſi homines, inquit Auguſtinus, *qui alienigenæ judicis prætoria contaminari metuebant, & fratris innocentis ſanguinem fundere non timebant.* Quis in eo non agnoſcat graphicè expreſſam ſæculi hujus noſtri pietatem? videas, quæ centies ad ſacram menſam accedat, & in re leviſſima marito, liberis, propinquis, domeſticis neſciat indulgere: quæ voluntariis pœnis corpus caſtiget, & vim nullam inferat pravæ animi cupiditati; quæ inæquabili morum acerbitate, triſtique ſupercilio familiam turbet univerſam. Videas abjectam in genua, murmurantem ante ſacrum altare longiſſimas precationum formulas, mox in familiari congreſſu viperino quemvis dente rodentem. Quid hoc rei eſſe dixero? pietatem Evangelico illo Phariſæo dignam; aut, ut cum Paulo Apoſtolo loquar, pietatem planè puerilem. Nolite, inquit, fratres, (ita Corinthios is affatur.) Nolile, in jis quæ ad pietatem pertinent, puerorum ſimiles eſſe. *Fratres nolite pueri effici ſenſibus.* Quam in rem valde appoſita ſimilitudine

Joan. 18.

1. Cor. 1.

uti videtur Chysostomus. Considerate, inquit, puerulum. Domesticam supellectilem fures compilent, paternam hæreditatem avertant, domus ipsa incendio deflagret, nihil, his admodum movetur; crepundia auferas, queis se pueriliter oblectat; Flere continuò videas, ejulare, insolabiliter lamentari Familiare prorsus ac propè quotidianum malum. Violentur sacratissimæ Charitatis leges. Vix attenditur. Voluntaria quædam intermittantur ultróque suscepta pietatis exercitia: ad sacrum continuò curritur pœnitentiæ tribunal. In Sacerdotis aures, non sine acerbo doloris sensu, piaculum deoneratur. Dicat aliquis, suntne deserenda cuncta hæc prorsus pietatis exercitia? estne inunda nobis via latior? an danda quæpiam severitati laxamenta? ad hæc illud ipsum respondeo quod olim Christus. Non dicebat Pharisæis omittite minutas has leges; sed maximè necessarias primùm observatote. *Hæc oportuit facere & illa non omittere.* Mores utique vestros, Auditores, Christiani, divinam ad legem exigite. Estote, per me licet, severi illius vindices, ad id vos exhortor, nec possum satis, pro rei gravitate, exhortari. Unum caveamus, quod summus ille vitæ interioris magister Salesius monet ne in defendendis exterioribus mu-

Matth. 23.

nimen-

nimentis immoremur, dum urbem ipſam hoſtis occupat ac tenet. Severitatem in vobis ſolidam volo; quod fiet, ſi compendia & utilitates ſuas illa non ſequatur. Si Chriſtianæ demiſſioni, ſi charitati adhæreſcet. Hac iter erit ad Evangelicæ culmen perfectionis, perennémque cæleſtis Regni felicitatem.

Amen.



IN

IN DOMINICA QUARTA ADVENTUS CONCIO.

De Pœnitentia.

Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc. 3.*

REX CHRISTIANISSIME,

QUANTUMCUNQUE misera sit hominis, in peccatum prolapsi, conditio, si vera esset pœnitentia quævis, aut, si facilè semper vera ab imperfectâ posset ac falsa dignosci; haberet is haud mediocre calamitatis levamentum, quoties in pœniten-

tentiâ malis ſuis perfugium præſens, certúmque pacis ac tranquillitatis fontem præſto ſibi adeſſe cogitaret. Deploranda prorſus, inquit Chryſoſtomus, peccatoris ſors, qui cùm certò ſciat ſe peccaſſe, de peractâ ritè pœnitentiâ ſuſpenſus ſemper & incertus pendeat neceſſe eſt! deploranda peccatoris ſors, qui de actâ pœnitentiâ non angi minus debeat, quàm de peccato ipſo! cùm ex ſacris paſſim litteris intelligat, per veram tantùm ac perfectam pœnitentiam, ſalvari hominem poſſe, contrà verò innumeras eſſe pœnitentiæ ſpecies, quæ, quia inanes & falſæ, aut quia imperfectæ & informes, ſalutiferæ eſſe neqeunt. Eâ in re ipſum ſi errare, ſi in agendâ pœnitentiâ falſum, pro vero, vitioſum pro recto habere contigerit ad longè calamitoſiſſimam peccatoris ſortem devolvetur haud dubiè, æternæ ipſius ruinæ ac damnationi cauſam pœnitentiâ, unde ſalus expectanda erat, afferente Homini profectò, ni planè ſit hebes, & Chriſtianæ fidei ignarus, immenſa juſtæ formidinis ſeges. Vultis, Auditores, placare hodierna die conſcientiam veſtram, quantùm in re tam gravi placari ea poteſt; atque adeò diſcere ex me, quæ vera ac germana pœnitentia, aut potius in quo poſitum ſit veræ pœnitentiæ à falſa di-

discrimen? accipite illud paucis, unáque hodiernæ concionis argumentum.

Veram certámque pœnitentiam eam appello; ad quam sanctus Christi præcursor Judæos hortabatur, cùm diceret, *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Non satis habebat ut pœnitentiam agerent; sed, ut essent illius securi, jubebat eam æstimare ex fructibus. Pœnitentia enim solida est, Deóque judici accepta, prout est efficax. Talis autem esse quî possit nisi per fructus quos profert? *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ad tria capita fructus illos revocare libet, antiquos Patres sequutus, ac pœnitentiam efficacem eam esse pronuntio, quæ peccati causas amputat; quæ reparat peccati damna amplectatur. Quæ tres pœnitentiæ proprietates, & pœnitentiam perficiunt, & moralem, quam vocant, homini præstant securitatem. Causas & materiam peccati penitus resecare; reparare illata per peccatum damna; idonea peccati remedia generosè amplecti; hæc sunt veræ pœnitentiæ totidem munera. Tres illas dotes adjunctas habeat pœnitentia vestra, Christiani Auditores, & licebit citra ullam temeritatis, & nimiæ fiduciæ notam, bene de eâ ominari; licebit bono animo esse. Una aliqua conditio de-

Matth. 3.

desit ex his tribus, inutilem eam esse oportet, aut etiam malam.

Adsis dicenti, Domine DEus, & ardore illo, quo Joannis olim succensa mens erat, pectus inflamma. Cœlestes illos aculeos emitte, queis Judæi salubriter compuncti, austerioris doctrinæ avidè satus accipiebant. Alterum mihi, alterum mihi de iis omnibus apud quos verba facio, postulo quæsóque.

Ave Maria.

EJus, rei quam priore loco posui, veluti fundamentum constituo in principiis duobus pariter certis, & quæ constare nobis debent, si modò animi nostri paulisper abdita scrutari, variósque motus inspicere libeat. Etenim statim animadvertemus, quod notavit Augustinus, quantumvis per peccatum depravata sit hominis natura, non amari illud ut peccatum est. Solius dæmonis est ita esse affectum. Quin & meritò dubites, utrum eò usque progrediatur obstinata ipsius perversitas. Materiam amamus & invitamenta peccati, non peccatum ipsum. Voluptatem amamus vetitam divinâ lege, at, non quia vetita est. Injustum amamus usuræ fructum, at, quia commodus & utilis est, non quia injustus; vindictam amamus, quæ flagitiosa, sed, quoniam ho- PARS. I.

honorificam ducimus, non quia flagitiosa sit.

Quin etiam optemus, fieri si possit, alterum altero secernere, & cogitationis, conjuncta distinguentis, ope, quam libenter admittat profligatissimus quisque, concessum velimus id omne, quod adamamus, in fruenda voluptate, quam prava cupiditas captat, DEUm non offendi; expleri libidinem, nec peccari. Sed quia sejungi ea duo nequeunt, & eo loci, in quo versari flagitiosum hominem ponimus, DEI timori libido præponderat. Hinc fit, inquit Augustinus, ut peccatum peccator non amans, imò odio habens, peccet nihilominus in explendâ libidine. Quamobrem? quoniam id amat ipsum quod saltem novit, nec ignorare potest, causam esse aut materiam peccato. Atque hoc illi satis fuerit, ut, vel invitus, divinæ fiat legis violator. Hoc primum esto principium. Igitur non ex odio strictè peccati ut peccatum est, secernendi homines sunt ad DEUM verè conversi, ab iis qui in flagitiis suis adhuc perseverant. Certum quippe, obstinatissimos quosque ganeones, quandiu aliqua, supersit fidei scintilla, odium illud peccati aut retinere, aut retinere posse. Non odio, inquam, illo vago peccati, non odio illo quod in mente solâ residet æstimandus est pœnitentiæ valor. Quis enim

enim ignorat, peccatori non valde operosum esse odium ejusmodi, & maximè futili pœnitentiæ, cum optimâ pœnitentiâ posse istuc esse commune.

Unde igitur auspicati nos oportet in discernendâ verâ pœnitentiâ & sincerâ illâ atque efficaci peccati detestatione? aures adjicere, & in vosmetipsi sedete judices, singula dum persequor, quæ ad mores informandos pertinent. A præsenti nimirum & verâ eorum amputatione, quæ peccati causas esse novimus, quæ gignunt in nobis ac fovent illud *peccati corpus* destruendum prorsus ab eo, qui se convertit ad DEUM. *Ut destruat in vobis corpus peccati.* Ex abdicatione infinitarum rerum, quarum jucunditas, carnalium hominum opinione, facit vitæ jucunditatem, & sunt blanda animorum pestis, & incitamenta peccati. A declinandis ijs omnibus, quæ sensibus objecta, prava illa desideria excitant, quæ *concupiscentia non concipit* teste scripturâ, *quin peccatum pariat. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Ex generosâ certorum hominum fugâ, quorum contagiosa vivendi libertas mores corrumpit. Ex ijs si quidem ortum habent primæ illæ & plerúmque maximé insanabiles plagæ, quæ per peccatum animis nostris imponuntur; ex abruptis severè, sed salubriter, non-

Rom. 6.

Jac. 1.

nullis neceſſitudinibus & commercijs, queis nos peccatum, tanquam vinculis, irretitos tenet atque conſtrictos; ex interdictis ſpectaculis quibusdam, quæ eò tantùm valent, ac tendunt, ut acerrimas inflamment cupiditates, & in mente ac ſenſibus, funeſtiſſima ſpargant peccati ſemina. A cavendis certis cœtibus, in quibus immundus ſpiritus dum veluti regnat, innocentiæ, quaſi poſſeſſionis jure, maximè inevitabiles laqueos tendit. Ex omiſſis, abjectísque libris, in quibus legendis deteſtanda curioſitas noſtra tam crebrò, tamque juſtè plectitur, malignis flagitiorum aculeis, qui in pectore linquuntur altiſſimè defixi; ex diſſolutis amicitijs illis, quarum funeſta dulcedo, qnamvis pudoris velo obducta, ſubtilioris reipſa libidinis & involutæ cujuſdam nequitiæ genus eſſe cognoſcitur. Ex prompto & perpetuo divortio cum eâ perſonâ cujus artes ut & illecebræ, imò ſæpius quàm illecebræ, fatalia ſunt peccati invitamenta; ex ſanctâ vi, quam nobismetipſi in ijs omnibus inferre debemus, ut pote quæ, ex Apoſtoli ſententiâ, *arma ſunt iniquitatis peccato.* Verbo ut uno cuncta complectar, ex Evangelicâ illâ *circumciſione*, quæ in mutatione hominis externâ non hærens, intima quæque ipſúmque adeò peccati fontem pervadit & abſcindit.

Rom. 6.

Rom. 2.

Ex

Ex his, inquam, vim & efficaciam pœnitentiæ suæ metiri & æstimare debet Christianus quisque, &, si necesse erit ut ad Sacramentum accedat institutum à Christo ad peccatoris reconciliationem cum DEO, hinc ordiri eum oportet præceptam ab Apostolo Paulo probationem sui. *Probet autem se ipsum homo.* Perspiciat sese totúmque tentet, & quantum in hac vitâ fas est, certum de se ipso judicium ferat. Id autem, inquit Chrysostomus, hac viâ licet; addo ego non aliâ. *Tollite verba & convertimini.* Is erat sermo Prophetarum ad Pœnitentiam hortantium. Eodem nunc munere, quo illi olim, apud te hodie perfungor, homo flagitiose, quisquis es quem compello. Admissas noxas detestari te dicis: nuntium illis remisisse: ita quidem existimas. At fortasse tibi ipse blandiris plus æquo, Deóque judice, dolor ille tuus nihil minus est quàm quod tibi videtur. Magis fortasse afficit peccati pudor, quàm gravitas; angores & molestiæ quibus implicat, quàm illata DEO injuria; conscientiæ tumultus quàm DEI odium in quod conjicit. Si res ita se habet, planè humana est contritio illa tua. Fallit te fortassis, quòd data ad pœnitentiam auxilia confundis cum pœnitentia ipsa, quam DEUS à te desiderat & requirit. Incussa divinitus sanctioris vitæ desideria

1. Cor. 11.

Osea 14.

cum vitâ ipsâ sanctiore, à qua longissimè abes; &, mutatum te in melius, planéque conversum ad DEUM, arbitraris, cùm id tibi sit tantùm in votis. Si res ita se habet, falsa est & mendax contritio tua. Vultis, Auditores, omnem animi anxietatem tollere? vultis nosse qui sitis? *tollite verba.* Verbis omissis, quæ semper habent incerti, ancipitis, & suspecti quidpiam, en regula quam tenere vos oportet. Singula persequamur. Nihil dicetur, quod non sit sacro pulpito dignum.

Ad mundi leges vitam exigis, Christiane Auditor, natalium splendore insignis; at res tuæ domesticæ, quod vulgare malum est, confusæ sunt ac perturbatæ; casúne an culpâ tuâ id contigerit, non hoc jam agitur. Eo loci constituto sæpius peccandi causa est, quòd præter censum & fortunas prodis sumptu, quem non temperas, quia non vis certum vivendi cursum & ordinem tibi ipse præscribere, falsæque gloriæ ducis, non decedere instituto. Hinc enim injustitia; hinc barbara crudelitas in miseros creditores, quos proteris & conculcas; in institores, quorum impendio vitam toleras; in opifices, in famulos, quos fraudas pactâ mercede. Hinc futilia illa & infida de dissolvendo ære tuo alieno promissa, hinc gratiæ & autoritatis tuæ abusus, inexplicabilésque

tricæ

tricæ ad ſolutionem debitorum vel proferendam vel eludendam ; hinc æris illius alieni perpetuitas, quæ dum alijs egeſtatem , tibi exitium affert ſempiternum. Sumptus immodicos tempera , ac , ſi vis verum dolorem oſtendere , cùm pauca habeas, paucis ſis contentus ; non te natalibus tuis metiare , ſed facultatum modulo. Tolle illam veſtium luxuriem ; tolle vana illa ac ſuperba pedeſtris equeſtríſque comitatûs impedimenta ; tolle exquiſitam illam ac pretioſam ſupellectilem ; ad egeſtatem triſtémque penuriam redactus , feras illam utique , ſed , ut Chriſtianum decet. Et , quando ita oportet , fac cœleſti lucro voluntariam pauperiem âpponas. Ni facis , noxas defles omnino fruſtra. Fruſtra dolorem, ſeu potius doloris ſigna multiplicas. Voces fundis ac verba , res DEUS expectat, res poſcit. *Tollite verba & convertimini.* Votum te ludo dedidiſti ; eſt tamen ludus animæ tuæ labes & ruina. Ludus , in quo modum jam retines nullum. Ludus, non jam tibi ludus ſed occupatio , ſed profeſſio , ſed mercaturæ genus quoddam , ſed effrænata cupiditas , ſed , ſi fas ita loqui , rabies ac furor. Ludus , quem meritò abyſſum dixeris , quæ abyſſum aliam, imò quæ infinitas alias poſt ſe trahit. *Abyſſus abyſſum invocat.* Hinc enim innumera *Pſal. 41.*

illa tanquam ex fonte flagitia naſcuntur. Hinc officiorum oblivio, rei familiaris ac domeſticæ perturbatio; hinc data liberis vitiorum exempla, patrimonij effuſio, doloſæ illæ artes, ac, ſi verbo uti licet graviore, clandeſtina illa, quæ lucri aviditas parit, latrocinia. Hinc inſani illi irarum fluctus, juramenta, angores, ſi cubi ludo fortuna non aſpirat. Hinc illa ſæpe, & ſæpius, quàm ex innatâ ſexui fragilitate, hinc illa, inquam, ad quæ rerum neceſſitas impellit, pudenda egeſtatis ſubſidia; illa animi affectio ad quidlibet, fortaſſis etiam ſceleſtè, audendum, ut habeas unde ludo ſuppedites. Omitte ludum, atque ut facilius eſt renuntiare illi omnino, quàm modum ponere, palam illi & apertè renuntia. Cupiditatem radicitus extrahe, ſupremo Numini dolorem probaturus & contritionem tuam; atque ut peccati vivas ſecurus poſtmodum, hanc tibi ipſe legem conſtitue, nunquam ut ludas. Fruſtra alioqui dixeris, publicani exemplo, *Domine propitius eſto mihi peccatori.* Noxas omnes ex animo deteſtor, *Vox quidem, vox Jacob eſt; manus autem, manus ſunt Eſau. Tollite verba & convertimini.* Ad extremum, teipſum explora, æquúsque rerum tuarum æſtimator, ac judex, omiſsâ omni anticipatâ opinione, quæ in te ſint peccatorum invitamenta perſpice;

Luc. 18.

Gen. 27.

ſpice ; atque ita perſpice : ut fixum & ratum habeas nihil excipere , nihil comminuere ex ijs quæ DEO ſunt dandu à te ac veluti mactanda. En certus doloris & pœnitentiæ tuæ index. Peccato bellum inferre ; rem ipſam , non inane adoriri ſimulachrum ; mali ſtirpem reſecare ; hoc enimvero Paulus Apoſtolus *curſum* appellat , eùmque non *incertum* , ſed quo metam , quam ſpectaveris , attingas. *Sic curro non quaſi in incertum.* Hoc ipſum eſt, quod pugnam appellat, non eam, qua vanis cæſtibus aëra diverberes ; ſed qua hoſtem quem inſequeris humi proſternas ; & affligas ; qua plenam certámque victoriam ab eo reportes. Venio ad alterum principium. *1. Cor. 9.*

Non ſunt ſemper in noſtrâ poteſtate cogitationes ſubitíque animi motus. At facta , vitæque rationem omnem præſtare noſtrum eſt ; ac ſi fit , exempli gratia , ut prolabamur lubrico loco , unde nos divina lex jubebat egredi , in quo tamen hæſimus invitâ lege , nunquam dicere licet , non potui vitare peccatum hoc ; quin potius dicendum , vitare nolui. Aut , leviſſimè , nec ſatis ſincerè volui. Adeſte animis. Labi poteſt , fateor , hominum quisque , etiam cùm vitæ melioris iter eſt ingreſſus , & redijt cum DEO in gratiam. Lugere poteſt miſeram ſortem , eandem

ob causam, totidémque verbis, quibus olim Apostolus cùm diceret, *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati.* Verùm advertite, inquit Chrysostomus, Paulum, quo tempore hæc scribebat, sanctâ quadam confitentiâ significare, nullius sibi conscium esse peccati. *Nihil mihi conscius sum.* Se gratiæ cœlestis ductum propius sequi; insistere se non circumspectè solùm ac timidè, verùm etiam *cum tremore* salutis semitam. *Castigare corpus & in servitutem redigere.* Illa autem fidelitatis in DEUM suæ conscientia, voluntaria corporis maceratio, animus ille semper attentus ac vigil, omnem erroris metum excludebat. Cùm querebatur de corporis rebellione, gemebatque secum pudendæ sortis conditionem, dolebat utique sincerè atque ex animo. Atenim mendax est & impostor, qui loquitur ut Paulus, dum vivit mundani hominis ritu. Mendax est & impostor, qui suam dum deplorat imbecillitatem, eas in tentationes se conjicit imprudens, in quibus sanctissimus quisque vix, ac ne vix quidem esset resistendo. Mendax est & impostor, qui dum effrænatam cupiditatum violentiam causatur, in ea pericula præceps ruit, in quibus cupiditates moderatissimæ vix se sustineant à lapsu; qui exclæ-

Rom. 7.

1. Cor. 4.

Phil. 2.
1. Cor. 9.

clamat, *infelix ego homo*, cui nasci contigit naturâ tam fragili & pronâ ad malum! & in eas nihilo minus occasiones sese agit, in quibus, è calamitosâ, fit nocens fragilitas, certè criminum fons & caput omnium. Ea est fucosæ mendacisque pœnitentiæ forma, atque inde est pretium illius æstimandum. *Rom. 7.*

Imbecillis es, fateor: regnat in membris tuis peccati lex; concupiscentia dominatur; hostem circumfers, carnem videlicet. At, vel ob id ipsum, contendo, DEUM à te illudi, si quo tempore noxas luges, non vis causas earum præcidere; aio, *Spiritui sancto mentiri* te, & pœnitentiam tuam secum enormiter pugnare, si ex alterâ parte dum fragilem te confiteris, ex alterâ nihilo circumspectior es, ac vigilantior. Qua enim fronte flens gemensque illud Prophetæ usurpes, *peccavi Domino*, obstinatus non subtrahere te periculoso loco, in quo dum permanes, vel ob id unum peccas, quòd salutem in discrimen adducis. Qui potes apud DEUM excusare animæ tuæ infirmitatem, eóque nomine ipsius pectus flectere velle ad misericordiam, *quoniam infirmus sum, sana animam meam*; dum infirmitati infidelitatem addis ac malitiam; qui sanitatem poscas à DEO, nec cavere studeas quod mortem affert. Qui ægrum te agnoscas, atque ita te geras, quasi longè optimâ utaris va- *Act. 5.* *2. Reg. 12.* *Psal. 6.*

valetudine ; qui DEUM appelles doloris tui teſtem, necà te , vi doloris ejuſdem ; impetres , quicquam ut tribuas DEO, & ab ulla re te ſejungas ac ſegreges. Quid eſt DEO & hominibus fucum facere velle, ſi hoc non eſt ?

Haud ſe aliter res habet, Chriſtiane Auditor ; quandiu ita vivis , ficta eſt mendáxque pœnitentia tua ; nec jam tibi accommodare potes illam Pauli ſententiam, quæ in te non convenit : *non quod volo bonum hoc ago ; ſed quod odi malum hoc facio.* Cùm enim ſanctiſſimus vir permoleſtè ferret, ſe, quod vellet bonum , hoc non agere , ſed quod odiſſet malum ; tu longiſſimè ab eo diſcrepans, quandiu permanes in occaſione peccandi, velle te quidquid peccas , quidquid boni non agis, nolle te oſtendis. In eo igitur poſita eſt pœnitentiæ vis , ut peccandi periculo generosè te ſubducas ; non ut permaneas in eo , ad peccatum vincendum. Atque hoc loco utinam pius ſuppeditaret Prophetarum ardor , ad cœcitatem improborum hominum ac duritiem coarguendam. En quippe , Chriſtiani Auditores , quò nos morum pravitas deduxit. Habemus animarum moderatorem pro difficili & pluſquam ſatis eſt auſtero ; alienamur , imò abducimur ab ejus diſciplinâ , cùm certas

Rom. 7.

certas quasdam occasiones vitare renuentibus, absolutionis beneficium suspendit. Ecquando igitur suspendet? quo argumento validiore indignum se homo mundanus probaverit pœnitentiæ sacramento, quàm cùm semper animatus & paratus videtur ad eosdem cœtus, eadémque loca adeunda, in quibus innocentiæ toties naufragium fecit? si quando acceptâ à DEO ligandi potestate utendum, tunc tunc profectò aut nunquam utendum. Videt is, nec diffiteris ipse, tot iteratos lapsus ab unâ profectos occasione, quam declaras, nec potes impetrare à te, ut ab eâ declines. Petitioni tuæ si concedat, vinclis suis animam ut solvat ita constitutam, an non offensionis tibi & scandali ansam meritò præbeat, tantùm abest ut mollius obsequium laudare debeas atque approbare; cúmque sacramenta dispensanda sint ab eo prudenter, an non eadem dissipare ac temerè profundere videatur? longè absum, Auditores, hac ut oratione inconsultam probare velim severitatem, quæ, injuria fortasse, pœnitentiæ ministris imputatur nonnunquam. Atenim longè etiam absum, ut periculosam damnandámque quorumdam facilitatem, in eo sacramento impertiendo, commendem. Quæ autem facilitas periculo-

riculosa magis, imò quæ fuerit magis unquam culpanda, quàm si hominem absolvas in certis quibusdem occasionibus manere obstinatum? non est, inquit, ut dimittam, in mea situm potestate. Dimitteres vel hodie, inquam ego, hinc si fortunæ incrementum, hinc si certa ac stabilis hujus aut illius pendeat utilitatis possessio. Occasiones illæ sunt, addis, vincula quæ abrumpi non queant nisi propalam, atque adeò citra publicam offensionem. Egò contrà contendo, offensionem inde nasci maximam, quod vincula illa nondum abruperis; ac si verum est quod affirmas, eóque res redierit, vitari ut nequeat publica offensio, satius hoc esse & præstabilius multò, aliquam existere hominum offensionem, dum libidini finem imponis, & saluti consulis tuæ, quàm exitiosam tibi offensionem, quæ peccati additamentum est, alere, ut facis, ac pati.

At in ijs occasionibus aderit DEUS, quæ mea est in ipsum fiducia. Odiosa DEO fiducia, inquit Chrysostomus, quæ eo spectat, DEUM ut tentet ac periclitetur, pœnitentiæ aditum præcludat. Fiducia DEO injuriosa, quæ in id unum valet ut animum obfirmet in flagitijs. Cur his rebus assidué non personant fidelium aures? cur non traduntur opportunæ

portunè & importunè? cur non ubique, nullâ temporis habitâ ratione ac loci, ex ijs quoniam orbis Christiani conversio, reformatio, morum sanctimonia pendet? ut ut est, Auditores, sit aliunde quantumlibet ardens pœnitentia vestra, nolite, quæso, spem in eâ vestram defigere. Quin potius habete eam pro vanâ ac ludicrâ, ni materiam amputet & causas peccati, ni illata, per illud, damna resarciat. *1. Timot. 4.*

PARS II.

UT perspicuum est, pœnitentiam, partem esse justitiæ eámque virtutis illius formam nobis expressam cùm reliquerint vetustissimi Ecclesiæ Patres, apud quos aliud nihil est pœnitentia, quàm sincera peccatoris voluntas, sibi, DEO, ac proximo, si qua sit illi facta injuria, tribuendi quod ipsorum est: sequitur, præcipuum pœnitentiæ Christianæ munus positum in eo, ut accepta per peccatum detrimenta sarciat. Positâ autem immutabili muneris hujus necessitate, cognoscite nunc, Auditores, quàm latè, illud pateat. Inde quippe petenda est justa pœnitentiæ mensura. Quam in rem axiomata duo gravissima è sacris literis depromam. Emendare illa debent apertissimos, & periculosissimos duos errores, in quos vulgò incurrimus,

rimus, vel cùm reditum paramus ad DEUM, in ipsáque adeò conversionis specie, quam animo imoramus. Solidam hanc doctrinam quam tradere aggredior, facite, quæso, salubrem vobis & fructuosam reddatis.

Primum axioma. Ut sit efficax peccatoris ad DEUM conversio, non satis est illi pœnitentiam agere. Proferat necesse est dignos pœnitentiæ fructus. Hoc ipsum est, quod docebat olim Sanctus Christi Præcursor submissus ad *parandam DEO plebem perfectam.* Hoc ipsum, confluentibus ad baptismum Judæis, sumebat in concionis argumentum. Ea erat adhortationum omnium clausula, quam & ad omnes dirigebat, vivido inflammatus Eliæ spiritu: *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*; nam, ut notat Gregorius magnus, his verbis Joannes significat, pœnitentiæ fructus ab ipsâ pœnitentiâ, velut arborem à fructibus, distingui oportere; nec revocandam pœnitentiam ad id unum, ut flagitia lugeamus olim admissa, sed ut eadem postmodum non admittamus. *Transacta flere, & illa deinceps non committere.* Pœnitentiæ intimum, ac veluti radicem ipsam, sitam in eo esse, ut præterita doleas, imò, ut ab ijs etiam in perpetuum avellare. Verum enascì inde oportere

Luc. 1.

Luc. 3.

portere ſalutiferos quoſdam gratiæ cæleſtis fructus, qui, ſi deſint, aliud nihil fuerit pœnitentia, quàm infœlix ac ſterilis arbos; æternis ignibus obnoxia. *Atque ita*, inquit Gregorius, *generalem omnibus exhibebat doctrinam; non pœnitentibus, ut pœnitentiam agerent; pœnitentibus, ut dignos pœnitentiæ fructus facerent.* Quoniam autem ſint ſalutiferi illi pœnitentiæ fructus, accipite. Sarcire damna illata proximo, vel per uſurpationem ac poſſeſſionem injuſtam, vel per obtrectationem & calumniam; rem, decus, famam ablatam reſtituendo. Sarcire pravos impotentis iracundiæ ac contumeliæ gravioris effectus humili ſatisfactione; ſarcire ſimultatem & odium, ſincerâ charitatis redintegratione. En, inquit Gregorius magnus, digni, æquales, neceſſarij, nec ullâ ex parte ſuſpecti pœnitentiæ fructus. Nihil dico, Auditores, quod ſcitu non ſit omnino neceſſarium. Anres & animos adhibete.

Digni pœnitentiæ fructus, quoniam ut eos, demetat ac percipiat homo flagitioſus, vim ſibi neceſſe eſt eam inferat, quæ in veram, hoc eſt, immiſſam divinitus, imò in eam, quanta major immitti à DEO non poteſt, pœnitentiam tantùm cadat. Qui enim niſi perfectæ, & à natura remotiſſimæ pœnitentiæ adjumento, homo

homo dives idem & avarus, id impetret à seſe, bona ut reſtituat vel parta injuſtè, vel injuſtè retenta; quibus carere non poſſit, quin concidat is ex amplo, in quem evectus eſt, ſtatu, atque adeò quorum abdicatio morte ipsâ triſtior fiat & acerbior multò. Quo alio adjumento, homo ſuperbus, idem & ferox, eò ſe usque, poſito faſtu, deprimet, officia ultro ut in illos conferat, quos offendit, injuſtum animo dolorem mitigaturus; ac, ſi ipſe injuriâ eſt affectus, qui perſuadeas, eam ut oblivione conterat voluntariâ, & in gratiam ſincerè atque ex animo cum hoſte redeat capitali; eſt utique res tanta, Domine DEUS, præpotentis dexteræ tuæ opus; nec alij accepta referri debet, quàm tibi, tam difficilis alienatæ voluntatis commutatio. Eò non aſſurgit humana virtus. Neceſſe eſt ut gratia tua, eáque valentiſſima, laboranti adminiculetur. Illius tantùm præſidio, ſublimes has cogitationes & conſilia ſuſcipere valet & perducere ad exitum. Illa ſi deſit, mundanâ dominante nequitiâ, nobile quodvis hominis ſuſceptum, ad irritum cadat haud dubiè. Potentis hujus gratiæ præſidio, DEUS meus, nullum eſt tam rigidum, támque perficax pectus, quod non emollias, quod non expugnes. Per eam

eam violentissimus ac ferocissimus quisque, fit tam mitis quàm agnus. Per eam alieni possessor, istuc omne quod non est suum non restituit modò, sed & ipsum nonnunquam, quod suum est, dum Zachæi exemplo, quadruplum, imò supra quadruplum reddit; ac si dignetis aspirare dicenti, lætámque facere verbi nostri; quod & tuum est, sementem, victricis hujus gratiæ præsidio, spectentur fortassis hac tam sanctâ tempestate, inexpectata nobis miracula, quæ tibi famuli tui meritò gratulentur, multóque magis sint in commune profutura, quàm prisca illa, quibus Ecclesiæ tuæ Regnum toto est orbe propagatum atque constitutum. Facta videlicet injustè, compensata ex æquo; retractatas calumnias; compositas lites; restincta odio; homines mutuum in fœdus, pristinámque concordiam reductos.

Digni pœnitentiæ fructus: eorum si quidem autor est Spiritus Sanctus, iique haud dubiè, quos Paulus lucis, bonitatis, justitiæ ac veritatis fructus appellat. *Fructus enim lucis est in omni bonitate & justitiâ & veritate.* Eph. 5.

Fructus æquales. Cui rei? offensæ. Alioqui non imperfecta solùm, sed & odiosa pœnitentia est; non reprobata solúm à DEO, sed & à mundanis

ipsis hominibus damnata. Volunt enim hi servari in eo æqualitatem. Viduæ ac pupilli bonis factus est ditior & utrisque satisfeciſſe te existimas piis quibusdam operibus, quæ neutris emolumento sunt futura. Laceraſti proximi famam, & satis habes communia duntaxat charitatis officia eidem præstare. Hostem ut oprimeres, multa partim auxisti in falsum, partim finxisti de tuo; cunctámque pœnitentiæ rationem in gemitu, in precibus quibusdam edendis collocas; exosæ DEO sunt preces illæ, inquit Sapiens, ego verò sententiâ Salomonis accommodatâ præsenti argumento aio, pœnitentiam ejus generis, execrabilem esse; quoniam qui eam ita agit, in eâ etiam agendâ divinæ legi aures occludit, eandem ne observet. Id causæ quippe asfertur apud sacras litteras *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis.* Non ita est ut existimatis, Auditores, non ita est. In eo rerum ordine, qui est à DEO præstitutus, non susâ ad DEUM precatione obrectatio, non eleemosynâ injustitia pensatur. Ut sit efficax, proindéque DEO accepta pœnitentia; servari in eâ agendâ debent, jure divino, leges præscriptæ, nec ad suum sensum aut etiam ad pietatem accommodanda pœnitentia est, sed pietas po-

Proverb. 28.

potius ac pœnitentia ad rectæ conscientiæ normam. Quæ autem conscientia, si modò recta sit, permittat, DEO restrictè ut reddas, quod abstuleris proximo; aut des charitati, quòd justitia sibi vendicat. *DEO, DEO*, inquiet illa, *quod DEI est; Cæsari, quod Cæsaris est, redde.* En lex æterna & mutari nescia, cui te conscientiæ vox parere jubeat. Frustra conquirimus acerbæ severitatis condimenta; frustra molliores vestigamus agendi vivas, commodáque legis interpretamenta. Manebit inconcussum semper illud Augustini decretum, ad quod revocari nos oportet vel invitos; decretum, inquam, quod non prava cupiditas, non injustitia ulla, non moralis doctrinæ dissolutio; non mundanæ consuetudinis contagia convellere ac labefactare unquam possint. si in te situm est, inquit ille, ut aliena bona restituas, nec restituis tamen, quantacumque doloris præferas signa, non agis Pœnitentiam, sed simulas. *Non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter, agitur*, addit Augustinus, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quod autem dicitur de fortunæ bonis, dicendum etiam de violatâ existimatione. Adi sacerdotes quoties libitum erit; abjice te ad eo- *Luc. 20.*

tum pedes ; fatere te reum centies ; depone fidis auribus quæ ſunt à te contrà juſtitiam peccata ; ſi id non ſatagis , nec ſatagere laboras , damna ut penſes, quæ ſunt à te illata , vel cùm poſuiſti quaſi certum , quod falſum erat , aut pateſeciſtii, quod æternis erat tenebris obruendum , ni malignitas tua , aut liuguæ prurientis intemperies obſtitiſſet , quid eſt pœnitentia tua ? inane ſimulachrum ac præterea nihil. Quid dico ? ſcelus eſt , ſacrilegium eſt. *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Certi , nec ſuſpecti fructus. Quis enim mutationem illius ſuſpectam habeat , cui hæc ſatisfactio moleſta non fuerit. Illa utique , pignus eſt ; quod maximè rigidis cenſoribus , hoc eſt , animarum moderatoribus ſeveriſſimis dubium eſſe non debet. Aliis in omnibus pœnitentiæ fructibus ineſſe poſſit oſtentationis ac ſimulationis quiddam. Hoc loco nihil ab oſtentatione eſt , aut ab ſimulatione metuendum. Raro quippe fit, ut alienum is reſtituat , ut retexat dicta temerè ac falsò (quod eſt tam operoſum & difficile) cujus ficta tantúm eſt , atque adumbrata converſio. Verè ſit ac ſincerè mutatus oportet , qui eam ſibi vim inſert , qui in ſe tam ſeverè animadvertit. Igitur pœnitentia illa nemini dubia fuerit.

rit. Non quòd certa esse debeat salutis fiduica, *nemo* quippe scit, teste sapiente, *amoréne an odio sit dignus.* Unum hoc est ex abditis illis mysteriis, quorum cognitionem sibi DEUS uni reservatam voluit, quo salutis rationes habeamus è divinâ ipsius gratiâ magis suspensas. Sed enim in notis omnibus, quibus vera pœnitentia dignosci potest, certior nulla est, errorique minus obnoxia, quàm damnorum, quæ sunt importata per peccatum, generosa illa compensatio. Serenat ea quippe animi tempestates, angoribus ac scrupulis conscientiam levat; beatam illam affert pacem, in qua, authore Tertulliano, posita est hominis, in DEI gratiam recepti, fœlicitas. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* At quàm graviter hac ætate nostra homines hallucinentur, & errent, operæ pretium est cognoscere. Nimirum cùm ex his signis nunquam fallacibus, æstimanda sit pœnitentia, eandem æstimare lubet ex rebus factisque valde incertis, nec tam frugiferis plerùmque, quàm splendidis. Accipite quid velim. Est inoptatis peccatores aspicere sordidatos, ut olim, illuvie, cinere, cilicio squallentes, longâque inediâ penè confectos. Præclara enimvero, at dolosa species ac fallax, ni prius homines *Eccles. 9.*

illi, & ante omnia, obire jubeantur, quæ natura ipsa præscribit, cuncta charitatis ac justitiæ munera. Extrenum illum politiæ ac disciplinæ rigorem, quem mittigandum consequentibus sæculis Ecclesia censuit, vigere optant etiamnum, quod & ego ipse optaverim; sed eâ utique perneceſſariâ conditione, ut leges illæ inconcussæ, leges capitales quibus nec Ecclesia unquam; imò nec DEUS ipse, quemquam exemerit, rigidè observentur. Atque id ipsum est, quod eos non valdè sollicitos habet veritatis patronos. Ergo Pharisæorum exemplo, ac ritu, exterior Pœnitentiæ species quæritur, non fructus, non res ipsa.

Alterum sacræ scripturæ axioma. Non satis est, inquit Paulus, operibus, DEO teste, bonis insistere. Iisdem insistendum in hominum etiam conspectu, ut habeant hi, quæ sequantur, virtutum exempla. *Providentes bona non solùm coram DEO, sed etiam coram hominibus.* 2. Cor. 8. Ita ego, ad hanc regulam accomodatè: non satis est inquio, obire, DEO teste Pœnitentiam: obeunda illa est, in hominum etiam conspectu. obimus DEO teste, cùm lugemus peccatum admissum. Obimus in hominum conspectu, cùm scandalum, per peccatum, oblatum, meliore pensamus exemplo, ipsáque adeò peccati specie de-

delendâ. Quod ni fit (ita Aquinas, cæteri-que Theologi) nulla si oportet pœnitentia. Utinam, Auditores Christiani, utinam liceat mihi, doctrinam hanc morum, quanta, quamque ampla est, vobis exponere atque explicare. Debet pœnitentia ea esse, ut scandalum penset per peccatum oblatum. Væ enim nobis, si in eorum inciderimus hæresim, qui divinam legem dum emendare studeant, planè corrumpunt, pœnitentiámque omnem ponunt in eo, ut jam amplius non peccetur. Væ nobis, si, factis saltem ac moribus, impio Lutheri dogmate renovato, in animum nobis induxerimus, universam, quæ de hominis justificatione est, doctrinam, his Christi verbis perperam intellectis, contineri. *Vade & jam amplius noli peccare.* Quasi satis sit, peccatorem dicere, excussi peccati servitutem, alio quovis omisso pœnitentiæ onere ac procul ablegato; ex qua excussæ servituris conscientiâ, inquit Gregorius Magnus, plus fortasse hauriat ille superbiæ, quàm, ex admissi peccati memoriâ, deprimendi se materiæ surgat; aut futuri securus, & in eo se amans, quòd peccati jugum exuerit, cuncta innocentiæ jura sibi arroget, debitâ iniquitati ignominiæ nota á se depulsâ Erroris genus, inquit sanctissimus Doctor, homini Christiano maxi-

mè fugiendum. Pars est quædam noxæ scandalum, per admissam noxam oblatum: ac quamdiu illud manet, quamquam cesset noxa ipsa aut ut apertius loquamur, quamquam à noxa cesses, non ea est in totum deleta. Debet igitur pœnitentia, uno defuncta munere, incumbere in aliud. Et quoniam, quod restat, perfici nequit, nisi peccatoris impendio (præclaræ hujus regulæ autor Augustinus) si modò efficax est pœnitentia, peccati labem planè exterminet necesse est in eo qui admittit, peccatori imponat pudorem, peccatum ut deleat. Alioqui, inquit Doctissimus Pater, quid commodi & utilitatis è tua conversione proximus capiat? ac si verum est, noxam tuam, ea, quæ ipse deploras, consequuta mala esse si verum est, errore tuo tot mortales pertractos in errorem, an non postulat æquitatis ratio, eosdem ut reducere studeas in viam; reddásque quod tuâ est culpâ ablatum, tantumdem ipsorum saluti dum conducis, pœnitentiæ exemplo, quantùm offendisti deterioris vitæ corruptelâ.

Non ita tamen vulgo sentiunt homines profani. Quot enim reperias, qui judicium ad libidinem, & vota dum accommodant, contra omnia scripturarum oracula, prudentiæ, sed carnali, ducunt,

ducunt, quidlibet retinere, quasi ex naufragio tabulam, in ipso pœnitentiæ exercitio cæci sui ipsorum amoris subsidia & solatiola adhibere omnia; non respuere solita humanæ societatis, quotidianique usûs oblectamenta, non fortunæ ridentis splendorem; non vanæ gloriæ luxum ac fastum, non ea denique omnia quæ & peccatum circumstare ac comitari solent. Qui cùm non satis habeant videri, atque adeò tales semper esse, quales fuerunt, quoniam alterum altero re & factis divelli ac sejungi non potest, peccatique speciem semper præferre; qui cùm, inquam, non satis habeant eundem extrinsecus teneræ vitæ cursum, in eo etiam sibi gratulari videntur, quasi justæ causæ & rationes non desint ipsis ita vivendi. Hominibus autem tam pudendo errore occupatis, cæcatisque, quot mala, malo ex fonte manare solita possint ostendi, objectâ illis doctrinâ quam nunc evolvo. Ita enim eos compellare fas esset, eo gloriæ cælestis ardore, quo me inflammari sentio: ad eum ne modum gessisse se perhibentur tot generosi pœnitentiæ amatores? eóne pede decurrerunt austerioris vitæ stadium, postquam, divini Numinis instinctu, sunt illud semel ingressi? non se illi in abjectissima conjecere ultro & acerbissima quæque? non fugæ ac solitudini apertè & for-

titer vitam mandarunt ? quali habitu Achabi & Nabuchodonozores dant sese populis videndos ? nonne horrenti cilicio deformes , supplicúmque ritu spectantur, imò spectari amant , ut publicâ flagitiorum confessione , damna resarciant , quæ sunt ab jis exempli contagione illata ? quam sibi vitæ normam præscripserunt , in novâ lege, tot mortales è vitiorum cœno emersi ? quò fugêre illi tandem ? in horridas solitudines , in deserta ac sola loca ; in latebrosos Eremitarum recessus ; valere jubeant , ídque palam , muudanas opes terenáque omnia ; *Carni & Sanguini non acquiescebant* , rati, vel per nobilem mundi contemptum , ad virtutis iter facem esse mundo ipsi præferendam. De eo dogmate ni constitisset olim inter Christianos , Thaïdèsne jam ac Pelagiæ , longè aspertimâ vitâ insignes , Cœlitum in numero colerentur ? amentes ne eos dixerimus , aut rerum prorsus ignaros ? an jugum sibi illi imponebant non ferendum ? an ignoti ipsis erant beati illi cœlestis Regni calles ? an fuêre illi nobis unis ostensi ? ex eo potius colligere nos oportet , quoniam illi rectas insistebant sanctásque vias, errare nos , quòd latiores magísque spatiosas vestigamus , ab illo termino ad quem vera ducit pœnitentia , longissimè disjunctas. Discamus tantis autoribus ,

Galat. 1.

non

non peccatum modò, sed & peccati speciem ipsam resecare; eaque de causâ non satis habeamus, vindicem DEUM vereri, Mùndum ipsum vereamur. Mundus quippe, tametsi profanus, aliquâ nonnunquam reverentiâ est dignus, nec est illâ unquam dignior, quàm cùm, vel ipsam peccatti damnat speciem, cùm illâ offenditur, cùm illam nobis crimini vertit. Si severus in eo videtur, rigidíusque censor, ipsius nos severitas ac censura erudiat, acuatque ad virtutem. Si est injustus, hauriamus, vel ex ipsius injustitiâ, frugifera ac salubria vitæ documenta. Si irrisor, si maledicus, DEO grates agamus omnipotenti, quòd ejus etiam maledictis fiat, ut mente simus magis vigili & arrectâ, studióque, ad Christiani hominis officia exequenda, magis intento. DEO impensè gratulemur, quòd in tantâ mundi corruptelâ, vesanis ipsius amatoribus, adhuc insit particula illa zeli, circa vitæ ac morum integritatem, nondúmque eò adoleverit vitiorum autoritas, à mundanis ut impetrent, mundanis ut probentur. Si videtur longius in eo progredi eorum censura, ne facilè culpantes culpemus. Potius ah! potius credamus, culpam hærere in nobis, qui eâ super re fidem jis abrogemus, quorum judicium cum divino judicio Christíque lege

tam

1. Petr. 5. tam bellè conſpirat. *Non ſapientibus* ſolùm & *fortibus in fide*, ſed & inſipientibus & infirmis reverentiam præſtemus, ex A-

2. Cor. 4. poſtoli præſcripto. Fugiamus non vetita modò atque illicta, ſed & ea ipſa, quæ innoxia nobis ac licita videntur. Cur ſit nobis liberior agendi poteſtas quàm gentium Apoſtolo? ad extremum, mittamus ea omnia, quæ anſam dare ſolent hominum ſermonibus; quæ judiciorum temeritati occaſionem præbent; quæ flagitiis autoritatem tribuunt, quæ cùm in aliis, tum in nobis ipſis illa retinent, illa invitant. Hac viâ prorſus efficax fiet pœnitentia noſtra; recisáque materia & cauſa peccati, funeſtis ejusdem damnis ritè penſatis, hoc unum ſupererit, ut idonea ipſi remedia admoveamus.

PARS III. HAUD ſine cauſa vetuſtis patribus peccatum, præſertim cùm longa conſuetudine inveteravit, periculoſiſſimus viſus eſt animi morbus, quem pœnitentia, remediis ad id præſentibus adhibitis, vincere atque expugnare debeat. Et verò, fauſta inde, inquit Chryſoſtomus, aut infauſta peccatoris ſors pendet. Fauſta, ſi æternæ ſalutis incenſus ſtudio, ſalubrem medicinam, quam pœnitentia præſcribit, afferre non recuſat. Infauſta, ſi eam averſatur ac reſpuit, ex faſtidio quo-

quodam delicatiore, aut laboris odio, in se vincendo, necessariò subeundi. Etenim phreneticorum tantùm est, pergit sanctissimus Doctor, qui cæcitate cùm laborent, malo longè graviore, quàm sit phrenesis ipsa, certissimam curationem sibi admoveri non patiuntur. Fateamur ergo, Christiani Auditores, duo esse, prorsus necessaria, hominis flagitiis emersi, officia, circa duplex genus remediorum, quæ malis suis adhibere ipsum oportet. Per illa, peccato ut occuratur; per hæc ut plectatur. Per illa, ut fiat, ne peccatum admittamus in posterum; per hæc, ut expiemus admissum. Per illa, ut peccatum caveamus, per hæc ut peccatum corrigamus, atque emendemus; simplicíque utrorumque usu perficiamus, ut, si certò non constet de pœnitentiæ nostræ valore atque pretio, certè constet moraliter, ut vocant, ejusdem præsidio rediisse nos cum DEO in gratiam, & in eâ permansuros meritò confidamus.

Nemo homo est, Auditores, atque hoc ad primum pertinet officii genus, quod dixi, nemo, inquam, homo est, dicam confidenter qui multis experimentis edoctus, si paulùm modò adverterit, non perspexerit, quæ res ipsum aaertere à peccato, quæ in officio continere valeant. Fateantur istuc necesse est vel levissimæ mentis homines, & ad singulas actiones

suas

ſuas omnium minimè atenti. Etenim quantumvis vagâ & inconſultâ, quantumvis præcipiti ac cæca mente ſit quispiam, non eò unquam cæcitas ipſius progreditur, ut in medio cupiditatum æſtu, animum non adjiciat, velit nolit, ad facta ſua omnia, ſeu potius ad errores, ſuósque caſus omnes, intérque caſus illos quantumlibet graves, non iſtuc agitet tacitè ſecum; hæc aut illa à me cautio ſi maturé adhibeatur, non ea profectò ſit in me pravæ cupiditatis vis ac poteſtas; quin & illam cavere, imò frangere ac donare liceat. Aio autem, Auditores, certiſſimum hoc eſſe conſervationis argumentum, ſi agat quis ex privata illa ſui cognitione, ſi ſe ſedulò audiat, ſi ſibi obtemperet, ſi nihil eorum negligat, quæ efficaciora ſunt ad continendam imbecillitatem ac fragilitatem à lapſu.

Ita, Chriſtiane Auditor, centies es expertus, adverſus cupiditates & illecebras voluptatum, quæ tibi tam impotenter dominantur, honeſtam aliquam exercitationem, certiſſimum tibi ac potentiſſimum præſidium eſſe. Animum aſſiduitate laboris, quo defixus tenetur, facilè, aut multò certè facilius à peccati labe ſartum ac rectum conſervari. Quandiu vitæ tuæ dies fuêre, ut Propheta loquitur, *dies pleni*, hoc eſt, dies fructuoſi, dies utiliter per-

Pſal. 72.

peracti, nullum dæmoni ad tuum pectus aditum patuisse. Non te istuc fugit, & amas nihilominus, captásque tranquillam cessationem. Ad vitam otiosam ac mollem sentis te naturâ tuâ propensum; insitáque illa, quam foves, mollitia, ab jis avertit omnibus, quæ aut menti vim inferunt, aut captivos sensus tenent. Cùm ita comparata sit naturæ tuæ ratio in quo constituenda tibi est pœnitentiæ efficacitas? in eo videlicet, ut ipse te adversus temetipsum munias ac defendas. Ut semper agas & moliare quidpiam, ex religionis & pietatis studio, quamvis alia ad id non invitent & cogant officia. Ut semper agas & moliare quidpiam ex pœnitentiæ studio, si quidem DEO longé gratissima est ejus generis pœnitentia. Semper agas & moliare quidpiam, nihil ut ex jis refugias, quæ impósito à DEO muneri molestiora inesse possunt atque operosiora. Onus omne ut sustineas, vel si multò gravius sit, ipsivè succumbere te tandem oporteat. Quamobrem? quoniam hac viâ in felicem eum statum deveniſti, ut possis eam monachi cujusdam, de quo Hieronymus, sententiam usurpare. *Vivere mihi non licet, & quomodo fornicari licebit?* igitur gratias age DEO, quod tibi adversus vitia, intra sortis tuæ fines, remedium honestari ac rationi tam consentaneum, te-

remedium tam præsens, tam certum suppeditet, tantùm abest ut laborioso illi vitæ generi servile quiddam inesse judices. Gratias age DEO, qui vel intra ipsos sortis ac conditionis tuæ cancellos, facit, ut præsidium suppetat, contra cupitditates illas tam acres ac vividas, quas otium fovet, & assiduo tantùm labore infringi ac debilitari possint. Idem mihi sermo tecum habendus, Christiane Auditor, qui non ignoras, nec potes ignorare, quot lapsibus, totiésque iteratis lapsibus, tua te fragilitas quotidie objiciat, & quo potissimùm fræno sustineri possis à lapsu; contra molestissimos violentissimósque assultus in frequenti confessionis usu paratum tibi ac penè certum auxilium semper adesse; qui si Sacramento illo gratiaque eidem annexa munitus, in lubricis occasionibus quibusdam, firmiorem, & constantiorem in susceptis esse: quò illud frequentas minus, eò te magis debilitari, eò magis descisscere à te ipso; ut perseveranter instas salutis semitam, Rectore tibi esse opus atque experientissimo duce, qui & DEI locum teneat & salubribus consiliis stirpem virtutis firmet atque corroboret. Impositam ultrò necessitatem illum & adeundi subinde, & nudandi intimum pectus, vinculi genus esse quoddam, quo innata animi mobilitas & inconstantia frænetur.

In

In sacro pœnitentiæ tribunali, apud DEI minisstros, depositam ab eo esse *armaturam* illam, quam Paulus *induere nos* jubet ad retundendos nequissimi tentatoris impetus. Perspecta tibi sunt hæc omnia, &, infortunio nimis heu! tuo perspecta. Angit te nihilominus nuda noxarum confessio, præsertim frequens. Quam tibi Christi minister imponit ad se identidem accedendi quasi ad medicum curaturum animi vulnera, lex onerosa videtur, nec ei te in perpetuum submittis libens. Quòd si submittis, haud multò post infida retexis promissa, rebellique cervice jugum tandem detrectas acceptum. Dum ita te geris, est ne unde existimem, fidem illam bonam ac sinceritatem, qua DEO sit accepta, pœnitentiæ tuæ esse conjunctam. Hoc si verum esset, Christiane Auditor, ita saltem esses comparatus, flagitante præsertim necessitate, ut sanari velles, ut tuis haud seram exquireres malis medicinam; perspectâ ipsius utilitate, imò necessitate, haud expectato cujusquam imperio, tibi ullam ipse ultro præscriberes; stares restrictè, animóque hilari, conditione, pro ratione muneris, tibi à sacerdote impositâ: videret reducem ad se præfinito tempore, ad vires in suo sinu resumendas. Diligentiam poneres & assiduitatem illam tuam non modò in officii, sed *Eph. 6.*

& in solatij non minimâ parte. Quid non fit quotidie minoris emolumenti causâ ? emersus è gravi morbo, nondum tamen satis confirmatâ valetudine, qua te lege non astringis ? qua tibi re non interdicis ? sunt ne ulla medicorum placita tam acerba naturæ, tam tristia, quibus non sis dicto audiens, quæ non observes per quàm religiosè ? est ne ulla in te fidei pars, si, cum æterna tua salus agitur, diversam inis rationem ac viam ? an Christianum te ostendis, si non præstas animæ tuæ causâ, quod tam accuratè, imò quòd tam scrupulosè corporis tui studio ? Concionis jam finis sit, si pauca tamen addidero prius de altero officij genere. Ut sit efficax pœnitentia, non satis est peccatum cavere, peccato abstinere. Puniendum illud est admissum. Exercenda in nosmet justitia illa vindex, cujus aculeos in flagitiosos omnes exeret olim DEUS. En autem, Auditores, malum longè gravissimum, quo inutilis & infructuosa redditur Christianorum pœnitentia. Quantumvis crebrò usurpemus pœnitentiæ sacramentum, insita tamen vitia non emendamus, quoniam quoties peccamus, toties nos ipsi non plectimus. Ut alias causas mittam, annos integros perseveramus in peccatis, vitioso nostri ipsorum amore impellente ad mollitiem, &, quoniam inimicus is est

est austeriori vitæ, improbitatem nostram, impunitam semper ferente. Si pœna, eáque voluntaria, quam, ut judices in propriâ causâ, nobis ipsi irrogamus, & est propriè quoad nos pœnitentia dicenda, si pœna, inquam, culpam ipsam propius sequatur; si nihil nobis indulgeamus; si contra innatam mollitiem, quoties officio decedimus, quoties labimur, nonnullo nos multemus commodo, nonnullâ nos in re castigemus, audeo dicere, nulla cupiditas, quæ non expugnetur, vitium nullum, quod non radicitus extrahatur.

Non eò dico, Auditores, quòd pœnitentiam esse velim planè servilem, & quæ agatur uno pœnarum metu. Potest quippe, inquit Augustinus, potest sibi quis pœnam infligere ex DEI amore, ex propriæ perfectionis studio, ut divinum ulciscatur Numen, ut se morésque suos componat. Si culpæ ex metu plectuntur, potest metus ille talis esse qualis in bene motatum filium cadit, qui è charitate profluat tanquam è fonte; ut rediturus in gratiam cum DEO, eidémque honorificæ satisfactionis tributum pènsurus, hoc & illud pium opus, se perfecturum spondeat; hac & illâ corpus pœnâ affecturum; hac & illâ licitâ voluptate, hoc & illo commodo fraudaturum ultro genium suum.

Et verò cùm canonicas olim, æquásque singulis noxis pœnas irrogabat Ecclesia, non existimabat illa utique, adimere se fidelibus illum adoptionis legis novæ proprium spiritum, restitutâ in ejusdem locum Mosaicæ legis servitute. Id agebat, ut animos alijs adderet, reditum aliijs aperiret ad sese; ut haberent hi maturandæ conversionis adjumenta, illi firmamenta stabilitatis ac constantiæ. Eò spectabat illâ disciplinæ severitas; Deóque optimis Ecclesiæ consilijs aspirante, inde fiebat, ut acceptam in baptismatis lavacro gratiam tot Christiani facilè retinerent. Ac si qui eâ forte excidérent, nemini dubia esse poterat ipsorum pœnitentia, animóque incluſus dolor, cùm noxam ob unam lethalem, annos integros jejunijs operam dare, aliáque ultrò obire spectabantur, non probrosa minus, quàm laboriosa pietatis exercitia. Florebat fortunatis illis ætatibus morum integritas & innocentia, culpámque pœnâ subsequente, cedebat cæteris pœnitentia in exemplum. Atenim leviore nunc operâ ac labore & placamus, & placatum volumus DEUM. Quid autem inde? peccari videlicet multò audacius, perseverari tranquillius in peccatis, doleri de his languidius rarius submoveri, denique nullam propemodum pœnitentiam existere, quæ vana

vana, certè quæ valde ſuſpecta meritò non non habeatur. Suam illam ſeveritatem placuit Eccleſiæ mitigare poſtmodum. Tum enimvero vitia inundare, obſoleſcere purioris diſciplinæ ſplendorem, Chriſtianæ Reipublicæ faciem immutari. Adeò verum eſt, egere eo præſidio peccatorem, nec putandum flagitijs nuntium omninò remiſiſſe, quandiu ſibi ſe, imò ignaviæ ſe ſuæ permittens, id unum ſpectabit, ut indulgeat ſibi, ſibi ut in omnibus ſedulò pareat.

Agamus igitur, Auditores, quod in primævo illo Eccleſiæ flore Chriſtiani. Eodem ſeveritatis ſtudio, quo illi tenebantur, pectus noſtrum inardeſcat. Eosdem Eccleſiæ ſenſus, eoſdem animos geramus; eaſdem ad leges vitam noſtram componamus. Si quid Eccleſia laxavit in pœnitentiæ uſu, factum id eſſe meminerimus, ſalvo divini Numinis jure, eáque ſuquer re nihil prorſus remiſſum, aut remitti ab eâ potuiſſe. Si quas leges abrogavit præſcriptas à ſe, quæ ſumma eſt ipſius benignitas, onus ſatisfaciendi DEO, quod non eſt penes ipſam, ſartum ac tectum reliquiſſe. Ex his, ſi rectè ratiocinabimur, colligemus utique, illam Eccleſiæ indulgentiam non multùm mollitiem noſtram adjuvare. Quoniam ſemper hoc manet, quò indulgentiores in nos-

met erimus, eò minus indulgentem DEUM in nos fore; quò magis nobismetipsi parcemus, eò minus eundem nobis parciturum; quò minus nobis ipsi dabimus pœnarum, eò graviores DEO nos daturos. Divinum quippe jus, idémque jus, inconcussum semper stabit. Igitur cum persuasum nobis sit, peccatum aut in hac mortali vitâ, aut in alterâ plectendum, aut à DEO vindicante, quemadmodum loquitur Tertullianus, aut ab homine pœnitente; ne expectemus, Auditores, donec ab ipso DEO, plenè ac cumulatè DEO satisfacere cogamur. Divinæ justitiæ rigorem, pœnitentiæ nostræ rigore prævertamus. Cœlestes illos sanctioris zeli igniculos exsuscitemus in nobis; divinum jus tueamur, damno etiam nostro, DEUM ulciscamur offensum, etiam cum injuriâ nostrâ. Si medicos animorum nacti sumus indulgentiores plus æquo, eorum indulgentiam, ex Bernardi præscripto, severitas nostra suppleat. Si pia ab ijs severitas desideratur salutarisque rigor, eorum vicem præstemus pariter ac nostram; siquidem agitur res nostra privata, magisque in nostrâ causâ, quàm alium quemvis, sollicitos nos esse oportet *si medicus clementior fuerit, tu age pro te ipso.* Singulis morbis nostris medicinam faciamus propriam ac suam, pro vario dispari-

que

que genere noxarum, varias disparésque pœnas nobis ipsis infligendo. Solitudine ac secessu, nimiam castigemus colloquiorum licentiam. Silentio, volubilis linguæ libertatem & imprudentiam. Cultûs & comitatûs modestiâ, effusam luxuriem. Inediâ, conviviorum intemperantiam; inconcessas libidines, voluntariâ voluptatum, etiam licitarum, abdicatione. *Quis scit si convertatur & ignoscat* summè misericors DEUS? quis scit? imò, quis istuc vocet in dubium, contra DEI obligatam nobis fidem; uno verbo cuncta ut colligam, omnes peccati causas resecemus; sarciamus illata per peccatum damna; idonea admoveamus peccato remedia, quantumvis aspera sint atque injucunda naturæ. Pœnitentia eo pacto peracta, in beatam illam salutis viam, vitiorum avia ac prærupta sequutos tandem reducet. Amen. *Joel. 2.*

IN NATALI CHRISTI DOMINI DIE CONCIO.

Dixit illis Angelus ; Nolite timere ; ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo ; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. *Luc. 2.*

REX CHRISTIANISSIME.

HIS fuit olim Angeli ad Pastores sermo ; ad pastores, homines bonos ac simplices, qui servandis gregibus, mundo procul, intenti, non minus innocentem, quàm

quàm pauperem & ingloriam vitam agebant. Nuntiabat illis natum in stabulo Servatorem, qui, paupertatis insignia cùm amplectebatur, humilem honestabat, & abjectam ipsorum conditionem, positaque tremendi Numinis majestate, dabat se videndum in præsepi, non hominis solùm formâ ac specie, sed hominis, quales illi erant, ignoti, imbecillis, &, citra peccatum illum, ipsorum simillimi. Igitur nihil miror, juberi eos esse sine metu. *Nolite timere.* Quid enim metuant, inquit Chrysostomus, ubi tam ampla lætandi, Deóque gratulandi se seges ostendit? ubi penè jam oculis usurpant sortis suæ felicitatem, discúntque quàm non modò ferenda æquo animo, sed etiam optanda, etiam jucunda sint, queis premuntur, vitæ durioris incommoda. Nihil, inquam, miror, tales ab Angelo voces proferri. *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator.*

Verumenimvero apud Regem longè maximum verba facturus, valde diversas à meis, Angelo partes impositas esse sentio. Ille Pastoribus Christi Servatoris ortum annunciat; ego ijs, quibus haud scio, an ullam oratio mea sit allatura gaudij causam. Humilem ac pauperem Servatorem annuntio; at optimatibus, at principibus viris, at

1. Timot. 6. *divitibus hujus sæculi*: hoc est, ijs, qui Christianam fidem tametsi profitentur, profanis mundi opinionibus imbuti, terrena nihilosecius & sapiunt, ijdem & spectant. Quid igitur, & quibus verbis eloqui me convenit. Domine DEUS, dum demissionis ac paupertatis tuæ mysterium illis propono? dicam *nolite timere*? Si tales sunt reipsa, quales esse arbitror, ipsos haud dubiè in errorem induxero. Dicam, *timete*? abhorret à festæ lucis hilaritate asperioris verbi tristitia. Abhorret ab illo piæ jucunditatis sensu, quo perfunditur, & quo perfundi profligatissimum quemque oportet, in suavissimi hujus mysterij contemplatione defixum. Lugere jubeam in tantâ orbis Christiani lætitiâ? hortor ad luctum abstergendum, dum in Christo nascente, pravaque sua dogmata profligante, tot habent tamque graves lugendi causas? ad utrúmque, Domine, eos cohortabor, atque ita mandatis tuis, ita imposito muneri satis fecero. Dicam, lugete; dicam, fletus abstergite; quoniam nuntium affero, qui justissimum vobis timoris pariter ac lætitiæ suppeditet argumentum. Duo illi, tamq; discrepantes animi motus, Christi nascentis mysterio fundati, summam continent eorum omnium, quæ à me sunt hodiernâ die dicenda; prius tamen, omnium sanctissimæ ac beatissimæ Matris interventu, cœlestem opem poscamus. *Ave Maria.*

Fa-

FATUM hoc Christi fuit, Auditores Christiani, ut, cùm primum lucem hanc aspiceret, esset veluti signum, & scopus, in quem pro se quisque collimans, cuncta humanæ improbitatis tela dirigeret, arcanóque Numinis consilio, partim *ruinæ* alijs, partim *resurrectionis* causa alijs innocens foret, hanc sanctissimi senis prædictionem comprobavit vita ejus omnis. *Luc. 2.* Meritò igitur principio diximus, Christi Servatoris nativitatem, luculentam vobis timoris ac lætitiæ materiam præbere. Timoris, si quamquam est omnium Servator, ut impiorum spectetis & reproborum ruinam; lætitiæ, si spectetis ut eorum resurrectionem, qui in salutis semitam redeunt, & beatis electorum turmis asciscuntur. Istuc ad nos accommodemus. Ajo, salutis nostræ rationem omnem, ex gemino illo timoris ac lætitiæ sensu, eo si opportunè & Religiosè uti volumus, esse suspensam. Hinc Psaltes Regius, dum optimates instituit, quibus cælestem hanc doctrinam necessariam privatim esse, DEO revelante, cognoverat, orationis genus adhibet non minus insolens, quàm excellentis sapientiæ refertum. *Servite*, inquit, *Domino in timore. & exultate ei cum tremore.* *Psal. 2.* Cur timeam, quærit Chrysostomus, si *exultem* oportet;

tet; &, cur *exultem*, si est unde timeam? quoniam, respondet sanctus Doctor, cùm DEI cultus, hominúmque salus agitur, non justum, non peccatorem ullum lætari oportet, quin lætitiæ metus, qualis in filium bene moratum cadit, comes sit adjunctus; aut metuere, quin metus, piâ quadam lætitiâ permistus sit atque temperatus. Ex sanctissimis quippe Christianæ fidei legibus, DEUM ita metuere nobis non licet, ut in eum fiduciam non collocemus; neque fiduciam ita collocare, eundem ut non metuâmus. Contendo autem, atque hic est hodiernæ concionis scopus, contendo, Nativitatis Christi mysterium, omnium, si ritè pensetur, aptissimum esse ad salutarem hunc metum, ad solidam hanc, & interiorem lætitiam nobis ingenerandam. Contendo, illum nativi Numinis conspectum, validissimas utriúsque rei causas vobis offerre. Timoris, si in ijs estis, qui, cæcante sæculi DEO, de salutis semitâ decedunt, latam mundanorum hominum viam ingressuri. Lætitiæ, si errore in quo versamini, tandem agnito, in fidelibus ijs haberi vultis, qui DEUM inquirunt *in spiritu & veritate.* Timoris, si cum intelligatis, quo consilio, quáque ratione Christus editus in lucem est, ac susceptus, perspicitis, ab ejus sancti-

Joan. 4.

sanctimoniâ vestri mores quàm remoti sint atque disjuncti. Lætitiæ, si persuasi, &, ob ingentem; quæ vos inter & Christum est, morum ac studiorum distantiam, pudore confusi, constitutum habetis; vitam vestram exigere ad sanctissimum illud exemplar, iisque uti opportunitatibus, quas habet, vel in id ipsum, sortis vestræ conditio. Igitur pro diversâ gemini hujus, quem dixi, statûs ratione, aut timete, Auditores, aut lætamini. E profano estis mundanorum hominum numero? timete; quoniam habet multa Christus nascens vera eadem ac tristia, quæ vobis aperiat: hoc primum. E fido estis, aut esse studetis, Christianorum hominum grege? lætamini; quoniam infinitos habet gratiæ ac misericordiæ thesauros Christus nascens, vobis hodie referandos; hoc alterum erit concionis caput. Ita nimirum affectos accedere vos oportet ad sacrum Christi præsepe. Attentos docilésque animos afferte, quæso, ad Evangelicam doctrinam, quò pij illi affectus, cordibus vestris altius insculpantur.

A Divini Numinis timore necesse initium habet hominum salus. Quin & ipsa vel perfectissima charitas, nec solida PARS. I.

est

est, nec tuta censenda, ni supremi Judicis timor, fundamentum illius quoddam fuerit ac basis. Meritò igitur dum maximum humanæ salutis mysterium, Christi videlicet nativitatem, evolvere aggredior, quæ in animis vestris salutarem illum timorem excitare valent primùm ostendo. En autem potentissimæ illius causæ. Timete homines profani, ô vos, qui depravatis mundi opinionibus imbuti, ad ejusdem placita legésque omnes vitam dirigitis. Timete, quoniam natus hominum Servator, si specie illâ practicâ, sed falsâ, quam de ipso informatis, si ex ejusdem misericordiæ usu, seu potius abusu illo vestro, æstimatur, quantumvis servare vos & possit & velit, nihil vobis fortasse minus est quàm Servator. Timete, quoniam Servator est, ac fortasse ad vestram ignominiam, ad vestram perniciem natus. Timete, quoniam ille hominum Servator, cùm medium quiddam esse nequeat, aut vos salvet necesse est, aut perdat. Quæ sententiæ, Auditores, hominibus mundo addictis, formidolosæ quidem sunt, sed demisso illas, ac piè mœsto pectore, si volutetis, frugiferæ vobis salubrésque facilè reddentur. Vobis, inquam, natus est Servator, sed qui ex pravis opinionum commentis, quæ mentem occupant vestram, nihil

minus

minus vobis, quàm Servator est habendus. Percipite quid velim, & fidem apud vos, vel invitos, habebit tam tristis doctrina. Vultis ab eo salutem vobis afferri, at noxis ut vos liberet non magnopere laboratis. Vultis ab eo salutem afferri, at nullo incommodo vestro. Vultis ab eo salutem afferri, at non eâ viâ & ratione, quam præstituit ipse sibi. Hæc autem omnia inter sese pugnant, ac si quid adhuc in vobis superat fidei, timoris causæ esse debent, eæque justæ ac graves. Non augebo illas, Auditores, vanam vobis ut formidinem injiciam, ne metuite. Quin potius cavete, ne verborum tenuitas & inopia, earum gravitate vincatur. Servatorem DEUM vobis esse vultis, DEUM hunc nascentem, at, quæ est opinionum & actionum vestrarum repugnantia, quam fortasse non attenditis, vos ut noxis absolvat vestris, parum estis solliciti. Eò tamen, & eò tantùm Servator est, ac divinum illud munus, quà vos respicit, nec illius est, nec esse potest, nisi quantùm vitia cupiditatésque levat, pravas consuetudines frangit, quæ vestrorum totidem sunt peccatorum fontes, & miserè vobis dominantur. Si vos non asserit, si servitium amatis, servitutémque

que illam veſtram, tantùm abeſt eam ut exuere cupiatis, quoquo tandem rem expendatis modo, DEUS ille, hominum tametſi præcellens Servator, nomine tenus vobis Servator eſt, cultúsque ille omnis, quem exhibetis ei, merus error, merâ ſimulatio eſt. Nihil magis neceſſariò conſequitur, ex principijs, Chriſtianæque fidei legibus. *Vocabis*, ait Angelus, *nomen ejus JESUM.* Quamobrem? *quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Advertite, quod & notat Chryſoſtomus, non dici, vocandum eum eſſe JESUM, quòd à populi ſui cervice humanas calamitates, quarum onere gemit oppreſſus, propulſare debeat. Fuerit hæc veterum illorum proptia Servatorum laus, qui hujus typi & umbræ quædam tantùm erant, & ad Judæos ſubinde mittebantur, tanquam ad populum, in terram, carnémque depreſſum. Is, cujus ortum celebramus, ad majora miſſus erat & longè ſanctiora munia. Agebatur redemptio gravioris momenti, operæque multò pretioſioris. Mala, queis levari nos oportebat, longè graviora erant Ægyptiacis illis ærumnis, quibus Hebræa gens exercita tot annos ingemuit. Ob illa eadem, inquit Chryſoſtomus, Servatore nobis opus fuit. Advenit is tandem optato.

Matth. 1.

Non,

Non inquam, humanis ut casibus ac miseriis nos erriperet; indigni quippe sumus Christi nomine, ac sacrâ militiâ quam profitemur, eâ ex re ipsius beneficium si æstimamus, eóque revocamus, quæ penes illum est, salutis nostræ potestatem & arbitrium. Non est utique, non est ita promissus Servator. Eò se se terris ostendit hodiernâ die, ut mundi corruptelâ, flagitiorum, & errorum colluvie nos expediat. Ut turpe cupiditatum jugum dejiciat à cervicibus nostris, ut peccati tyrannidem, cui nos sponte submittimus - deleat; ut dominantem carnis concupiscentiam, ut innatam frangat superbiam, ut vitiosas necessitudines dissolvat, ut odia, ut simultates, ut malignioris invidiæ motus in nobis extinguat; hi enim veri sunt hominum hostes; nec quisquam alius, præter Servatorem DEUM, potuit tam funestæ nos eximere servituti. Eam ob rem humanis artubus circumdari, nascíque voluit. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Agite nunc, Auditores, de tam sublimi mysterio an id semper sensistis & sentitis etiamnum? descendite in vosmetipsi, propiúsque spectate. Quis est in vobis ambitiosus, cui

Perſuaſum cùm ſit, mortiferum animæ vulnus, ambitionem ſuam eſſe, illius ſincerè exoptat ſanitatem? quis impudicus, quis voluptarius homo, qui, haud fictè malis ingemens ſuis, id expetit, & quaſi ſummum bonum expetit, nullâ ut amplius libidinis aut voluptatis illecebrâ capi ſe ſinat? quis ſui cuſtos tenax, & alieni appetens, injuſtitiæ, turpísque fœnoris cùm pudeat, immanem ſuam avaritiam deteſtatur? quæ fœmina mundo addictior, DEI mandato tandem obſequens, inſitam odit vanitatem, ac de ejiciendo vitioſo ſui amore, ſecum ipſa meditatur? quam cupiditatem cœleſtis ille Servator, quam animi perverſam & quaſi dominatricem proclivitatem compreſſit in vobis atque reſtinxit? qua igitur ex re Servatorem agnoſcitis? ac, ſi Servator eſt habendus, veſtrum hunc eſſe, quo oſtenditis argumento? qua in re munere illo eſt functus adverſum vos? ecquando fungi per vos licuit? cùm autem tam malè affectos video non prævaricari me putem, ſi ipſius vobis annuntiem adventum, ut maximam lætandi cauſam? atque ut fidum Evangelii præconem decet, non his me potiùs verbis compellare vos convenit, ut revera compel-

los

lo deponite errorem vestrum, & malis vestris ingemiscite. Quamobrem? quoniam quandiu mundana compede constricti, in eodem hœretis flagitiorum luto, tametsi natus sit humani generis reparator, non magis vobis est ejus nativitas fructuosa, quàm si vobis ille non esset unquam natus. Sinite hoc loco, Auditores, rem animadverti à me ac notari, vobis utique & mihi valde flebilem ac luctuosam, sed quæ ritè pensata, ad pietatem acuendam & inflamandam perquam accommodata videatur. Judæorum calamitatem lugemus, qui apud se, & propter se nascentem Christum cùm viderint, omnem tamen inæstimabilis beneficii fructum miserè perdiderunt; imò soli extitêre è cùnctis orbis terrarum gentibus, ad quos minus utilitatis ex fœliciſſimo illo ortu pervenerit. Indolemus eorum malis & culpamus indolendo. Atenim non atendimus sortem, seu potiùs miseriam ipsorum, nostræ supparem esse ac penè æqualem. Unde enim est profecta Judæorum reprobatio; ex eo, quòd pro vero, pro sibi à DEO destinato, tamque necessario Messia, alium sibi finxêre naturæ suæ pingui & in carnem depressæ congruentem, atque ad studia sua omninò ac-

commodatum. Ex eo, quòd pro nihilo habuêre futurum animarum ſuarum aſſertorem, eum unum cogitantes à quo Rempublicam ſuam in antiquum ſtatum reſtituendam falſo ſperabant. Ex eo, quòd duplici illo ſalutis genere permiſto inter ſe atque confuſo, aut, ut accuratius loquamur, ex eo, quòd altero repudiato, dum vanâ alterius ſpe ſibi blandiuntur, utroque ſimul exciderunt. En, inquit Auguſtinus, vera ruinæ ipſorum ac reprobationis origo & caput. *Temporalia amittere metuerunt, & æterna non cogitaverunt, ac ſic utrúmque amiſerunt.* Ab iiſdem illis fontibus nonne animæ noſtræ labes ac pernicies omnis manat? quamquam enim alterius Meſſiæ, quemadmodum Judæi adventum non præſtolemur, in eóque acquieſcamus libenter, qui eſt divino nobis munere donatus, ſi res tamen æſtimetur ex noſtrâ vivendi ratione, fateamur neceſſe eſt; nec ſine pudore, circa ea quæ ad Servatorem hunc attinent divinitus conceſſum, eâdem nos, qua Judæi olim & nunc, mentis cæcitate laborare. Chriſtum invocamus velut hominum Servatorem, ſed eodem affectu ac ſtudio, quo à Judæo quovis poſſit invocari. temporalia videlicet ab eo poſcimus,

de

de æternis bonis parandis non valdè solliciti. *Temporalia amittere metuerunt, &c.* Et verò si reflavit fortuna : si tempestas in nos excitata est gravis : si res, aut fama nostra periclitatur : tunc tunc confugimus ad Servatoris illius opem, qua sumus erepti, & ereptos nos volumus. Quoniam autem è malo ? è molestâ quapiam lite, qua implicamur ? morbo, qui nos male habet ; è calamitate, quæ superbiam nostram comprimit ; hæc videlicet mala fervorem nostrum accumnt, hæc pietatem excitant ; hæc ut prohibeat DEUS, aut auferat à nobis, non vehementer solùm precamur, sed etiam impatienter. *Temporalia amittere metuerunt.* Verumenimvero si jacemus longâ peccati lethalis consuetudine constricti, vix cogitamus Servatorem existere, qui vincula nostra facilè abrumpat, vix eam in rem semel exposcimus illius opem ; vix eam ut impetremus, dicimus, Prophetæ exemplo, *accelerá Domine, ut eruas me, quia infixus sum in limo profundi.* Non valdè movemur periculi, in quo versamur, gravitate, imò in eo hæremus desides ac securi. *Et æterna non cogitaverunt.* Quid dico ? malis nostris non modò medicinam non quærimus, sed & metuimus illam fortasse, aut etiam refugimus. Eò fortasse

Psal. 10 & Psal. 65.

perversitas nostra procedit, peccatum ut nostrum in felicitatis parte numeremus; ut in eo nos amemus, ut nobis in eo gratulemur. Quæ, si vera sunt, tametsi christiani, animo & voluntate tam Judæi sumus, quàm qui genere & ortu, &, si infidelitas nostra veniat in contentionem cum ipsorum infidelitate, eo nostra nomine vituperanda magis videatur, quòd Servatorem, in quem credimus, contemnimus, cùm Judæi in eum ideò tantùm peccaverint, quòd non agnoscerent. Atque hæc cogitatio valdè nos percellat ac terreat necesse est.

Nostra longius cæcitas progreditur. Volumus, *Verbum* hoc, *carnem factum*, *Joan. 1.* servare nos, sed sine ullo labore nostro; in quo novam nostri nobiscum pugnam, novam justi timoris nostri causam cognoscite. Est enim Christus unâ tantùm hac conditione nobis Servator, ut cum eo & per eum saluti nostræ naviter allaboremus. *Qui fecit te sine te* (verba sunt Augustini toties vobis audita, atque utinam sensum illorum omnem aperire vobis hodie possem!) *qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Vult salutem nostram, aut potiùs operis tanti consummationem pendere à nobis; vult laborem partiri nos

nos cum ipso, non gloriam. Ut hominum servator, carnem induit, pœnitentiam pro nobis acturus, at, citra dispendium illius, quam & pro nobis ipsis obire nos ipsos oportet. Ut hominum Servator, pro nobis oravit, pro nobis lachrymas fudit, infinitam nobis meritorum congeriem paravit. Sed enim vult preces nostras conjunctas cum suis, lachrymas nostras confusas cum suis, opera nostra, sumpto à suis pretio, redemptionem illam, cujus primarius est autor, & cujus consummator sine nobis ipsis nunquam fuerit, effectam in nobis reddere. Ut hominum Servator, nostra factus est, in præsepi, victima, cœpitque vel ex eo tempore pro nobis immolari: at vult nos paratos secum emori, mactari: atque ita vult, ita hinc pendere vim & efficaciam sacrificii sui, quoad salutem nostram, ut, quamquam hominum Servator, (notate hoc) id est, quamquam animo ad salutem nostram ita propenso, quamquam nos eò usque dilexerit, homo ut fieret nostrâ causâ; quamquam nos tantopere amet quamquam tanto ei steterit inter nos, atque ut nos, in lucem hanc suscipi; malit tamen perire nos potiùs, potiùs

damnari, æternùm potius excludi felici Electorum numero, quàm gratuitam illam, qualem comminiſcimur, ſalutem nobis àfferre, quoniam per ſpeciem honoris cæleſti gratiæ deferendi, ſalutem ei uni noſtram dum tribueremus, eâ abuteremur ad flagitia noſtra fovenda. Nonnullo igitur pretio nobis emenda eſt, & neceſſariò emenda ſalus noſtra, ut & ipſi emenda fuit Chriſti Servatori.

Hæc lex ab eodem poſita nobis, quam & Paulus ſervabat tam accuratè, cùm
Coloſſ. 1. diceret, *adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ.* Lex generalis, ſimplex eadem & abſoluta, quâ neminem unquam aut ſolvit DEUS, aut ſolvet. Ea tamen lege aſtringi vos non ſuſtines, homines mundani. Durior vobis graviórque videtur, & cauſas quæritis. Quamobrem jugum illius excutiatis. Servari vultis, ſed citra ullam conditionem. Modò à vobis nemo exigat ut vosmetipſi aliis ſummittatis; ut vim vobis ullam afferatis; ut cupiditatem ullam veſtram comprimatis. Servari vultis, at nullo dato pretio; nullâ laboris impensâ. Quanto enim veſtra vobis conſtat ſalus, &, qua tandem in re affirmare audeatis ei vos ope-

operam dare ? salutis ejusdem causâ, ecquid datis DEO ? quoties vobis vim infertis ? sed enim jubet DEUS, suo ut vobis nomine significem, quandiu in eo perstabitis obstinatè, salutem illam, quam Christus attullit hominum generi, vobis utique allatam non esse, vobis spem illius omnem esse præcisam. Ex his jam colligite, Auditores, num Christi Servatoris nativitas habeat aliquid unde recreari animi vestri possint ac sustentari. Ad extremum, vultis Verbum illud carnem factum servare vos, sed, quæ tertia est vestri vobiscum, nec stupenda minus, pugna, ipsum vultis non iis auxiliis uti, quæ sunt ab eo ad salutem vestram destinata ? quamquam auxilia illa sint decreta & constituta in supremo æternæ ipsius sapientiæ consilio, vobis tamen non placent. Quamquam consecrata in sanctissimâ ipsius personâ, & exempli ejusdem autoritate firmata, vobis non arrident. Quæ sunt autem illa ? sui videlicet, mundique odium ; mundi & caducarum rerum omnium contemptus ; mundi & mundanarum omnium deliciarum, mundi & fluxæ ipsius gloriæ abdicatio. Paupertatis & Christianæ demissionis amor, voluntaria corporis afflictatio, vitæ austerioris juge studium. Hæc vos deterrent omnia ? hæc sunt vo-

vobis horrori. Salutis adjumenta optetis veſtris cogitationibus, naturæ veſtræ propenſioni magis conſentanea. Atque ob id ipſum adeſſe dico timoris vobis cauſam haud levem. Quid ita? quoniam ut ut ſunt vanæ veſtræ opiniones ac ſtudia, conſtat, naſcentem hunc DEUM, aliis vos præſidiis non ſervaturum, quàm quæ ſunt eam in rem ab ipſo præſcripta; & aliunde patet, præſidia illa ad ſalutem inutilia fore, quandiu vanis opinationibus ſtudiisque veſtris vos permittetis. Servari vultis ex arbitrio & libidine veſtrâ, quæ vos & perdidit & perdit.

En triſte myſterium quod habui, primo vobis loco Chriſtiani Auditores, enuntiandum, eóque triſtius vobis futurum, ſi ritè perceptum non proficit.

Sed res fiet planior hac hypotheſi, quæ mira fortaſſe vobis accidet, atque utinam ita, ut impellat vel invitos ad ſecretam infidelitatem veſtram recognoſcendam, & ad meliora Chriſtianóque homine digniora ſentienda.

Dicite, quæſo, Auditores ſi natus hodie Chriſtus, longè diverſus eſſet ab eo, in quem credimus, hoc eſt, humanis cupiditatibus tam favens, quàm eſt ab iis averſus. Si pro Meſſiâ ille Servatore, qui pauper idem & humulis in tenebricoſo vagiit ſtabulo, alium prorſus vobis annunciem;

tiem si rem aliter se habere doceam, quàm est à vobis toties auditum; omnes hactenus divini verbi præcones vobis imposuisse; Servatoris illius vestri longè disparem ac diversam esse rationem; natum quippe in domo, regali luxu splendidâ, fortunâ nascenti arridente, in rerum omnium abundantiâ, inter cuncta vitæ mollioris commoda, inter blandas voluptatum illecebras; eundémque constituisse, ut salutis vestræ præsidia Religióque omnis, jis rebus teneretur, quas dixi: istuc ipsum, quod fieri quidem nequit, sed fingi animo & cogitatione potest, si fictum jam & commentitium esse desinat, existatque reipsa; dicite, quæso, ut ad novellum hoc Evangelium mores vestros componatis, quid in judiciis vestris, quid in vitæ vestræ instituto corrigendum potissimùm aut emendandum esse censeatis. An erunt cum fide mutandi etiam mores? an decedendum vobis de inito vitæ curriculo, ut eam attingatis profectionis metam, quam imperat subditicius ille Servator? quin potiùs, citra ullam conditionis vestræ mutationem, annon Christiani eritis numeris omnibus absoluti? annon erit unde vobis ipsi gratulemini absurdum illud Religionis systema, ex quo salus vestra pendeat, quod ad ingenii vestri naturam, ad placita, legésque omnes, ve-

vobis â mundo præscriptas, fictum tam bellè sit atque accommodatum. Non tunc jure dixero, *nolite timere*; amplum quippe suppetit vobis lætandi argumentum. *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Quamobrem; quoniam natus est vobis Servator; ad libidinem, ad vota, ad desideria vestra totus fictus Servator. Servator commodus, & cujus ex doctrina jam fas vobis sit vestris cupiditatibus fræna laxare; qui eas approbet, autoritate & exemplo muniat suo, tantùm abest eas coercere ac comprimere vos jubeat. Igitur cùm talem nacti sitis Servatorem, lachrymas abstergite. Nonne, inquam, ita me vos affari meritò liceat; vósque arcanâ quadam voluptate perfusi, non ita tacitè vobiscum? en qualem optare & expetere nos oportuit; Servator idem & DEUS. Fateor, ah! Christiani Auditores, in novo illo Religionis systemate, esset unde gaudere, pro jure vestro, possetis ac vehementer lætari. Verùm, quæ est perspicacitas vestra, inde colligatis necesse est, quæ res solatio & voluptati tunc foret, eandem, terrorem haud vanum injicere vobis oportere, Etenim, si posito Evangelio illo commentitio, meritò dicam, bonum à me nuntium apportari; cùm illi planè contrarium Evangelium vobis annuntiem, alius, planèque diversus

Luc. 2.

sus apud vos est à me faciendus sermo. Vel si pia illa turbetur Ecclesiæ lætitia, vestram hanc turbare me convenit, quæ, ut sunt mores vestri, falsa est ac temerè præsumpta, Mihi necessario dicendum vobis, *timete.* Quam ob causam? quoniam vobis Servator est natus, cui opprobrium vestrũ, cui pernicies vestra, cui sempiternum, vestrum exitium propositum esse videatur. Servator vestris omnibus vitiis infensus, mundi & bonorum ejus omnium osor; pauper, humilis, patiens Servator. Dogmata tristia! quibus autem? vobis homines mundani? vobis, opibus vestris serviliter addicti, divites, dulcique sorte ac fortunâ ebrii. Vobis, ambitiosi, quos vanus nominis splendor, humanæque pompæ species ducit ac tenet. Vobis, voluptarii, qui in vesano corporis amore, & turpi voluptatum aucupio toti estis. Postquam autem Christi Servatoris natalem, ut tristitiæ ac timoris plenum mysterium, sumus contemplati, quantum, vice versâ, lætitiæ, ac solatii contineat in sese, & quota illius sit ad vos pars reditura, supereſt jam ut ostendamus.

PARS. II.

QUANTUMVIS vanum sit apud DEUM humanarum conditionum discrimen, idémque in sacris litteris honori ducat, æquabilem in mortales omnes tenere

nere rationem, nullo personæ, nullo gradûs, aut dignitatis respectu; *Non est personarum acceptor DEUS*; verè tamen dici potest, si cœlestis gratiæ ductus spectetur, anticipatum DEI amorem in tenuiores potissimùm ac pauperes semper inclinasse. Gratuitæ hujus charitatis causam mittamus quærere. Satis sit nobis, venerari in eo arcana, & abdita supremi Numinis consilia; Numinis, inquam, *miserentis cujus vult*, & condemnantis quem condemnare libet. Anticipata, charitas, quam omnes Evangelii paginæ loquuntur, & est apertè in hodierno mysterio expressa. Quosnam enim primos natalis filii sui testes esse voluit? Pastores paucu-

Actor. 10.

Rom. 9.

los, pauperes, operi rusticano intentos, obscuros, mundo ignotos, ignobilitate suâ, & simplice vitæ cultu contentos. Hi sunt, inquit Ambrosius, quos Christus Electorum suorum primores ac velut antesignanos facit. Hi sunt, à quibus primùm nosci, à quibus sibi prima deferri vult obsequia. Hi sunt primi DEI nascentis quasi satellites & administri; qui circumstant ejusdem cunas, dum Judæorum optimates, dum divites Jerosolymitani, dum præposteri Synagogæ sapientes, sibi, ut ita dicam, permissi, densis infidelitatis tenebris obsiti manent, cælestisque beneficii exortes.

En,

En, fratres, ait Apostolus ad Corinthios scribens, en vestræ vocationis primitiæ. *Infirma mundi electa divinitus, ut fortia quaque confundantur; ignobilia mundi & contemptibilia electa divinitus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruantur.* 1. Cor. 1. En prima Christianæ fidei origo, & Ecclesiæ, quæ tunc temporis, ut animadvertit Chrysostomus, in Bethleemitico latebat inclusa stabulo cùm Christus extra angusta illius septa notus esset mortalium nulli. Atque hoc ipsum est, mundani dynastæ, qui mihi nunc dicenti auscultatatis, hoc ipsum est, quo vos affici, imò angi oporteat intimis sensibus, ni suavi Numinis providentiâ, ægritudini angorique vestro præsens sit remedium allatum. Igitur bono animo estote, & perspectâ planèque cognitâ ipsius misericordiæ immensitate, ut mox fore confido. inter tristia etiam sortis vestræ impedimenta, spem in eo vestram defigite. Tres quippe causas reperio, ex hoc ipso mysterio promptas, quas vobis proponam. Animos advertite, ac postquam ineffabile mysterium non sine metu ac tremore attentius consideraftis, suaviſſimos ejusdem fructus jam decerpite. *Ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum.*

Etenim quantumvis mundanæ obnoxii sitis pravitati, quantumvis perditi mores

vestri

vestri videantur, non vos Christus submovet Regno suo; imò eò duntaxat nascitur, vos ut pelliciat ad sese. Cujus inæstimabilis beneficii memores vos, & gratos esse oportet. Quantumcúmque status ille vester pugnet in speciem cum Christi nescentis statu, citra ullam sortis vestræ mutationem, per vos stat unos, quin sanctissimos ipsius mores in vobis repræsentetis. Quæ doctrina scitu vobis perneccssaria est ad salutem vestram ponendam in tuto. Quantumvis periculosæ sint excelsæ honorum sedes, quantumvis damnatæ à Christo sint opes ac divitiæ, potestis iis uti, ut præsidiis ad honorem Christo, ac peculiarem, quem à vobis expectat, cultum exhibendum. Atque hæc salutis adjumenta haud modica, quæ sunt spei vestræ ampla veluti seges, ne vobis intercipiantur, sedultò cavendum. Paulúm adhuc insistamus eo in argumento, quod animos vestros tantùm afficere valet.

Sic est, Auditores Christiani, quamquam Christus, præcipuo quodam ac divino prorsus consilio: nasci voluerit humilis & abjectus, mundanos tamen honores & amplitudinem non planè damnavit; imò dicam liberè quod sentio, vestram nihil veritus offensionem, ab ipso

ipso 'ex ortu suo , humanæ amplitudinis eam habet rationem , illam ultrò ut ambiat, illam ut consectetur , tantùm abest ut aversetur ac respuat. Quàm verè istuc à me dicatur , satis ostendit hodierna Evangelij lectio. Quo enim tempore pauperculos quosdam opiliones arcessit ad cunas suas Servator, idem ille Magos excit , homines videlicet præpotentes & opulentos, ac , si famæ traditæ creditur , etiam Reges. Quo tempore Angelum ad illos submittit , novum his sydus micare jubet in cælo. Quo tempore sua illi deserunt armenta , ut salutent , ut venerentur, ut proni DEUM adorent nascentem , hi patrias sedes , hi fortunas amplas, hi Regna linquunt dulcia. Utri autem plus honoris Christo deferant ; utri cariores ei sint , nondum statuo. Certè constat , & hos & illos in stabulum intromitti ; DEUM infantiæ velo obductum , & his & illis aperire se præferri ab eo tenues , dynastas non excludi. Atque hæc cogitatio , profani mundi amatores , annon sola fiduciam vestram exsuscitet ? annon satis supérque sit , ad vos confirmandos & excitandos in vobis cælestis sapientiæ amores ? ex eo autem ipso id consequitur, quod vobis multò jucundius esse oportet ; Christum videlicet in sanctissimo suo

ortu, secluso eo amore anticipato, quo hos præ illis prosequitur, plura reapse in dynastas, quàm in tenues contulisse beneficia; atque adeò dynastes, quos vocavit, plus multò illi quodammodò, quàm intenues contulisse beneficia; atque adeò dynastas, quos vocavit, plus multò illi quodammodò, quàm tenues debere. Quamobrem quoniam, inquit Chrysostomus, gratia opus habuit longè validiore, ut dynastas ac principes, quales fuisse Magi creduntur, quàm ut pastores exciret, quorum ignorantia & imbecillitas ipsa, naturalia quædam jam erant velut fidei adjumenta. In his nihil DEO obsistebat; in illis nihil non Christi gratiâ expugnandum ac vincendum; habuit; hoc est mundum & illecebras ejus omnes. En tamen miraculum patratum ab ipso nascente: En victoria relata de mundo. *Hæc est victoria quæ vincit mundum* 1. Joan. 5. *fides nostra.* Fides triumphans eadem & victrix, quæ invitâ mundi superbiâ persecit, ut infante, DEI verbum, infinitamque ipsius adorarent sapientiam; repugnante nequicquam mundi pravitate ac nequitiâ, tantùm valuit, ut ex eorum animis altissimè defixas avelleret cupiditates; ut Christianæ legis jugo docile collum ijdem submitterent. I nunc, quisquis es, cuiuscunque tandem ordinis, i nunc, &, si potes, aut quòd

statum

statum tuum reprobet DEUS, aut quòd status te tuus avertat à DEO, aude conqueri! neutrum est verum, Auditores; non primum: tam largis siquidem DEUS ipse gratiæ suæ donis ultro nos cumulat. Non alterum; nascens siquidem ille idem, nihil habet prius, quàm ut conditionem vestram in Magorum Personâ sanctam efficiat; quàm ut eam emendet. Conditionis abusus vestræ reprobat ac vitia; reprobat fastum; reprobat luxum; reprobat mollitiem; duritiam, impietatem, non conditionem ipsam; cùm & illi & vobis ipsis hodierno die potentissimæ ac maximè singularis misericordiæ suæ thesauros referet ac pandat. Ut est ordinum omnium, conditionum omnium DEUS, eóque venit, ut omnes salvos præstet, nullo discrimine conditionum, cunas ad ipsas, ubi servatoris jam partes agit, inter assecias suos spectari amat tenuiores principibus permissos; divites juxtà ac pauperes; hinc Dominos, inde aliorum imperio subjectos. Accedamus, Auditores Christiani, & accedamus omnes. Adeamus ad sacrum ipsius præsepe, & adeamus omnes. Ex eo plandè nos evocat ad sese: ex eo tenella nobis brachia porrigit. Ex eo nos, bonos juxtà ac malos, ijsdem gestit bonis cumulare.

Atenim quî convenit Christi pauperies cum divitijs ? abjectio cum majestate ? ærumnæ , quibus premitur , cum mollioris vitæ commodis ? ad id respondeo, Christiani Auditores , quod jam est à me secundo loco propositum ; situm utique in vobis esse , ut citra ullam sortis ac conditionis vestræ mutationem , Christianum Dominum in vobis exprimatis ; & quantumvis status ille vester ; pugnare cum Christi statu videatur , perfectam arripiatis illius similitudinem , in qua autore Apostolo , hominis est fundata prædestinatio. Ut nos DEUS habeat in suis, & in cælestis vocet gloriæ partem , præferre nos oportet Infantis hujus insignia, eidémque persimiles esse ; ac de eo , éoque uno propriè dici potest , oratione ad nos conversâ , *nisi efficiamini sicut parvulus iste , non intrabitis in Regnum cœlorum.* Habet quidem hæc sententia quod vos conturbet , imò quod perterreat. Verùm audite quod subjicio. Contendo enim , neque impossibilè vobis , neque etiam operosum , immutata vitæ conditione , ad divinam illam assurgere Christi similitudinem. Quamobrem ? quoniam ut Christiani , potestis excelsi ijdem & humiles esse. Divites ijdem ac *pauperes spiritu.* Potentes ijdem ac modesti , aut *circumcisi corde.* Ubi autem animi de-

Matth. 18.

Matth. 5.
Rom. 2.

demis-

demissionem cum majestate, cum potentiâ modestiam, opum contemptum cum opibus ipsis conjungitis, nulla tunc intercedit statûs vestri cum Christi statu repugnantia. Quin potius per ea ipsa propius accedetis ad summi hujus Archetypi similitudinem. Per ea ipsa, eundem in mundo graphicè magis exprimitis. Néque enim Servatoris plane proprium hoc est, pauper idem ut sit, & humilis, sed excelsus simul & humilis, aut potius, humilis ut sit excelsitas ipsa; quando non prohibet ipsius demissio, quin idem & *Altissimi filius* existat. Istuc autem, in eo ipso vitæ statu, quem tenetis, Christiani Auditores, vobis unis à DEO est datum, planè ut possitis imitari. Eò pertingere nequeunt, quos obscurà nascendi conditione, aut fortunæ mediocritate, videmus cum plebe permistos atque confusos. Ad quantumcunque sanctitatis apicem assurgant illi, ipsorum demissio, summam supremi Numinis demissionem non exprimit. Mundana ad id dignitas & amplitudo, fortuna ad id præcellens est opus. Dynastes, qui, dum retinet cuncta conditionis suæ jura, Christianæ humilitatis sedulò partes omnes obit. Dynastes sibi ipsi vilis, qui se nec peccatorem, nec mortalem obliviscens, DEUM semper reveretur ac tremit, Dynastes, qui verè istuc usurpet *Domine, non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.* Non me

Luc. 1.

Psal. 130.

perſtringit circumfuſus mundanæ gloriæ ſplendor, non ſuperbia me ad ſuſcepta, aut grandiora meâ ſorte, aut charitati, juſtitiæve contraria unquam perpulit. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* *Ibid.* Dynaſtes, inquam, ita animatus, DEI, cujus ſumam abjectionem hodiè recolimus, germanus eſt ac verus imitator. Dynaſtes ita animatus, Chriſtianus ille ipſe eſt, qui divini Infantis, quem Bethleemiticum nobis exhibet præſepe, ſtupendam demiſſionem æmulatur. *Qui ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte.* *Matth. 18.* Eidemque illud etiam accommodare auſim, *hic eſt major in Regno cœlorum.* Dynaſtes, illud Sanitatis adeptus faſtigium, non Dynaſtes ſolùm, ſed & Dynaſtarum in cæleſti Regno longe maximus eſt dicendus.

Igitur, principes ac divites, pauperes ac tenues, ad cunas ſuas Chriſtus allicit & trahit. Qui ſunt autem, aut eſſe debent divites illi Dynaſtæ? eos æſtimemus è Magnorum exemplo tam accommodato ad hunc locum, tamque arctè cum myſterio, quod excutimus, conjuncto. Dynaſtæ illi ſunt, quos in excelſo loco poſitos putes, ut in iis major appareat animi demiſſio, obedientia promptior mens divinæ voluntati magis obnoxia, dum ſummè depreſſi, & ad ſe vocantis Numinis ſtellam, ducem impigri ſequuntur. En Dynaſtæ, quibus humilium

DEUS

DEUS se se ostendit & aperit, non secus ac fortunæ tenuioris hominibus ; quoniam illi æquè similes sunt ac tenuiores, imò etiam magis Divites illi sunt, ab eo tantùm remoti, ut opibus ac divitijs animum addicant, ut ijsdem ad *Agni* pedes ultro abjectis, earum jacturam in lucro esse deputent maximo. En divites,, quos pauperum Deus non dedignatur numerare in suis, quoniam medias inter opes, *pauperiores* quandoque *spiritu* DEO videntur, quàm qui sunt in egestate. Id autem non æquum est DEO vos millies gratulari, vos, inquam, qui in excelso positi dignitatis gradu fortuna dum utmini prosperiore, eosdem omnino fructus percipere potestis. Ac si Religionem vestram planè cognitam habetis, non est unde immortales gratias agatis DEO, tam facilè vobis ad sanctimoniam iter aperienti, vel in ijs ipsis statibus qui per sese magis abhorrent à sanctitate, longius progredior. Quantumvis enim periculi adjunctum habeant mundani honores; quantumvis à Christo proscriptæ sint opes atque damnatæ; addo tertium ad ea quæ dixi, quod nec minus certum videri debet, rebus illis ita vos uti posse, ut, per eas, Christo nascenti optatum cultum exhibeatis. Nimirum ut DEUS humilis, honorem, ut pauper, stipem à vobis expectat & voluntariæ suæ paupertatis levamentum. Geminum hoc sibi à vobis pen-

Apoc. 3.

Matth. 5.

sitari jubet vectigal, & fœlix est Conditionis vestræ proventus. Posse id Christo consecrari, quod ruinæ alioqui ac sempiternæ damnationis vestræ fatalis causa futurum erat, qualem & quantum gratiarum (si ijs ritè uti sciatis) thesaurum esse dixero? ut DEUS humilis, divinos sibi honores deposcit. Eam in rem è medijs Idolorum cultoribus, aliquot sibi deligit Numinis sui cultores. Quos autem? homines regali dignitate spectandos, qui ad ejus abjecti præsepe, provoluti, penè nulli in ejus oculis, honori sunt ei & majori gloriæ, quàm opiliones Bethleemitici pietate ac studio in ipsum quantumvis incensi. Et verò nihil Servatori Christo glorioſius & esse potest & debet, quàm exhibitus à principibus viris cultus. Per quos autem, quàm per vos ipsos, steterit, Christiani Auditores, quin eâ gloria, cujus adeò cupidus est, circumfluat. Cur inter homines floretis authoritate? cur vos DEUS in tam amplo collocavit statu? quid non potestis ipsius causâ? ecquid cæteri perficiunt mortales præ eo quod potestis? per vos in honorem adducitur Christi Religio, ejusdem cultus promptius, firmius, latius propagatur, stat denique per vos & exempli vestri autoritate viget. Quem in usum vobis digniorem, certè æquè dignum, potentiam vestram reservatis? quod ut perficiatis, quid aliud vobis necesse est, quam

istuc

istuc ipsum velle? eâ ex parte vestra conditio plurimi à vobismet ipsis est facienda. Eam tantùm ob rem & amare illam licet, & in illâ vos amare. Hæc si demátur, nihil habet illa utique non acerbum vobis ac luctuosum. Hac vos cogitatione sustentate ac reficite, novum per eam amplitudini vestræ decus facilè parare, diviníque Numinis, eò se usque demittentis, cultum, longè largiosius, quàm cæteros mortales, tutari vos & amplificare posse. Sed finis sit.

Ut DEUS pauper, vult egestatem levari, non jam suam, sed pauperum, qui sunt ejus membra. Neque enim muneri meo satisfeciſſe me putem, ni eorum à me hoc loco aliqua mentio habeatur. Siqua inest in vobis fidei scintilla, Auditores, non dubito, quin piè invideatis beatis illis Regibus, qui ab ultimo usque Orienti profecti, non dedêre se vacuis manibus in Christi conspectum, sed munera quisque sua obtulêre, quæ libenter admisit is, & grata acceptáque habuit. Atqui, ajo ego, eundem Servatorem Christum, eadem à vobis munera expectare. Ajo, non longè quærendum. Reperiri inter vos posse. Quoniam inibi præsto est, in ijs locis, in eo vitæ genere, in quo non minus perpetiendum illi, in quo non minor est, quàm ad Bethleemiticum præsepe, solitudo. Ajo. egenos illos, qui vos obsi-

dent, quos videtis, sed multò magis quos non videtis, & aspirare ad vos nequeunt, eundem illum Christum esse, cui Magi, cui pastores, alij aurum & thus, alij rusticanos suos fructus, muneri obtulêre. Ajo, Catholico constare dogmate, quæ pauperibus largimini, largiri vos Christo. Imò (dicam liberè) majore merito, cùm in pauperum transeunt manus, quàm si à vobis ipsis in Christi manus deferrentur. Ex eo (quanta vobis exurgit fiduciæ in DEUM seges?) ex eo divitiæ & opes, quæ tam periculosa sunt humanæ salutis impedimenta, nihil jam habent non innoxium vobis & salutare. Non jam illo inustæ sunt reprobationis charactere, quem illis tribuunt sacra volumina; non jam opponuntur Servatoris paupertati, cùm illius sint supplementum quoddam ac veluti basis; quoniam ille sanctam vobiscum init societatem, vestris ditescit bonis, ut suorum vos participes facit meritorum. Ex eo, communione illâ velut consecratæ, mutant quodammodo naturam suam; è thesauris iniquitatis, fiunt excellentissimæ virtutis, hoc est, charitatis, pretiosa materia? ex eo, non jam vos formidolosa illa feriunt Christi in divites jacta anathamemata. Quid ita? quoniam, inquit Chrysostomus, justior est idem ac fidelior, quàm ut divitias sibi ab hominibus sacratas, imò ab ipso expetitas reprobet atque con-

condemnet. Beatus, inquiebat olim Propheta cui istuc est datum, ut egeni ac pauperis mysterium percipiat. Quod quidem multò æquius à me nunc dicatur, cùm sit pauper, Christiano præsertim homini, quoddam fidei mysterium. Addo, ad fontem ac principium ipsum regressus, beatum illum esse, qui DEI pauperis & abjecti mysterium percipit. *Beatus qui intelligit.* *Psal. 40.*

Quoniam, inquit Apostolus, semetipsum *exinanivit*, voluit DEUS, eundem ut *exaltaret*, ad ipsius Nominis appellationem, omne *ut genu flecteretur.* Quo autem alio loco quàm in basilicis, Regúmque domibus, magis insigniter completur Pauli prædictio quando hoc habent illi, singulari quodam DEI munere, ut DEUM hominem factum, nostrâ causâ *exinanitum*, & venerentur & colant. Regio illo cultu, inquit Chrysostomus, summa pensatur Christi nascentis abjectio. Non me fugit, quod & in Evangelio legimus, eundem ab ipso suo exortu & ab Herode quæri ad necem, & Augusto Imperatori obedientem esse. Hæc prima fuit Christianæ Religionis origo. Sed gratiâ DEO summè providenti, alia nunc est, ac diversa facies rerum. Hodie quippe, non sine incredibili lætitiæ sensu, longè maximum Regem intueor, Christi subjectum imperio, nihil non in dies, ut Christus *Phil. 2.*

reg-

regnet, molientem. Atque hoc ipsum est quod Religionis nostræ non dico progressum, sed complementum, sed gloriam appello. Eam in rem, Rex Christianissime, principe opus fuit, qui Imperio tibi & autoritatis pondere par esset & æqualis. Ut nullus unquam tam morigeros est nactus, tamque obsequentes populos, ita tot adjumentis nemo, præsidiisque cœlestibus paratior & instructior fuit, ad divini Numinis cultum inter suos constituendum. Felicitatis tuæ est, Rex Christianissime, quod id nunquam sis aggressus, nisi felici semper exitu; meæ, in eo munere, quo fungor jam tot annos, quòd nova semper materies suppeditaverit, tibi ea super re gratulandi. Hinc prosperitates illæ, secundæque res, quas agnoscimus velut uberes fervidæ tuæ pietatis fructus, totidémque sæculi nostri prodigia. Augusti Cæsaris Imperium, sub quo Christus editus in lucem est, jactent alij ut beatum undecumque ac florens; mihi, si utriusque Regni contentionem, quod facile est, facere libeat, nihil occurrit in illo, quod cum Majestatis tuæ Regno componi ac conferri queat. Summa illa rerum tuarum felicitas vulgò tribuitur Regijs illis virtutibus, heroicisque dotibus, quæ tum apertè cæteris te principibus secernunt. Ego ad altiora mentem erigens, prosperos illos eventus in tuen-

dâ

dâ, vera Religione, in ejusdem integritate retinendâ in comprimenda Hæresi, in exterminando errore, in schismate abolendo, in divini cultûs unitate restituendâ, ardentia studij, contentionis assiduæ, constantiæ & invictæ fortitudinis tuæ præmia esse contendo. Poterit istuc, Rex Christianissime, nobis totíque Europæ probari splendidiore argumento, quàm solenni illâ belli pactione, quæ sempiternum erit Regiæ tuæ pietatis monumentum? Pacem ut redonares orbi Christiano, utilitates, rationésque tuas posthabuisti haud gravatè; sed, an deseruisti divinas? Galliæ tuæ causâ, finem ut imponeres bello, quod perpetua quædam erat triumphorum series, decessisti quidem de jure tuo, sed, potuítne à te impetrari, quicquam ut remitteres, ex ijs, quæ divinæ gloriæ ardore succensus, non sanctè minus susceperas, quàm perfeceras generosè? frustra adnitentibus tot nationum sequestris, frustra deluctante profanâ mundi sapientiâ, vicit, Rex Christianissimè, ardens Majestatis tuæ in Catholicam Religionem studium. Stetit inconcussum tantæ molis opus (extinctum dico abolitúmque à te schisma) stetit, imò altiores egit ac firmiores radices. Eâ te conditione facilem præbuisti & exorabilem aliâ quavis in re. In eo quod spectat ad Religionem, nacta est Hæresis mentem

tem nesciam flecti, simúlque omnem aditûs ad te sensit sibi in perpetuum spem esse præcisam. Ob factum, facinúsque tam insigne, Domine DEUS, tanti Principis ætatem magno augebis annorum cumulo. *Dies super dies Regis adjicies; & annos ejus usque in diem generationis, & generationis.* Atenim, Rex Christianissime, eum in locum haud recidit Gallica res, tali pro munere, vota tantùm ut nuncupare nobis liceat. Jam vota mea exaudita, jam ratæ videntur preces, quas toties privatim ad DEUM fudi. Atque ut mittam olim ventura, ab hoc Regno conditio, ullúsne tamdiu tam feliciter, tam gloriosè tanti imperij clavum tenuit? nec solùm ad Galliæ tuæ felicitatem adhuc regnas, sed & solidis, penéque certis argumentis ac pignoribus adducti confidimus, regnaturum te tamdiu, quàm valere unquam pro Rege ullo potuit sancta hæc Principis sancti precatio, *dies super dies Regis adjicies.* Post constitutum hoc Imperium, quis è Regibus nostris tam amplam conspexit Regiæ stirpis propaginem, tot generosi sanguinis & affinitatum gradus? ac quamvis vaticinari nostrum non sit, & futura prædicere, Majestati tamen tuæ denuntiare ausim, certè sperare, non eas, quas videmus, felicitati tuæ metas positas esse; verùm à te non

Psal. 60.

ita

ita pridem constitutæ necessitudinis ac connubij lætissimis fructibus demessis, annos tuos usque *in diem generationis & degenerationis esse propagandos.*

Post tot tamque inclytos labores, hæc sunt, Rex Christianissime, jucundissima bona, queis perfrui deinceps liceat, & erant tibi à DEO præparata. Alta toto Regno pax; fidus, éque tuo populus pendens nutu, Aula pacata, obsequens, id cogitans unum, ut officia tibi sua nullo desint loco, & beneficijs tuis dignam se præstet: Regiæ familiæ charitas concors, exemplo fortasse carens, & quàm res nulla dirimat; gnatus Regni hæres dignissimus, cui nihil sanctius & antiquius unquam fuit, quàm ut se tibi probaret. Tuâ disciplinâ institutus nepos, jamque, per te stabili connubio junctus. Lectissima ejusdem conjux, amores & deliciæ tuæ. Nobile par principum, à quibus nihil non speres, quique opinioni à te conceptæ tam pulchrè jam respondent; hæc sunt, inquam, dona ac munera, Rex Christianissime, tibi præparata divinitus atque destinata. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* *Psal. 127.*

Eam ob rem, DEUS optime, Augustissimi Principis ætatem proferes, nec nobis solùm, sed & tibi ipsi diu incolumem præstabis. Qua enim est animi excel-

excelsitate Religionis, qua sapientiæ præstantia, qua autoritatis vi, pro tot acceptis à te beneficijs, quid non tibi gratè ac piè persolvat ? Fas igitur mihi sit, Domine DEUS, tutelam illi tuam ac præsidium, priusquam peroro, gratulari, ipsumque ijsdem illis affari verbis, quibus olim sanctissimus Vates est usus, apud principem tali voto minus profectò dignum. *Rex in æternum vive.* Vive, Rex Christianissime, sub beneficij & omnipotentis DEI tutelâ, quàm & expertus es præsentem toties, & semper experiere. Vive, ut, nec Galliæ tuæ dulce solamen, nec gloriæ tuæ cumulus desit, aut potius, quod *virum dextera* DEI decet, ut divinam gloriam magis ac magis amplifices. Vive, ut operâ ille tuâ factus notior, piè ab omnibus ac religiosè colatur. Vive, ut scissâ tot in partes Ecclesiæ membra, quod cœpisti, & est tam arduum, in unius ejusdémque fidei corpus coalescant. Vive, ad iniquitatis, ad erroris & impietatis, quæ bellant cum DEO, ruinam & eversionem. Vive denique, ut Christianum par est principem, & salutem illam, quam Christus hodie nobis annuntiat mercedem videlicet Electorum, consequere, Amen.

Dan. 6.

Psal. 79.


(o)

XIV. 20.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIV. 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. IV. 29.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN